34. A. 170

PROPERTY OF THE
PUBLIC LIBRARY OF THE
CITY OF BOSTON,
DEPOSITED IN THE
BOSTON MEDICAL LIBRARY.

PRESENTED TO THE

3789.5
Vol. 2

Public Library of the City of Boston

SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA
CONDITA AD.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.

By Walter [illegible], M. D.

Received [illegible] 18, [illegible]. No. 14024

COLLECTIO OPVSCVLORVM SELECTORVM AD MEDICINAM FORENSEM SPECTANTIVM

CVRANTE

Dr. IOAN. CHRIST. TRAVGOTT
SCHLEGEL

MEDICO APVD LONGO-SALISSENSES

VOL. III.

LIPSIAE

IMPENSIS CAR. FRIEDER. SCHNEIDER.

1788.

EX LIBRIS
G: IORDAN

14424

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,

CELEBERRIMO

ANDREAE BONN

MEDICINAE DOCTORI

ANATOMES ET CHIRVRGIAE IN ILLVSTRI AMSTELAEDAMENSI ATHENAEO PROFESSORI

HOCCE VOLVMEN TERTIVM

D. D. D.

VNAQVE

SE RESQVE SVAS DE MELIORI NOTA COMMENDAT

EDITOR.

CONSPECTVS
CONTENTORVM
Voluminis tertii.

XIV.

Dr. *Erneſti Gottl. Boſe*, diſſ. prior de diagnoſi vitae foetus et neogeniti. Reſp. *Chriſtoph Godofr. John.* Pag. 1

XV.

Dr. *Ern. Gottl. Boſe*, diſſ. poſterior de diagnoſi vitae foetus et neogeniti. Reſp. *Car. Chriſtl. Betke.* 38

XVI.

Dr. *Ern. Gottl. Boſe*, Progr. de iudicio vitae ex neogenito putrido. - 88

XVII.

Joan. Dan. Reiſſeiſſen, diſſ. de veneficio doloſo. Auct. et Reſp. *Joan. Franc. Ehrmann.* Pag. 99

XVIII.

Joan. Franc. Ehrmann, de veneficio culpoſo. 188

XIV. Dr.

XIV.

DR. ERNESTI GOTTLOB BOSE

Diſſertatio prior,

De

Diagnoſi vitae foetus et neogeniti.

Lipſiae, 1771.

Reſpond.

CHRISTOPH. GODOFRED. JOHN.

---

§. I.

Inſtituti ratio.

Quod medici eſt officium omnem in vitam hominis pretioſiſſimam conuertere attentionem, ea quoque expoſcit, vt a primis vitae rudimentis incipiens obſeruatio, quatenus tantum illa ex phaenomenis quibusdam dignoſcitur, ad omnem eius vlteriorem decurſum directa ſine intermiſſione continuetur. Haec autem varia inſtitui poteſt ratione, alia nimirum eſt vitae contemplatio, quae ad medicum, in facienda ſua arte occupatum, et de ſanitate conſeruanda

 re-

reſtituendaque ſollicitum, ſpectat, alia vero, dum in vſum fori, ex nexu diſciplinarum cognito idem ſua vtitur ſcientia ad diiudicandas conditiones, in quocunque ſtadio vitae occurrentes, quibus reus vel abſoluatur vel inculpetur. Quum tamen non infrequenter in foro de vita foetus vel recens nati, quaeſtio naſcatur, reipublicae quoque et ſaluti ciuium maxime interſit illius ſtudioſior diſquiſitio, ſpecimini academico aeque ac officio meo accommodata viſa eſt haec curioſior peruestigatio, qua ex ſignis ſuis praeſentia vitae aut confirmatur aut denegatur. Siquidem ex his quaſi praemiſſis, non obſcure iudex poſſit inſtrui ad definiendam ſententiam. Solet quidem tunc plerumque in foro de vita hominis dubitatio oriri, dum iam in lucem editus mortuusque infans, num vita fuerit praeditus, numque eam per violentam quandam cauſſam accedentem amiſerit, ambigitur, atque corporis delicti conſtituendi cauſſa, viſcerum partiumque corporis, ſectione diuiſarum, accurata inſpectio, tanquam iudicii, inde deſumendi, fundamentum adhibetur; verum quum ſaepe eveniat, vt ad confirmandam vitam nati omnium, etiam praegreſſarum, conditionum notitia opus ſit phyſico forenſi, alia in externo corpore foetus obueniant, a pariente quoque repetenda momenta, alia demum in internarum partium perluſtratione poſita ſint, mihi ab his incipiendum eſſe duxi. Ex quo conſequitur, ea primo loco penſitanda eſſe, quae ſine diſſectione patent,

tent, ex ſignis tum in corpore recens nati, tum in matre grauida et puerpera habendis colligendisque, quibus deinceps reliqua, ex interioribus per ſectionem manifeſta reddita adiicientur. Multorum quidem eſt opinio, ex reſpirationis organis, atque pulmonum ſtatu vitae rationem quam optime determinari, etſi hac de re copioſiſſima ſit controuerſia, eam autem ad internorum ſignorum explicationem referimus. Dum itaque generalem hanc ſuſcipimus dilucidationem, ſi magnis in arte viris placere nequeamus, nobis ſatis erit, tyronibus et ad forum ſeſe applicaturis viam ingrediendam monſtraſſe. Hinc de ſignis, quibus vita foetus et nati diſcernitur, differentes, praemiſſa generali vitae cognitione alia, quae in foetu vel recens nato, alia quae in matre notari merentur, ſigillatim expoſituri ſumus.

§. II.

Animationis foetus terminus

Si hominem adultum viuentem contemplamur, tot ad vitam concurrere actiones, tamque egregiam conſpirationem eſſe obſeruamus, vt vnica laeſa protinus omnem reliquarum conſenſum intercipi videamus. Quare foetus, vt vt minimus ſit, iisdem actionibus, ſibi opitulantibus, viuere recte adſeritur, ita quidem, vt vel pro organorum agentium perfectione, vel pro inde dependente efficacia tantum diuerſitas enaſcatur. Interim, quod duplex homini data eſt ſubſtantia,

mens atque corpus, illisque a ſe disiunctis mors etiam ſimul adeſt, non immerito in facienda continuandaque vita vtriusque huius ſubſtantiae aliquam partem eſſe, iure affirmari poſſe opinamur. Quid illud ſit, quod mens confert, definire non audemus, et multum ab eorum opinione abſumus, qui illam ſuum ſtruere corpus ſtatuunt *a)*, qui illud etiam defendere et ad abigendas illatas noxas motus, in morbis conſpicuos, excitare volunt. Praeter ea quoque ad ſcopum noſtrum non ſpectat, quin potius ex adductis illud patere arbitramur, ſine mentis corporisque coniunctione vitam hominis nec recte quidem cogitari poſſe, eoque confidentius, minimo foetui, ab ipſo conceptionis puncto mentis coniunctionem cum corpore tribuendam eſſe cenſemus *b)*. Mentio facienda erat huius conditionis, quod medico forenſi a non paucis obiiciatur, *animationis* quem dicunt, foetus terminus. Multum enim torſit et antiquiſſimis temporibus philoſophos aeque ac medicos haec ſententia, recentiores quoque turbauit, et

a) Contra eam opinionem multa habet *Haller* Elem. Phyſiolog. Vol. VIII. p. 125.

b) Idem ſentit *Alberti* Iurisprud. Medic. Tom. I. P. I. cap. VI. §. 3. p. 123. cum aliis. Id autem ea propter fieri autumat, vt anima fiat ſui corporis artifex. Conf. D. *Mich. Ern. Ettmuller* progr. de termino animationis foetus incerto. Lipſ. 1728. G. A. *Langgvth* de foetu ab ipſa conceptione animato. Viteb. 1742.

et cauſſarum patronos, ad defendendum reum, nonnunquam fauentes inuenit. Praeterimus, quae ab ARISTOTELE *c*) olim et HIPPOCRATE *d*) dicta ſunt, quippe quae in omnium fere medicorum forenſium ſcriptis adducuntur, quum mira in ZACCHIA *e*), FIDELI *f*), CANGIAMILA *g*) inueniantur et alii paullo poſt conceptum factum, tertium nempe diem, alii ſeptimum, alii id demum tempus adſumendum eſſe velint, dum in membris foetus aliqua perfectio conſpicitur, quae in eorum vel delineatione vel rudimentis conſiſtat. Hanc vero in maſculis intra dies triginta, in femellis intra quadraginta duos obſeruari, in quorum dierum numero definiendo tamen vbiuis varietas, vt ſupra ſexageſimum quemcunque foetum pro animato cum HIPPOCRATE habendum eſſe credat LOEWIVS *h*). In quibus, ſi auctoritatibus, nihil efficientibus, fidem detrahimus, rationes ſane nullibi deprehendimus, vel veri tantum ſimilitudinem afferentes. Diu pariter exploſus eſt animae humanae ex traduce ortus, poſtquam acu-

 torum

c) Hiſt. Animal. Lib. VII. cap. 4.

d) Περὶ ἑπταμήνȣ, et περὶ ὀκταμήνȣ, nec non περὶ φύσιος παιδίȣ.

e) Quaeſt. medic- legal. Lib. I. Tit. II. Quaeſt. IX. p. 51. Lib. IX. quaeſt. I. p. 685.

f) De relat. medic. Lib. III. Sect. 6. cap. I. ſeqq.

g) *Franc. Eman. Cangiamila* Embryologia ſacra. Venet. 1763. fol. p. 18. ſqq.

h) Theatr. Medic. Iurid. cap. I. §. 48. n. 6.

torum philoſophoruum accurata ſubtilitate ex ipſius mentis natura eius ſimplicitas confirmata fuit. Nec, ſi foetus per aliquot tantum dies in vtero commoratus, increſcere deberet, ſine praeſentia mentis, more ſuo, atque ab omni reliqua humana vita diſcrepante, viuere deberet, vt ea propter ſupra a nobis adducta opinio magis corroboretur. Quodſi itaque vita minimi foetus ſimillima ſit vitae increſcentis et nati, refutatur omnis eorum error, qui ſibi perſuadent, leuiori eos coercendos eſſe poena, qui primis menſibus imperfectioris foetus, conſilio et culpa abortum fecerint. Hominis enim vitam vix inchoatam ſupprimere, aeque magnum crimen eſſe videtur, ac illam delere, quae per aliquot iam tempus durauerit, quod ſpes prolis hoc facto protinus concidat. Interim inficiandum non eſt, hac de re admodum raro quaeſtionem in foro fieri atque ad medicos referri, niſi forſan aliqua rea, ſe multa, ad abortum faciendum, tentaſſe inculpetur conuincaturque. In quo tamen caſu perpendendum eſt, foetum minimum, immo et per aliquot menſes increſcentem, non infrequenter aut vteri vitio, aut aliis multis cauſſis, hic tamen ſtudioſius non exponendis, a ſua cohaeſione ſolui et perdi, nec non omnem ad deſtituendum foetum adhibitam vim parum quandoque valere, alias autem minimam eius vix praeuiſam reſolutionem producere. Tandem et hic ſigna vitae adeo ſunt abſcondita, vt niſi ex accedentibus quibusdam conditionibus et

iudi-

iudicis diſquiſitionibus dilucidentur, a medicis in lucem nequeant protrahi. Si vero iam maturior factus foetus vtero excutiatur, de cuius vita nec dubitauit antiquitas, tunc ea quoque, quae nunc dicemus, omnia ad eum referri merentur. Nam illa incepta et continuata vita, ſi diuturnitatem habere debet, nouis quibusdam indiget neceſſitatibus.

§. III.

Vitae differentia ab aetate.

Quo vero pateat, vitam hominis per ſe diuerſam reddi, eas breuiter in mentem reuocare neceſſum eſt differentias, quas ipſa hominum aetas ſuppeditat, ex quibus, vt ſupra innuimus, eluceſcit organorum agentium et efficaciae modulum ſingulis ineſſe. Eae nimirum adulti hominis conſpirantes actiones, ex omnium viſcerum integritate, oſſium perfecta firmitate, nutritione ſufficiente, appoſitione adaptata deperditarum molecularum, per proprias vires paratarum, et menſura illarum virium, reſiſtentiis adaequata pendent, qvibus cauſſis omnibus efficitur, vt in eodem ſtatu, certe per aliquod tempus, corpus conſeruetur. Sicuti autem, quam primum hae cauſſae, aut remiſſius agunt, aut vires reſiſtentiis enatis aequabiliter non opponuntur, quod ingruente ſenectute fieri ſolet, vitae ratio immutatur, et vigor priſtinus perit, ita e contrario in foetu increſcente ſenſim coaceruantur momenta virium, ex ad-

 dita

dita ſingulis partibus ſucceſſiua perfectione coagmentata. Deſtinauit autem certum quoddam temporis ſpatium foetui cuique naturae auctor, in quo perficiatur, ſiue formationem pulli in ouo, ſiue ſuceſſiuum in vtero humano foetus incrementum contemplemur *i*). Quo ſuperato, maturitatem eius adeſſe dicimus. Nam, quo tenerius corpus eſt, et quo minus a ſua diſtat origine, eo magis vita eius mere paſſiua dici meretur, quum aliunde demum accedentibus ſuccis, vt in homine, maternis ſcilicet, viribusque mutuatis, nutriatur et parum de ſuis inquilinis addat. His itaque efficitur, vt ſenſim maior accedat firmitas roburque, quod tamen nondum ad vitam continuandam ſufficit. Niſi enim priorum cauſſarum, ceu potentiae agentis et ſuccurrentis, adiumentum additur, protinus pereundum eſt tenello foetui. Clarum id eſt, ex funiculi vmbilicalis hiſtoria, cuius ex vena ſanguis ad nutritionem faciendam aduehitur. Si enim per labefactatum eundem vel deſtructum, breui etiam ante partum tempore, intercipiatur liquidi huius vitalis acceſſus, vix non ſemper in ineuitabile foetus coniicitur mortis periculum.

§. IV.

Vitalitatis deſcriptio.

Vbi itaque perfectum, quem dicunt, maturitatis terminum attigit foetus, tunc eiusmodi inſtructum dotibus

i) *Hebenſtreit* Anthropolog. Forenſ. Sect. II. cap. I. §. 10. *Haller.* Elem. Phyſiol. Vol. VIII. p. 421.

tibuseſſe obſeruamus, quae ad vitam, ſibi ipſi ſufficientem, agendam ſatis idoneae ſunt, id, quod quotidiana experientia confirmat. Multa namque animalia et volatilia omnia, ex ouis prodeuntia, ſic ſibi viuere cognoſcimus, vt alienis vix opus habeant ſubſidiis, in aliis vero et in homine ipſo matris deſiderantur ſucci, et lacte illius debent ſuſtineri foetus. Nihilo autem ſecius vniverſum corpus varias adhuc incompletas partes continet, iterum temporis ſpatio interiecto demum ſupplendas atque elaborandas, quod ex oſſium conſideratione, eorum augmento, firmitate, nexu, nec non ex viſcerum non nullorum, aliarumque partium ſolidarum habitu mutato, docetur a diſſectoribus. Neutiquam tamen haec inhaerens corpori imperfectio vitae detrimentum affert, quin, iis licet praeſentibus conditionibus, recte iudicetur in foro, viuere potuiſſe natum, eamque adeſſe aptitudinem, quae vitae prorogandae inſeruiat, quamque vitalitatem vocant. Contra, ſi ea inueniatur foetus editi conditio, quae luculenter monſtret, ſupereſſe adhuc multa euoluenda, addenda et elaboranda, quibus ille egere non poteſt, ad neceſſitates vitae verae, tunc etiam de vita eius, tum in partus tempore, tum extra vterum ambigua admodum redditur ſententia. Immo eius finem conſtanter ſequi debuiſſe, certiſſime adſeueratur a medico forenſi. Accedunt autem his aliae adhuc cauſſae, vt mala in vtero nutritio, grauidae morbi praegreſſi, iniuriae paſſae, ſimi-

lesque, de quibus in poſterum dicetur, quae vitae vlterioris filum abrumpere poſſunt, ſed eae ex ſuis ſignis a medico dignoſcentur. Inutilem tamen vitalium foetuum diſtinctionem iudicamus eam, quae a numero menſium, per quos foetus in vtero enutritus eſt, deſumitur, et qui olim ex auctoritate HIPPOCRATIS, ſolebat reuerenter haberi, nolumusque recoquere eam de partu ſeptimeſtri et octomeſtri non aeque vitali opinionem. Non enim temporis decurſus, quippe qui ab ipſis etiam mulierculis ſaepe falſo numeratur, ſed corporis conditio, membrorum habitus aliaque medicum forenſem inſtruunt; ex quibus, num aptitudo ad vitam, protrahendam et iuſte ducendam, adſit; iudicet. Obiici quidem nobis poſſet, imperfectos etiam mutilatosque foetus nonnunquam tutos in vtero vixiſſe atque partium reliquarum conueniens habuiſſe incrementum, vt in acephalis et ſine cerebro natis, iis itaque non defuiſſe congruas vitae cauſſas. At, qui ita ſentiunt, non perpendunt, in vtero hos per matrem vixiſſe foetus, extra vterum autem nec per tantillum temporis punctum ſuam protrahere potuiſſe vitam, eaque propter ob deficientem ad aliam vitam, diſpoſitionem pro vitalibus eos aeſtimandos non eſſe. Monemus tandem, in eiusmodi caſibus, quod nec culpa nec dolus in parientem cadit, ipſaque inſpectio et aperta viuendi impoſſibilitas rem decernit, ream quoque a iudice abſolui. Accidit autem frequentius, vt explorandus

medi-

medico proponatur per partum editus infans, mater vero neſciatur, ſi v. c. expoſitus inueniatur ille, quare de accedentibus, quas diximus cauſſis ille referre ad iudicem accurate nequeat, tunc neceſſe eſt, vt perpendat omnia in nato occurrentia phaenomena eaque rite annotet, quo, matre detecta, reliqua ex doctrinae ſuae fonte perquirens adiiciat, vel, vt ex fide dignis teſtibus, ſi haberi queant, certiora ſciantur, iudici committat.

§. V.

Signa vitae: *α*) ex ſuperficie corporis.

Vitalis ergo foetus ſecum affert aliqua indicia, ex quibus palam fit, eum etiam hanc inceptam diutius prorogare vitam poſſe, ni impediatur a variis, ipſi oblatis, grauibus ac vitae inſidioſis impedimentis. Ex quibus indiciis itaque primo ad ſuperficiem corporis reſpiciendum eſſe arbitramur, quippe quae oculis primum oblata eſt intuentium. Sed, quoniam ita corpori ſuperinducta ſunt integumenta, quae communia vocantur, vt nulla pars corporis ab ipſis non inueſtiatur, ea integra inueniri opus eſt, nitidaque vbique et quaſi expanſa. Quae etenim ſulcata et praeter naturam variis inſtructa deprehenditur rugis cutis, vt fluctuet quaſi nec cohaereat, eam iam ante partum ſufficienter enutritam non fuiſſe, inde diſcimus. Eſtque ſimul ſtudioſe diſcernendum, num ante aliquot iam dies natus fuerit infans,

nunc

nunc diiudicandus, quod per ſigna putredinis dilucidatur, num vero recenter demum excluſus habeatur. In quo poſteriori caſu non parum iuuat inquinamentorum, quae ab vtero adhaerent, et liquoris amnii quisquiliae ſunt, praeſentia. Hae nempe puritatem tegumentorum minuunt, et ab aere externo in albidum ſplendentem quaſi mucum conuertuntur, qui tepida aqua adhibita facile ſolui detergique poterit. Suprema etiam cutis lamina ſeu cuticula, tunc plerumque firmiter adhaereat et rudiorem paullo ferat frictionem, quae, ſi cito et facillime ſeparatur, non leue putredinis iam incipientis ſignum eſt. Siquidem in viuente etiam homine, quod tenerrimorum vaſculorum apices eius textum efficiunt, videamus conſuetos eosque non leues attritus ſine iniuria perferri, a quibus ſane in utero contentus foetus viuus, qui aquis innatans molliter habetur, immunis cenſetur, vt ea propter iam ante mortem cauſſam aliquam adfuiſſe, quae huius epidermidis et cutis reliquae nexum turbauerit, iure cenſeatur. Hanc vero aliam inuenimus nullam, quam quae a defectu nutrientium ſuccorum in acri putredinis natura ponitur. Emolliunt quidem aquae, corpori circumfuſae noſtro, praecipue ſi illae tepidae fuerint, prout in lotricibus quotidie videmus et defoedant cutim rugis, ſed hunc etiam effectum ab aquis vterinis metuendum non eſſe, et in omnibus recens natis habenda experientia confirmat, et aeris, quae ad vterum penetrare nequit, ab-

ſentia

ſentia et tandem ipſa virium vitalium efficacia. Aliter e contrario ſentiendum eſt de foetibus, in aquas proiectis, ibidemque per aliquot tempus reſtitantibus, quibus rugoſa et flaccida redditur cutis, ex totius tamen corporis intumeſcentia oedematoſa non obſcure coniicienda cauſſa. Vbi vero tempus, a quo iam enixus fuit foetus; non latet, ibi ſimul cum his, ſi inſufficientia viſa fuerint iudicia, alia combinantur, liuor praecipue, in maculas aliquando latas diffuſus, virideſcentem vel ex rubro et coeruleo variegatum colorem cutis efficiens, quippe qui non leuiorem, ſed iam maiorem, a putredine factam, reſolutionis humorum ipſiusque ſanguinis fatiſcentis corruptelae gradum deſignat, atque magis docet, recens nati vitam diu extra vterum durare non potuiſſe, quae iam ſui partem antea perdiderit, praecipue, ſi in veſiculas, ſero turgidas, cuticula exſurgat, gangraenae ſphacelique acceſſum manifeſto innuentes. Si etiam tunc ex naturali inteſtini recti orificio, meconium exeat, vixiſſe in partu foetum non nulli adſerunt, quod tamen ad vitam, poſt natiuitatem actam, cognoſcendam nihil facere, cum et mortuis fluat, adſtruit HEBENSTREITIVS *k*), niſi forte ipſa, de qua alibi exponemus, partium interiorum diſquiſitio, magnam inteſtinorum craſſorum euacuationem factam fuiſſe declaret. Vix autem attinet dicere, clauſum et concretum

k) Lib. cit. Sect. II. membr. II. cap. II. §. 31

cretum ani orificium, vel alios meatus nondum apertos, non vitalem foetum indicare, vt HIPPOCRATES vult, cum huic etiam aſſerto refragetur medica experientia et illis malis tollendis auxilia praecipiat chirurgia. Maior tandem et confidentior eſt in totius corporis membrorum proportione vitalis foetus ſignificatio, quam vero talem adſumimus, vt decens eorum ad ſe inuicem relatio ſit. Licet namque ea ad amuſſim haberi nequeat, atque in magnitudine aeque ac in reliquis conditionibus diuerſarum partium in viuis etiam hominibus innumera paene ſit diſcrepantia, communis tamen cognitio, et quam anatome ſuggerit, quid deficiat, vel ſuperſit, medicum poterit certiorem reddere. Adnotentur autem ſimul ante omnia, quae ſupra de vitalitate diximus, et quae ad incompletam membrorum conformationem pertinent. Leves quidem defectus, vt digitorum coalitus, in manibus forte pedibusque obuios, non curamus, quos alii *l*) ad imperfectum foetum referunt, cum vnusquisque has partes, ſimilesque deficientes vel mutilatas vitae inſidias non ſtruere intelligat. Magis ad conformationem capitis, pectoris, immo etiam imi ventris reſpiciendum eſt; collatis ibi reperiundis mutationibus cum illis naturalibus, quas anatomes beneficio medicus nouerit. Sic nimirum ab aquis intus ſuſceptis nimium turgens caput ſiue hydrocephalus, valde anguſtatum

tum

l) *Zacch.* I. cit. p. 48. *Loew.* theatr. p. 24.

tum compreſſum et vix ſufficienter dilatabile pectus, abdominis anguſtia eiusque nimia breuitas, circa vmbilicum retractio, magis ſi ſimul fuerint cuncta haec momenta, vel ſi ſeorſim aliqua appareant, aut ſimilia, de vitalitate ambiguum reddunt iudicium. Interim membrorum omnium efformatio perfecta in foetu, cuius naturam ſoleter expoſuit ROEDERVS *m*), ita militat pro vita, vt de illa praeſumtio non incerta fiat.

§. VI.

β) ex pilis. Quam quidem maturitatis et vitae continuandae ſuſpicionem ſimul porrigunt capilli et crines, capiti inhaerentes ſuperiori. Mirum quidem eſt, quod, quum pilorum ſedes profunda ſit ſub cutis infima ſuperficie, ibidemque ex bulbillis ſuis vegetabilium more propullulent *n*), eos tamen a reliquis, nutritionem ſufficientem corporis producentibus, cauſſis non excitari, ſed derelictos quaſi diu immutatos perſiſtere, deinde etiam aliquos demum prorumpere, aliis ſemper adhuc intactis et quieſcentibus. Siquidem in natis et recte valentibus pueris obſeruatio doceat, barbam et pubem ſtato

m) Diſſ. de foetu perfecto. Goetting. 1750. in Opuſc. medic. Götting. 1763. 4. editis p. 71. ſequ.

n) Naturam pilorum egregie declarat *Ludwig* Diſſ. de humore cutem inungente, Lipſ. 1748.

to tempore progerminare, vt non incongrue inde perſpiciatur, ad incrementum pilorum aliquem requiri corporis vigorem et virium eam menſuram, quae ſit ſuperior neceſſitatibus nutritionis debitae faciendae. Confirmatur id exinde, quod foetus tenellus adhuc ſuo toto corpore politiſſimus inueniatur, nec in capite minima capillorum lanugo appareat, et quod vltimis demum menſibus capillitio inſtruatur. Ex quo conſequitur, vt, dum natura in reliquis partibus perficiendis occupata eſt, ea ad has non niſi aliis perfectioribus redditis, deueniat, medicus itaque ex repertis in capite pilis, maturitatis pene terminum et vitalitatis ſignum dignoſcat. Interim, quae in copia ſeu multitudine, longitudine et colore non raro occurrit diuerſitas, ſingularis notae momentum non eſt: nimis enim ſubtiliter argumentaretur, qui imbecilliorem paucis et breuibus, fortiorem multis et longis capillis ornatum iudicaret foetum. Adultis ſane eadem ratio eſt, nec robori corporis inde quidquam detrahitur, niſi ab aetate cauſſae quaedam deterioris nutritionis ſimul acceſſerint, in primis, quod primum nati infantum capilli frequentius ſenſim iterumque cadere ſolent.

§. VII.

γ) **Ex unguibus.** Eadem ratio vnguium eſt, laminarum ſcilicet earum cornearum, quae apicibus vtriusque extremitatis

digi-

digitorum appoſitae conſpiciuntur. Nam et hi ex profundioribus locis enaſcuntur et ex perioſtei continuatis fibris promanare dicuntur *o*). Ea vero eſt tenuioris et immaturioris foetus conditio, vt licet iam fiſſa manus et in digitos diremta, ſicuti pes extremus, appareat, obtuſus tamen digitorum apex vnguiculos nondum oſtendat *p*). Si paullo maturior euaſerit ille, habet quidem delineatorum vnguium formas, ſed molles, flexiles, membranaceos fere, quae duritiem pene corneam vltimis geſtationis menſibus demum acquirunt. Cauſſae, duriorem hanc ſubſtantiam compingentes, non ſatis quidem manifeſtae ſunt, eas tamen ab aere deducendas non eſſe, ſuadet illa vnguium durities, quae cornea ſtatim in maturo recensque nato infante, dum ex vtero prodit, detegitur. Vt exinde ad eam praeſtandam efficiendamque vim vitae non exiguam requiri recte arbitremur, et eos ad perfectioris foetus ſigna referamus, praecipue, ſi eos cum cute ita cohaerere videamus, vt qvamuis omnia mollia, et carti-

o) Confer *Ludwig* de ortu et ſtructura vnguium progr. Lipſ. 1748.

p) *Hippocrates* περὶ ἐπικυήσιος de immaturo foetu ſcribit: ἡ σὰρξ ὑπερέχει τῶν ὀνύχων. Οἱ δὲ ὄνυχες ἐλλείπουσι τῶν χειρῶν καὶ τῶν πόδων. Et *Haller* l. cit. Vol. VIII. p. 323. ſeptimeſtrem foetum vnguiculos nullos habere,

tilaginea pene ſubſint oſſicula, aliqua tamen ad eos reſoluendos opus ſit vi adhibenda.

§. VIII.

δ) ex oſſibus. Ingens etiam illa, quae a tenerrimo puncto ſurgenti foetui accidit, nutritio, ſicuti corneos indureſcere facit vnguiculos, ita quoque ſenſim in oſſibus eam, quae duritiem ipſis conciliat, materiam congerit, ita, vt oſſificationis hiſtoria omnino poſſit aetatis atque maturitatis foetus ſigna aliqua exhibere. De his vero nunc diſſerere ſuperſedere poſſemus, quod ex propoſito nobis ſcopo externas tantum notas diiudicare animus eſt, et in medicina legali oſſium diſquiſitio minus frequens eſſe ſolet. Attamen huius perſcrutationis neceſſitas ingruit, ſi forte talis demum offeratur foetus, qui iam per longum tempus ſepoſitus, partes molliores omnes putredine reſolutas habeat, vt earum indoles plane nequeat diſquiri, nec niſi oſſa ſuperſint. Quandoquidem ex his ſolis corpus delicti certum de vita foetus reddi non poteſt, quin potius ambiguum ſignum praebeant, ſunt tamen in oſſibus ſigna ſufficientia de aetate foetus, quibus edoceatur phyſicus, num, quem pro abortu excluſo venditat rea, cuiusque mors ipſi imputari non debeat, inter eos quoque ſit referendus. Sic, vt ex multis tantum capitis mentionem faciamus, centra in oſſibus eius iam indurata, oſſificationis puncta nominant, reliquo am-

ambitu molli et membranaceo, in immaturo foetu reperiuntur, longa etiam ſic dicta oſſa extremitates informes, cartilagineas referunt, carpi tarſique oſſicula pene omnia abſunt, nec niſi punctula quaedam adhuc continent, ſternum, nucleis oſſeis diuiſum, apparet, vt reliqua taceamus, quae in his determinandis oſteogenia ſuppeditat *q*). Scrupuloſior ſane indagatio adhuc plura, neque tamen, ſi ſoli huic ſigno fidere velimus, exceptione maiora argumenta exhibet, quod ex ſtudioſe collectis conditionibus ab HOFFMANNO *r*) clarum eſt.

§. IX.

ε) ex nutritione. Deinde in foetu ipſo nutritionis, ad illud tempus factae, quod ſpem facit vitae continuandae, ratio ex ſignis, in habitu corporis externo inueniendis, habetur. De cute ſupra §. V. diximus. Ea vero, ſi rugis et ſulcis deſtituta eſt, vbiuis quaſi repleta, egregium nutritionis rite factae indicium praebet. De quo eo minus dubitandum

 eſt,

q) Obuerſari potiſſimum debent animo medici perſcrutantis, quae accuratiſſime exponuntur a *Bern. Sigfr. Albino* in Icon. Oſſ. Foetus hum. Leid. Batau. 1737. 4. et in *Kerckringii* Oſteogenia foetuum. Amſteld. 1670. 4.

r) D. *Wilh. Chr. Hoffmann* diſquiſ. de oſſibus foetus, quatenus inſeruiunt eiusdem determinandae aetati in caſu ſuſpecti infanticidii. Francof. et Lipſ. 1751.

eſt; quod foetus aliquando, abortu reiectos, trium quatuorque menſium *s*), quos caſus excuſſerat ex matribus, ceteroquin ſanis, ita plenos conſpeximus, vt turgidi quaſi viderentur. Longe etiam plures foetui ac nato fontes conceſſos eſſe conſtat, ex quibus nutritio deriuetur. Siquidem non ex bene praeparatis et elaboratarum molecularum congerie onuſtis ſuccis tantum, iisque a matre aduectis, corpus ſtruitur, ſed in ſuo quoque corpore foetus glandularum quarundam officiis vtitur, quae natis nulla ſunt, vt itaque facile in eo abundans nutritio fieri debeat, toroſus euadat, omniaque membra, nunc natus, rotundula habeat, licet mollities imbecillitatem roboris oſtendat. Haec ipſa tamen mollities telae celluloſae, ſub cute reperiundae, diſtentae ſignum, adipis collectionem factam eſſe ſignificat, quam a lymphaticis particulis nutritiis deducunt phyſiologi, quaeque in futuros reponatur vſus. Marcor itaque corporis, flaccidus eius adſpectus, facies torua, quam ruga ſenili ſimilis arat, membrorum deficiens repletio, in foetu ſatis teſtantur vitam, quae in vtero iam ita comparata non fuit, vt euoluendis partibus par ſit, eam quoque, extra vterum viventi ſufficere non potuiſ-

s) In embryone trium cum dimidio menſium, abortu reiecto, qua faciem externam nitidiſſime deſcripto in progr. a *G. A. Langguth* Viteb. 1751 *artus ſuperiores et inferiores admodum toroſos* animaduertit. p. 8.

tuiſſe. Copioſiſſima quaeque quae in foetu adſunt vaſcula, et rubicundum externi corporis vbique colorem faciunt, ſuis deſtitui ſanguineis humoribus per pallorem ſi docent, debilem vitam manifeſtant, arguuntque vitalitatis penuriam. Quodſi nihilo minus poſt partum denatus ſit infans, et tunc liuida in ſuperficie ſtigmata cum his ſignis obſeruentur, tunc cauere debet medicus, vt violentiae adhibitae ſigna aeſtimet, quae ex humorum ſpontanea reſolutione naſcuntur, evidentius adhuc, ſi maculae, putredinis teſtes §. V. deprehendantur. Non poſſumus tamen non adnotare, conſtantiora adhuc ſigna colligi poſſe, ſi nempe nutritionis foetus doctrinam plene intelligere velimus, ex ſtatu matris, dum vtero gerebat, ſuumque nutriebat embryonem.

§. X.

5) ex pondere.

Haec quoque nutritionis hiſtoria ſponte nos ducit ad pondus, quod foetui naturale eſt, conſiderandum. Incipiamus autem a maturo, per nouem conſuetos menſes geſtato. Qua in re facile quidem largimur, non vnam ſed multiplicem varietatem eſſe debere, idque haud immerito coniici a rerum peritis, quum omnis conditio redeat ad nutritionis in vtero diuerſitatem. Nec negamus, robuſtas, labore induratum corpus habentes, ruſticasque matres, vt meliorem praebent infantibus ſuccum, ita etiam prae tenerioribus, vrbanis et delicatulis femellis, ponderoſiores eniti foetus, vt certam

tam ponderis normam inuenire ſit impoſſibile. Inter ea tamen, quod ea foetus incrementi in vtero eſt ratio, quae ab euoluendarum partium perfectione et ab vteri cedentis reſiſtentiis definitur, quos, ſi attigerit foetus, fines, in vtero amplius retineri nequeat, ſed emittatur, parum vtique erit in vitae genere et reliquis conditionibus diuerſitatis, quae certum quoddam pondus non admittat. Licet autem inter tot foetuum diſquiſitiones propter reliquorum ſignorum ſufficientium ſyndromen mihi eam neceſſitatem nondum obueniſſe ingenue fatear, quae pondus recens nati trutinari abſolute exegerit, idque noſtrates etiam feminae, aliquando ſuperſtitioſae, admittere recuſent, tam multae tamen, a ROEDERERO *t*) factae experientiae, et in maturis aeque ac immaturis foetibus coeptae, in centum et tredecim diuerſis ſubiectis, quibus pondus maturi ſeptem inter et octo libras ambigere obſeruatur, vt iis adſtipulemur, fere nos cogunt. Adnotauit quidem HALLERVS *v*), neogenitorum pondus ad nouem, decem, duodecimque libras, quot ſint nouem menſium periodicae expenſae ſanguinis *x*), adce-

t) Diſſ de temporum in grauiditate et partu aeſtimatione. Gotting. 1757. in Opuſc. p. 29.

v) Elem. Phyſiolog. Vol. VIII. p. 372. et p. 416.

x) Sed ſanguinis etiam menſtrui pondus variare probat alibi. *Idem* Vol. VII. Part. II. p. 145.

ceſſiſſe, immo CRANZIVM foetum viginti trium librarum, alium viginti ſeptem reperiſſe; nec non LOESERIVS *y*) viginti libras et vltra, tanquam naturae conuenientes adſumit; ſed hae diſcrepantiae eo minus inutilem aut ineptam ponderis animaduerſionem reddunt, vt potius, ſi cum aliis conferantur conditionibus, inde ſatis diſtinctum euadat de maturitate foetus iudicium. Quod ad eam molem corpus tenellum deuenire non potuiſſet, niſi ea adfuiſſet virium vitalium quantitas, quae ad illam ſuſtinendam requiritur et quae porro illam fulcire valet, ita quidem, vt regulam ponat ROEDERERVS: *Immaturorum foetuum pondera inter quintam ſextamue libram media eſſe, maturorum ſex libris raro minora, immo immaturum foetum certa fide non probare ſexta libra pondus inferius, ſed probabili ſaltem, et ex comparatis reliquis indiciis limanda.*

§. XI.

ζ) ex longitudine. Eodem quoque modo de longitudine foetus et certa inde ſumenda menſura iudicandum eſt. Etſi in hac, vt mox monſtrabimus, conſtantiorem quandam normam obſeruauerimus, tamen eorum iterum vix euitare poterimus dubitationes, qui, praeter ſupra adductam hominum diſcrepantiam, grauidae ſtaturam bene penſitandam eſſe autumant, quo-

y) Phyſiol. cap. 35. §. 427.

quoniam abdominis, quibus coercetur vterus, limites magis extenſionem foetus, quam molem eius definiunt. Fauentia quoque huic opinioni aliqua habuimus exempla foetuum, ex ordine naturae natorum, ſed exiguorum, quorum vero matres, paullo ſtudioſius examinatae, in partu quidem ſanae, tempore geſtationis tamen variis conflictatae ſunt morbis, ſine dubio non adeo egregiae nutritionis et incrementi auctoribus. Porro ſtaturae diuerſitas in gemellis conſpicitur, quorum alter magnitudine non raro ac robore alterum ſuperet, et quorum multa notata legimus exempla, vt etiam ſuperfoetationis lubricae hypotheſi inde argumentum ſumi ſoleat. Staturam a matre patreque deriuandam eſſe coniicit HALLERVS *z*), quam vtriusque parentis ſaepe diſcrepans longitudo vix determinare permittit, ſi recte ſentimus, ni crebrioribus obſeruationibus veritas confirmetur. Longitudinem recens natorum plerumque viginti vnius pollicis eſſe PETITVS *a*) adſerit, atque vix decem, ſupra pedem vnum, pollices maturos foetus attingere ROEDERERVS *b*) auctor eſt, intercedentes etiam differentias ex permultis obſeruationibus collectas definit. Cum quo noſtrae etiam conſpirant adnotationes, quibus conſtitit, viginti et vnum, non raro

z) Lib. cit. p. 424.

a) Hiſt. d. Acad. Roy. de Scienç a Paris. Ann. 1733. p. 1.

b) Opuſc. citat. p. 46.

raro duos, pollices vlnae Lipſicae adaequaſſe pleroſque, aliquos ad decem et nouem acceſſiſſe, duos etiam viginti et quatuor pollices pene ſuperaſſe, hos vltimos autem a ruſticis matribus progenitos fuiſſe. Hoc itaque e ponderis phaenomenon, normam exhibebit, ex qua non plane inanis ad vitae praeſentiam neogeniti concluſio fieri poteſt a medico legali, quod vtique vltimis menſibus grauiditatis longitudo minus ac molis augmentum creſcat, hinc, quae pede vno et dimidio minor non eſt, perfectionem euolutionis praeſagiat, quae ceteris phaenomenis certior euadat.

§. XII.

η) Ex funiculo vmbilicali.

Porro, qui primam et vltimam foetui nutritionem liberaliter porrigit, funiculus vmbilicalis conſiderandus eſt. Succis ille vitalicus, qui ad foetum feruntur, et ab eo recedunt, irrigatus perpetuo, externis ſuper inductis inuolucris, ita tutus praeſtatur, vt vaſorum licet vario flexu, progreſſus tamen intus contentorum humorum non impediatur, quamdiu nexus funiculi manet atque placentae in vtero. Si autem eueniat, vt funiculus, reſtitante adhuc in vtero foetu, rumpatur aut deſtruatur, niſi breuiſſimo ante partum tempore id contigerit, valde dubitamus, num ſupereſſe diu foetus poſſit, aut vitam extra vterum vlterius durantem recipere, quum reliquae, quae foe-

tum ſeruare creduntur ab aliis propoſitae viae ad- modum ſint obſcurae et incompetentes *c*). Nec de his quaeſtio in foro mouebitur, quod foetus ſine vmbilicali funiculo natus, ex iam dictis cauſſi merito pro talis habetur, qui matris culpam in ſe nullam agnoſcat. Ex praeſente e contrario funiculo ſemper indicia requiruntur, quae vel de vita in vtero teſtantur, vel eam poſt partum adhuc declarant. Longitudinis eiusdem, licet homini inter reliqua animalia maxima ſit, diverſa quidem eſt ratio, is tamen aliquando, ſi aliena occupet loca, et v. c. collo obtorqueatur, *d*), nec prudenti manu obſtetricantis, vt artis eſt, in partu remoueatur, ſuffocationis pericu- lum iuducere valet. Quare tunc medicus legalis ſigna, in corpore conſpicua, teſtes antegreſſae ſuffocationis, colligere debet, non poterit tamen, ſi aliunde cognoſcatur, parientem ſolam fuiſſe, foetumque auxilio deſtitutum, in matrem culpa ſola coniici, quae etiamſi cupida, noxam auertere nequiuiſſet. Ceterum eadem longitudo conueniens motum et incrementum foetus in vtero liberum fuiſſe denotat, et reliquis ſignis vitae felicioris adnumerari poteſt. Gracilis autem, collapſus, et rugoſus, qui eam, quae vaſa eius interce-

c) Legi meretur. *G. A. Langgvth.* Diſſ. de nutritione foetus per ſolum vmbilicum. Viteb. 1751.

d) *Hebenſtreit* Anthropol. Sect. II. membr. II. cap. II. §. 44.

cedit, ſpongioſam gelatinoſamque ſubſtantiam nimis parcam obtinet, aeque ac colore peregrino, flaveſcente vel nigricante imbutus, magis, ſi eius quoque tegumenta putredine ſecedant, vel totus mollis, facile fatiſcens, id, quod prae reliquis partibus hic citius fit, reperiatur, in neogenito certum dat, vitae iam ante partum ſuppreſſae, indicium, cui adſtipulari debent aliae, in corpore obſeruandae conditiones. Quod vero in cadauere non effluit ſanguis, niſi ſumma putredine, fermentatione quaſi facta, excuſſus, vacui et ſanguine deſtituti funiculi, cum integritate reliqui corporis animaduerſio, vitae etiam poſt partum teſtis haberi poterit, ſi cadaueris diſſectio vaſorum interiorum vacuitatem ſignificet. In primis, ſi nimis breuis ab exitu eius in corpore contigerit reſolutio, quae in ſoro praecipue attendi meretur. Quaeritur etiam, an reſectus ille vel dilaceratus, nec vinculo conſtrictus, vitae magis inſidias faciat nec ne? In vtramque autem partem multum quidem disputatur ab auctoribus; circumſpecte tamen iudicandum eſſe remur, denuoque monemus, ſolum hoc ſignum fidem non facere. Quo longior enim funiculus, omnium minime ſi cum placenta connexus, generatur, eo difficiliorem haemorrhagiam letalem futuram eſſe opinamur, niſi nimis praecox, in vegeto foetu, eius ſeparatio tentetur, id, quod etiam ſtantibus et praecipitem foetum emittentibus, matribus accidere poteſt. Siquidem vigor circula-

culationis ad has partes ſanguinem determinet, libereque eum effundat. Perinde nihilo minus eſt, ſiue reſecetur, ſiue diſrumpatur, vita namque foetus confirmabitur ex his tunc demum, ſi reliquarum et internarum partium ſcrutinium ſuſcipiatur ſimul.

§. XIII.

ϑ) ex ſugillationibus.

Pergit autem in perquirendo corpore foetus, de vitae certitudine ſtabilienda ſollicitus medicus, vt poſt mortem apparentia ſtigmata liuida, rubicunda vel alius coloris ſupra §. IX. adducta, num vitae poſt partum praeſentis vel mortis antecedentis effectus ſint, curatius diiudicet. Multum certe intereſt iuſtitiae, certa poni ne inſons ſeueriori ſententia grauetur. Quippe quum et noſtris temporibus quibusdam, exterioris ſuperficiei a ſtatu ſano recedentem mutationem coloris quamcunque vitae naſcentis ſignum offerre, arrideat opinio *e*). Et, licet facile largiamur, in cadauere iam frigido, coagulati ſanguinis maſſam ex vaſis exire multo minus ex minoribus exprimi non poſſe, hinc maculas etiam non excitari, tamen adeo difficulter veritas eluceſcet, ſi alibi iam apparentes putredinis notae affirment, eas

e) Nihil certi e contrario in hoc genere medicum poſſe aſſerere, nimis inſufficienter ſtatuit *Fortun. Fidelis* de relat. med. Lib. IV. Sect. V. cap. 2.

eas, quae ſuperficiem tantum alieno colore pingunt, nec profunde penetrant, effectus huius cauſſae exiſtere. Quoniam perſpicuum eſt, putredinem, denſas ſolidasque partes deſtruentem, ad ſoluendos ſuccos minimaque vaſcula eo magis aptam fieri, idque eo citius poſt mortem contingere, ſi conditiones aliae, vt tempeſtatis calidioris, foetus ſub ſtragulis retenti, vel ſimiles concurrant. Sed, ſi rubicundus ſanguis, ex vaſorum receptaculis emiſſus, ſub cute haereas, eamque in tumorem excitet, tunc ſerius ea de re cogitandum eſt. Si enim demortuum demum natum fuiſſe ponas, in vtero iam ſugillationes factae praeſumerentur, quod ob vteri amplitudinem, et aquarum circumfuſarum defendentium copiam, partiumque mollitiem nullam veri prae ſe fert ſimilitudinem; ſi vero in partu ipſo excitatas eſſe ſtatuas, tunc non deerunt alia ſigna, ex quibus certiora intelliguntur. Partui enim difficultates multae obiiciuntur. Fieri itaque inter alia poteſt, vt caput vel diu impactum haereat in exitu, compreſſa ergo integumentorum vaſa et rupta ſanguinem fundant, vel obliquus eius ſitus ſit, id, quod, ſi ex matris etiam confeſſione non conſtet, ex figura capitis, plerumque elongata, ex faciei tumore, tandemque ex interiorum viſcerum diſquiſitione pateſcet. Cautos eam ob cauſſam iuniores medicos eſſe volumus, ne in ſectionibus, ob ſanguinis, ſub capitis integumentis aut ſub pericranio praeſentiam, violentiae externae

teſtem

teſtem certum ſe detexiſſe concludant. Idem eſto de extrauaſato in dorſo et ſcapula deprehendendo ſanguine iudicium. Eſt quidem infallax vitae, in partu adhuc vigentis *f*), indicium, violentiae vero accedentis ambiguum, ad cuius confirmationem pluribus, ex cadauere collectis ſignis opus eſt. In memoriam venit recens nati pueruli, nuper in foro diſſecti exemplum, cuius in capitis ſiniſtro latere, ab auribus ad collum vsque plures rubicundae diuerſae magnitudinis maculae detegebantur, immo ſimiles thoracis latera ad coſtarum ſpuriarum ſedes vsque occupabant, quae, dum ſtudioſe corpus abluebatur, non diſparebant. Remotis etiam integumentis, in his diſtenta vaſa occurrebant, nihil autem illius erat effuſum. Sub pericranio quoque ſupra os bregmatis ſiniſtrum ſerum, ſanguine tinctum, ſed parca quantitate, aderat *g*). Vitam foetus in partu adfuiſſe negandum non eſt, eam tamen extra vterum non continuaſſe, ſuadebant pulmones ſubſidentes, nec a matris culpa foetum periiſſe, omnis exterioris laeſionis abſentia aſſeuerabat, turgida etiam et plena cruore omnia conſpiciebantur

f) Quod pluribus argumentis confirmat *H. F. Delius* in diſſ. Sugillatio quatenus infanticidii indicium. Erlang. 1751.

g) Serum ſanguinolentum ſub caluariae integumentis phlegma partu duriore collectum nominat *Hebenſtreit* l. c. §. 43. et *Ludwig* Inſtitt. Med. forenſ. §. 268. ſeq.

tur vaſa, nec durae piaeque matris et plexus choroidei exceptis. Nimis autem elongatum, compreſſumque caput et pectus quoque ſiniſtrorſum vehementer obliquum redditum, partum difficilem fuiſſe, in exitu foetum enecantem, oſtendebant, vt cum fiducia renuntiari potuerit, mortuum fuiſſe natum.

§. XIV.

1) ex laeſionibus externis. Non ſolum autem extra vaſa ſubſiſtens ſanguis vitae eſt confirmatio, ſed etiam, ſi omnis ex vaſis effluxerit, vt pallidum corpus nati eodem deſtitutum occurrat, ſine hac id non contigiſſe, iure cenſetur. Effluit autem ille per vmbilici vaſa aut per externa illata vulnera. Haec aeque ac laeſiones aliae quaecunque etſi inquirentibus ſponte patent, non tamen protinus, an vitam ademerint, manifeſtum eſt, praecipue, quodſi per reliquas notas vitae praeſentis certitudo nondum eſt reddita. Sicuti vero in laeſionibus inquirendis primo occupatur medicus, ne aliarum partium diſquiſitione laeſi loci mutatio quaedam producatur, ita etiam per partium adfectarum cognitionem demum definiet, quantum interſit vitae integritati harum partium oblata deſtructio. Sed quis eſt, quin intelligat, externi corporis indagationem non ſufficere, ſed ad interiora penetrandum eſſe. Leuiores certe integumentorum corruptelae, etiam animo occidenti inflictae, vi-

tae

tae durationi nihil detrahunt, immo luxationes, fracturae artuum reſtitui poſſunt arte chirurgica, et rarius periculoſae euadunt neogenitis, vt iudicis potius, quam medici ſit in ſimilium laeſionum occaſiones inquirere. Vnicum tantum momentum adducemus, fonticuli nempe ſeu fontanellae, cuius depreſſionem inter ſigna illatae vis externae referre ſolent. Quum enim rhomboidalis ille ſincipitis hiatus ſubiectam habeat nobiliſſimam cerebri partem, eius ſane compreſſio animales vitalesque functiones debet eo certius delere, quo fortior vis adhibetur. At in mortuo ſubſidens cerebrum etiam huic loco ſpontaneam permittit depreſſionem, quae, niſi iniuriae perpeſſae externa ſigna, vt liuidus circulus *h*), vel alia occurrant, demum ex ipſius encephali et vaſorum ſanguiferorum ſtatu penitius diiudicatur.

§. XV.

κ) ex calore, motu poſt partum et et ſpuma eris.

Ab illis nunc ſignis, quae in mortuis, quos in foro diſquirendos ad vitae rationem reddendam habemus, infantibus detegimus, ad ea veniendum eſt, quae in viuis adhuc conſpiciuntur. Sed, pauciſſima de his dicenda ſunt, quod nemo, ſi circulationem et reſpirationem videat, de vita dubitet. His eminentibus tamen actionibus non ſatis diſtincte apparentibus, ad

h) Exemplum adducit *Aberrti* l. cit. P.II. p. 119.

ad calorem in mox nato deprehendendum, ad motum, ab illo praeſtitum, et ad ſpumam, in ore conſpicuam, prouocatur, tanquam ad fida poſt partum viuentis indicia. In illis autem, quae clanculum pepererunt, haec, etiamſi confeſſae fuerint, tamen dubitationibus obnoxia ſunt. Calere namque poſſunt neogeniti, quibus mox in partu vita adenta eſt, perdunt autem calorem, viribus internis non ſuſtentatum, ocyſſime. Deinde in partu iam ſuffocati, eximio docente ROEDERERO *i*), artus quandoque mouent, nec vlterius viuunt. Niſi, ſubtilius vitam profecto imperfectam, dicere velimus, quae in moliminibus ſine effectu conſiſtit, quae etiam, ſi alia ſigna reſpondent, ab inſuperabilibus in corpore obſtaculis mox praepeditur. Spuma tandem, ſi in vniuerſum abeſt putredinis ſuſpicio, a viſcido, natura faucibus inhaerente, ſub vel poſt partum poteſt excitari. Quare adnotari quidem debent haec, ſed ad enucleanda illa phaenomena denuo alia requiruntur ſubſidia.

§. XVI.

λ) ex placenta.

Craſſa tandem, ſpongioſaque ſecundinarum pars, quae placenta appellatur, et quam partem foetus nuncu-

i) Obſeruat. de ſuffocatis ſatura. Obſ. 4. ſqq. Opuſc. p. 291. ſpq. vbi ſimul reliqua conſideranda momenta traduntur.

nuncupat HARVEVS *h*), vitalitatis documenta praebere creditur, dum illa vel ſimul cum foetu ſequitur, vel ſucculenta et turgida occurrit atque magnitudine ſua ſpem facit ſufficientium per eam adductorum ſuccorum. In his tamen notis nihil eſt perpetui. In facili namque aeque ac in difficili partu nunc facilius, nunc aegrius ſecedit placenta, nec non parenchymatis eius maſſae et magnitudinis frequens occurrit diſpar ratio. Si vero in flocculos ſecedat, mox extracta, vel per partes ſoluatur et putredo appareat, tunc euidentius ſane in vltimo ſtadio geſtationis embryonem male nutritum fuiſſe indicat, et cum ſignis deficientis nutritionis in foetu §. IX. conferri meretur.

§. XVII.

μ) ex puerpera. Poſſunt autem, ſi matris ſimul copia detur, in eius quoque corpore, ad diagnoſin vitae foetus probabiliorem reddendam, notae quaedam inueniri, quae ad tria genera referre liceat. Alia nempe anamneſtica ſigna ſunt, de ſtatu ſanitatis in grauiditate, alia in partu, alia poſt eum adnotanda. Sed in anteceſſum monendum eſſe arbitramur, haec fere omnia mature colligenda eſſe, quum breui poſt partum abſolutum tempore vel euaneſcant,

h) De Generat. Animal. in additamento de placenta vterina. p. 394. edit. Amſteld. 1651. 12.

neſcant, vel ad demonſtrationem inutilia euadant. Sanam geſtationis tempore grauidam communia indicia ſanitatis docent, medico ſuae artis gnaro non obſcura. Magna deinde bene valentis foetus praeſumtio eſt, ſi grauida nec leuioribus quidem, multo minus grauibus conflictata fuerit morbis, ſi vehementiore animi commotione eam perturbatam fuiſſe non probetur, ſi externa corpus eius violentia non afflixerit, quae noxam foetui intulerit, ſi mala corporis, in primis peluis, conformatio partum difficilem eſſe debuiſſe non vero ſimile reddat, ſi tandem illa, ad abortum promouendum, intempeſtiuis remediis non fuerit vſa. Quum contra, ex praeſentibus hiſce conditionibus, quarum veſtigia tunc vel in corpore parientis ſuperſunt, vel fide dignis teſtibus corroborantur, praecipue, ſi neogeniti diquiſitio idem declarat, inſidias vitae naſcentis letales inde affirmare cogamur. Nec minor probabilitatis gradus quidem oritur, foetum recte valere, dum motus in vtero ſe percepiſſe non ſolum, ſed etiam ſucceſſiue intenſiores ſe expertam eſſe grauida confiteatur, ſiquidem id naturae conſentaneum ſit. Aſt, quod motus hoſce circa geſtationis finem defeciſſe adſtute plerumque fingunt reae, non poterit rei veritas, niſi ex ipſius foetus perluſtratione, luculenta reddi. Euidens quoque partus ipſe ſignum exhibet, ſi nempe debito et quo maturus factus eſt foetus, tempore contingit. Hoc itidem ex perfectione illius intelligitur, quae,

ſi etiam ſeriori, ac ſolenne eſt, partu prodeat, eo plenior habebitur. Comparatus autem neogenitus, cum eo, quem puerperae nonnunquam indicant, conceptionis termino, veritati obductam nubem diſcutiet. Addunt quidem, facilem, quae breui temporis ſpatio abſoluitur, partum, qualis clandeſtinum partum edentibus non infrequens eſſe ſolet, vitam foetus arguere, quod propriis ille viribus motibusque ſeſe expediens eum acceleret, dummodo, abortus aeque ſubito ac facile generari, immo poſt mortem matris aliquando foetus excerni, non obſtaret. Difficilium autem partuum ea eſt ratio, vt ſine auxilio accedente fieri raro poſſint, et notis quoque §. XIII. externis dignoſcantur. Quod autem poſt partum etiam ſingularem in ſuſcipiendis conſuetis negotiis puerperae aptitudinem ad diagnoſin vitae foetus referunt, eam pari modo non in vniuerſum valere iudicamus, quoniam ex abortu et difficili partu eadem ratione nonnullas breui interiecto ſpatio refocillatas reſtitui experientia docet; ac alias a facillima ſolutione foetus grauiter decumbere. Hinc multum ad corporis puerperae diſpoſitionem et cauſſas accedentes referendum erit. Plus certe in lochiorum natura certitudinis eſt: haec enim ſanguinea, nec peregrini odoris, ſine acredine prodeuntia et ſenſim imminuta plerumque viuos ſubſequuntur; putrida vero, grauiter olentia, dolorem ex eroſione partium, per quae delabuntur, excitantia, putrilaginoſis placentae par-

particulis ſimul exeuntibus, emortuos, immo iam putridos foetus. Interim et hi, quatenus opinionem hanc fulciant, ex ſupra dictis intelligitur.

§. XVIII.

Quae itaque iam expoſuimus, ad externam tantum corporis foetus et neogeniti ſuperficiem pertinent, atque generales inſtituendæ diſquiſitionis notas oſtendunt, ex quibus haud difficilis eſt futurus medici forenſis labor, ſi ſingularium partium indicia ſubtilius percurrendo, cum vniuerſa oeconomia animali comparare libuerit. Etiamſi aliquae ex his ſolae certitudinem non habeant, eam tamen collectae conſequuntur non raro, et tandem fallere amplius non poſſunt, ſi ſimul cum iis conferantur, quae ex perſcrutatione interni et diſſecti corporis pateſcunt, quo demum, quae in foro deſideratur, corporis delicti certitudo firmiſſima euadat. Haec autem momenta ad aliam differre occaſionem nunc iubemur.

XV.

DR. ERNESTI GOTTLOB BOSE.

Diſſertatio poſterior,

De

Diagnoſi vitae foetus et neogeniti.

Lipſiae, 1771.

Reſpond.

CAROL. CHRISTLIEB BETHKE.

§. 1.

Inſtituti ratio.

Conſiderauimus alio tempore * externam tantum recens nati hominis ſuperficiem, ex qua, quantum de vita eiusdem ante et poſt partum haberi poſſint indicia, medicum forenſem inſtruentia, declarauimus, ſimul autem interius in diſſecto corpore inuenienda momenta his iungenda eſſe monuimus, de quibus itaque iam nobis agendum erit. Certitudo namque corporis delicti omnem pene abſoluit paginam et fundamenta ſuggerit iuris perito, qui de culpae, et laeſio-ne

* Vid. Diſſert. antec.

ne vitae enatae, poena velit iudicium ferre. Et talis pene eſt omnium horum ſignorum inter ſe perpetuus nexus, vt collecta demum inde omni exceptione maiorem ferant ſententiam. Quare aliqua iam ſuperius dicta etiam huc referenda eſſe vnusquisque facile perſpiciet, qui cuncta ſimul ſumta recte aeſtimauerit. Si nempe extus iam appareant putredinis notae; facile, num intus penetrauerit illa et quousque, ſcita docebit diſſectio. Haec autem nunc ſuſcepta, ita plerumque ſolet inſtitui, vt de infimo ventre incipientes phyſici ad ſuperiora loca diſquirenda adſcendat, quem, etſi conſuetudinis magis quam neceſſitatis ſit norma, morem tamen et nos nunc ſequemur, vt quantum poſſit demonſtratio vitae ex ſucceſſiua partium contemplatione confirmari, intelligatur. Vnicum id tantum addimus, ſi verae et euidentes quaedam corporis externi laeſiones, ad internas partes continuatae, occurrunt, eas primo loco ſtudioſe indagandas eſſe, ne forte in directione et via earundem mutatio exoriatur, dum per reliquarum partium adminiſtrationis indagationem ſitus, qui per naturam partibus ineſt, turbatur. Quam quidem animaduerſionem ſumme neceſſariam eſſe iudicamus, quo grauior redundat culpa in ſecantem, qui haec neglexerit, et quo plura defendendi reum inde enaſcuntur argumenta, ſi delicti corpus ſufficienter non probatur. Deinde, quum in legali corporis ſectione vno quaſi obtutu partium internarum ſedes et cohaeſiones diiudi-

care debeat medicus ſecans, per ſe patet, non leuem in eo eſſe debere anatomes peritiam, ne forte fiſſuras mollium partium et naturales diuiſiones, vel oſſium ſeiunctas in infantibus partes, adhibita quadam violentia externa laeſas fuiſſe atque male tractatas opinetur et enunciet, quippe quum hac ratione inſontem accuſet. Nos vero dum haec praeſupponimus, excuſationem nos inuenturos eſſe arbitramur, ſi generales tantum quasdam adnotationes paſſim ſubiunxerimus.

§. II.

Generalis abdominis et viſcerum conſideratio.

Perpenſis itaque omnibus illis, quae ex corporis ſuperficie externa colligi poſſunt, conditionibus, protinus communia, quae vocantur corporis tegumenta, a parte tamen antica corporis praecipue remouentur, quo nempe ad intenas viſcerum ſedes aperiatur via. Sub his occurrens, ſingulari dignitate inſtructa, tela celluloſa, *a*) eaque pinguedine vt plurimum farcta, primum quaſi vitae indicium praebet, anteactae. Siue enim illa in hoc loco, ſiue etiam intermuſculorum interſtitia, praecipue quae pectoris muſculos intercedunt, copioſa

a) De hac legi meretur *Schobingeri* Diſſ. de telae celluloſae in fabrica corporis humani dignitate, ſub praeſidio *Halleri* habita Goeting. 1748.

ſa inueniatur, eaque in vegeto ceteroquin nec putrido infante, vt eſſe ſolet, denſa et compacta reperiatur, quamuis infantum pinguedo ſoleat prae adultorum tenuior eſſe, tunc vitam ante partum non concuſſam aut perturbatam arguit. Idque eo magis ex corruptelae abſentia poteſt intelligi, quod inter omnes fere corporis noſtri ſuccos oleoſa adipis natura a morte facillime acris reddita, quaſi fatiſcat. Haud parum tamen iuuat ipſa muſculorum contemplatio, quippe qui rubicunda et egregie colorata ſua carne integritatis cauſſarum, vitam facientium, argumentum praebent. Quodſi tandem externae ſuperficiei indolem denuo cum his comparauerit ſcrutator, quantum ponderis ſententiae hinc accedat, clare perſpiciet. Hinc abſque vlteriori mora ad ea, quae in imo ventre, ſeu ſic dicto abdomine continentur, perluſtranda properare poteſt, Multa quidem ſunt eaque varia, hic per naturam concinne diſpoſita, viſcera, quorum aliqua magis ad vitam faciendam concurrere, alia minus, nemo ignorat earum rerum gnarus, Singula vero ſtudioſe peruestiganda ſunt, ne, ſi forſitan vni alterique aliqua labes ineſſe inueniatur, haec, quod vitae continuandae obfuerit, in aliam, violentam forte aut malitioſe inductam coniiciatur cauſſam. Quodcunque etenim viſcus in habitu ſuo externo, interiorique ſubſtantia, immo in ſede proportioneque ſua, nec non ſi debitam habuerit mollitiem, denſitatemque, naturae conueniens inue-

nitur, illud pro ſano et integro recte iudicatur. Si vero aliquod ex his marcidum, flaccidum, obſtructum, induratum aut ſcirrhoſum, inflammatum, lividum, corruptumque detegatur, nec in reliquo corpore, quod alibi monuimus, quaedam appareant ſigna perpeſſae iniuriae, in his iam iam ſufficientes ineſſe conditiones concludimus, quae vitae foetus inſidias ſtruxerint, vel quo minus poſt partum illa diu ſupereſſe potuerit, effecerint. Singulare etiam eſt, naturae auctorem cuique horum viſcerum eum deſtinaſſe ſitum, qui functioni praeſtandae maxime ſit conueniens, a quo, ſi deflexerint, ſequi oeconomiae animalis confuſio neceſſario debebit, et quamuis leuis mutatio, quod in herniis ſaepe obſeruamus, protinus incommoda talia non producat, quae manifeſtis pateant ſignis, non poſſumus tamen non, quin peruerſam plane atque a natura abhorrentem viſcerum diſpoſitionem ita validam iudicemus, vt vitae vix incipientis igniculos celerrime poſſit extinguere, vel in aere viuentis noua ratione hominis, cito delere. Sed haec in vniuerſum dicta, ad ſpeciales partium indagationes ſollicite referenda eſſe cenſemus. Quum vaſorum, per vmbilici funiculum vlterius progredientium, riuuli euidentius detegantur, ad eorum quoque vacuitatem vel plenitudinem prima eſt conuertenda attentio. Hos enim in naſcente quoque homine ſanguine plenos eſſe decet, quo ſatis euictum ſit, ſine acceſſu ſanguinis rediтuque foetus vitam

ſer-

ſeruari nullo modo poſſe. Collabi eosdem et ſiccari ex funiculi vmbilicalis deſtructione ſponte conſequitur, quid tamen de hoc ſentiendum ſit ſupra docuimus. *b*) Nunc demum in foetu, cui nullas corruptionis notas ineſſe obſeruamus, vaſa vmbilicalia, praecipue arterias, ſanguine deſtitui, profecto ita diiudicare cogimur, vt cauſſae improuidae quae ſanguinem effluere permiſerit, culpam acceſſiſſe merito adfirmemus idque magis, ſi arteriarum itinera ad veſicae vrinariae latera proſequimur, quae proxime diſquirenti patent. Vena vero, ad hepar directa, nunc quidem non negligenda eſt, hanc autem a morte citius vacuam offendimus, quod ſanguinis reditus per hanc, dum vita aderat, ex impetu maternorum vaſorum et ex cauſſis communibus circulationis, adiuuabatur et inſtante morte vltimam quaſi ſanguinis accepti particulam ad hepar vrgebat. Vaſorum ergo vmbilicalium ad hepar directio in huius viſceris perſcrutatione nos detinet, ſi igitur illud, abſentibus ſupra notatis momentis, integrum eſt, quod vena vmbilici cum portarum vena coit, num ea ſanguinem habeat, inquirendum eſt. Amplius ſiquidem hoc ſanguinis receptaculum, abundantiam potius quam defectum cruoris oſtendat quod ipſa mors ſanguinis maſſam in venis eorumque truncis coaceruat. Niſi enim haec κενεαγγεια in obſeruato corporis macilento et male nutrito ſtatu aliquod patrocinium inueniat, quod ex [illegible] aliis

b) Vid. Diſſ. noſtra prior. §. V. et XII.

aliis cauſſis a medico ſecante noſcitur, vtique effuſio aliqua poſt partum demum ex ſoluto nec deligato funiculo umbilicali, debuit contingere. Radices porro multas et copioſas eadem vena portarum per omne ſpargit ac diſſeminat meſenterium, hinc illud liberius mox dignoſcendum, eadem opera, ad confirmandam ſententiam de haemorrhagia praegreſſa, ſedulo poteſt ac debet perſcrutari. Nec vnica tantum eius plica ſed, qua late patent, inteſtinorum gyri, diſquirendum eſt, nec tamen praepoſtere et ſubito, ne forte, motu intempeſtiuo minores rami venarum meſaraicarum euacuati dicantur a reae defenſoribus, ſed quod eorum diſtributio plenorumque ramulorum diſpoſitio pateat. Etſi namque in ea re peccari non poſſe videatur, nimisque ſubtiliter excogitata haec cauſſa(ceteris momentis ſimul collectis nil valeat, cauere tamen debet phyſicus, ne leuioris momenti culpa in eum coniiciatur, ſanguis quippe ex venulis ad trunculos tandem ad truncum vrgetur, ibidemque congeritur. Accedit et his, quod ad praeſentiam ſanguinis idoneam, ratione quantitatis, non ramorum praecipue minorum, ſed truncorum, ſufficienter plenorum, ratio ſit habenda. Reliqui venae portarum rami, ad lienem praecipue decurrentes, quod ſine ventriculi pancreatisque ſolutione non deteguntur, eidem examini, dictis hiſce viſceribus antea luſtratis, ſubiiciantur; albus autem lienis, ventriculi et inteſtinorum color, qui in neoge-

nitis

nitis ſolet laete rubicundus, egregia quaſi pictura variegatus eſſe, non leuem abſentis cruoris neceſſarii ſuſpicionem mouet. Vacuitatis quoque teſtimonium diſſecta hepatis, magis lienis interna ſubſtantia offert, quae vtraque in ſtatu naturali ſolet ſanguine perfundi. Parum autem iuuaret bilis vias percurrere, ductum ſcilicet hepaticum vel cyſticum ſtudioſius inquirere, quod ſecreti huius humoris nec magna eſt foetui quantitas, nec ea, quae hominis adulti indoles et ſpiſſitudo, ſimulque, ſi hoſce ſimilesque liquores deficere inuenerimus, tunc non ſine aliis iisque manifeſtis magis ſignis atrophiae futura eſt diagnoſis. Fieri itaque non poſſet, quin pancreatis etiam glandula, turgida alias ſuccis et tumidula, nunc flaccida et collapſa, exſuccaque reperiatur, immo durior magis euadat.

§. III.

Specialis diſquiſitio α) Inteſtinorum.

Tenera admodum inteſtinorum omnium fabrica, quae protinus impreſſas iniuriae notas percipit, etiam non leuem poſtulat medici diſquirentis ſolertiam, atque propter tum in externis, tum in internis quibusdam notis obſeruandis ſollicite verſetur. Coloris eorundem, quo ſanguinis defectus indicetur, mox mentionem fecimus, totus autem eorum ambitus, ſunt autem multiplices gyri et anfractus, ſi eam habet, quam natura iubet, amplitudinem, nec conſtrictionibus aut an-

anguſtiis laboret, iam certam ſatis ſpem facit in hiſce viſceribus cauſas non fuiſſe, quae potuerint liberiori obeſſe eorum incremento, functioni et humorum progreſſui. Nam inteſtina quamuis atque connexus ventriculus a variis alimentorum, quibus nati ſolent homines vti, renitentibus et acribus ſaepe particulis non afficiantur, ſecretis tamen et huc depoſitis liquidis reſiſtere, ſubigere eadem ac inſpiſſare coguntur, quod ſine debita non fit opera, et, dum conuenienter peractum eſt, de egregio et ſuffiicienti teſtatur robore. Num ex amnii liquore quidquam, facta deglutitione, huc deponatur, iam non disquirimus, licet non plane veri ſpecie deſtituatur haec opinio *c)* quod viſcidi copioſique in craſſa praecipue inteſtina collecti, ſucci meconii nomine occurrant, quibus illa ſic repleta videntur, vt omnes eorum interna ſuperficies farcta turgeat. Hoc autem vitae neogeniti etiam extra vterum ſignum ſecum fert, ſi nempe pene inteſtina ſuo deſtituantur meconio. Fluit aliquando mortuis, *d)* quod laxata morte omnia, facile vt exeat particula, permittit, integra autem nunquam euacuantur. Quippe quae euacuatio cauſſas praeſupponat validiores, in incitato motu inteſti-

c) Quae de alibili liquoris amnii natura in vtramque diſputantur partem ea doctiſſime collecta inueniuntur ab *Hallero* Elem. Phyſiol. Lib. XXIX. §. 10. Vol. VIII. p. 198. ſq.

d) Diſſ. noſtra. I. §. V.

ſtinorum periſtaltico, per reſpirationem ſcilicet, quaerendas. Nec aliud ſuadet quotidiana experientia, qua ſcimus, ad ſeruandos recens natos non raro opus eſſe, vt inquilina illa ſpurcities multo expellatur ſtudio et longinquiore euacuantium remediorum vſu. Interim his incitabitur diſquirens medicus ad interiorem quoque ſuperficiem perueſtigandam, quam neque eroſam nec alio quocunque modo violatam eſſe decet, quum per ſe villoſa interna inteſtinorum tunica, numeroſiſſima minimorum vaſculorum grege ſtipata, naturalibus ad auertendas iniurias inſtruatur praeſidiis. Hinc ſi ſeceſſerit, vel leui admodum ratione ſeparetur iam notata tunica, vbi in corpore alia deſunt putredinis, reſolutionem facientis, documenta, viuente adhuc dum nato aliquid acceſſiſſe, quód hunc effectum produxerit, confidentius adſerere poterimus, nec non aliis ſimul obſeruatis momentis confirmare. Solent etiam in vtero iam demortuorum foetuum inteſtina non plane quidem collabi et rugis inde exorientibus defoedari, nunquam tamen multum diſtenta, praecipue ab intus haerente aere inueniri, vt hanc itaque expanſionem, in viuis demum eueniſſe non inmerito ſuſpicari debeamus.

§. IV.

β) Viſcerum vropeorum.

In viſceribus autem his, quae peritonaeo quaſi obuoluuntur, ſolis indicia vitae non tantum ſunt, ſed etiam

etiam in reliquis. Ea tamen ambigua et paullum obſcuriora per ſe viſa, in metiendis, ad vitam requiſitis, conditionibus omnibus, aliquam facultatem decidendi adquirunt. Vropoea nimirum viſcera, in auerſa peritonaei facie collocata, quae in recte nutritis hominibus adultis plerumque in magna adipis copia ſepeliuntur, in foetu quidem omni aliquam, in rite valentibus etiam multam ſecum habent pinguedinem, vitae ex voto actae in vtero ſignificationem. Hanc ergo deficere maſſam pinguem ſi deprehendimus, totius corporis nutritioni detractam fuiſſe debitam praeſtantiam intelligimus atque ex variis, aliunde deſumendis notis euidenter cognoſcimus. Sola namque mala et morboſa diſpoſitio in ipſis quoque renibus, ſi nempe, vel praeter naturam durior et ad ſcirrhoſam iudolem declinans ſit ſubſtantia, vel intus arenoſam et calculoſam ſaburram contineat, totius corporis integritati vel vitae foetus iniuriam non faceret, aut vitalitatem, quam dicunt, imminueret, quum adultos morboſis eiusmodi affectionibus diu labefactari inueniamus, quod de abſceſſibus etiam, ſi hic forte occurrant, ſentiendum eſſe remur. Quid? quod et ipſa renum ſedes mutata, et in pelui oſſea v. c. collocata aliquando fuerit, innocue quidem, quod et nos in adulti hominis cadauere conſpeximus. Ea quippe huius viſceris ſecernentis ad vitam foetus, nondum abſoluta eſt neceſſitas, quum per totum geſtationis tempus tanta vix

lotii

lotii quantitas, quae veſicae receptaculo commode excipi nequeat, ſecernatur ex ſanguine. Hinc aſſiduam in ſtabilienda vrachi via et quaerenda eadem ſollicitudinem, a multis ſuſceptam, adhibere medicus ſecans vix oportebit, quum ROEDERERVS *e*) NOREEN *f*) et HALLERVS *g*) breuitatem eius ſufficienter demonſtrarint, hic etiam foetus veſicam vrina nunquam pleniſſimam eſſe docuerit. Si e contrario vacuam illam, et plane deſtitutam lotio detexerit in foetu nato phyſicus, certius et magis indubitatum habebit argumentum, vitam poſt partum adhuc ſuperfuiſſe, quod in vtero, deficiente nimirum reſpiratione, euacuatio fieri non potuerit. *h*)

§. V.

γ) Vaſorum maiorum.

Exoptata deinde naſcitur opportunitas, melius inquirendi in vaſorum quae in abdomine continentur, maiorum ſic dictorum ſtatum, aortae arteriae atque venae cauae earumque propaginum. Idque eo magis requiritur, ſi vmbi-
i-

e) Diſſ. de foetu perfecto. Goetting. 1750. §. 28.

f) Diſſ. de mutatione luminum in vaſis hominis naſcentis in ſpecie de vracho. Goetting. 1749.

g) Elem. Phyſiolog. Lib. XXVI. Sect. II. §. 7. Vol. VII. p. 311.

h) In lucem editus homo non continuo mingit. *Haller* Elem. Phyſiol. Lib. XXIX Sect. III §. 13. Vol. VIII. p. 210. not. t)

licalis funiculi vaſa ſanguine depleta inueniantur, quo tutius de vitae foetus ablatae cauſſa iudicium feratur. Etſi enim ſufficere poſſet, illa meſaraicorum vaſorum et vmbilicalium inueſtigatio §. II. quorum vacuitas probabilem mouet ſuſpicionem, in aliis connexis vaſis ſimiliter defectum inuentum iri, omnis tamen euellitur dubitandi ratio defendentibus, ſi relatum legant, eos quoque fontes, ad quos ſanguis, ceu vitalis liquor, omnis deuenit, illo duſtitutos fuiſſe. Hinc truncos venae cauae, et iuxta poſitae arteriae aortae diſſecando rimari conuenit, itidemque alios maiores vt v. c. venae portarum, vel in capite ſinuum durae matris, venarum iliacarum, et iugularium in collo, et tandem ipſius, de quo deinceps exponemus, cordis. Vniuerſalis ſiquidem ſanguinis in toto corpore deprehendendus defectus tam fidum eſt antegreſſae haemorrhagiae, illiusque enormis documentum, vt nulla alia cauſſa ſit vel excogitari queat, nullus morbi effectus, qui idem valeat praeſtare. Viuere itaque deſiit ex vitae neceſſitatibus ſubtractis non foetus ſed neogenitus, qui nullas praeter ea offert imminutarum virium, in debilitate, ex marcore corporis dignoſcenda, conditiones, et deſiit quidem propter effluentem ex vmbilicalis funiculi arteriis cruorem. Nam ſi aliud quidquam in corpore non inueniatur, vel extus conſpiciendum vulnus, vel intus vllibi obſeruanda ruptura, ecchymoſin producens lethalem, via, qua euacuatus fuerit

ſanguis

ſanguis alia non ſupereſt. Saepe, auguror autem id ſerio factum non fuiſſe, quo excuſatio inculpati delicti inueniatur, ex matris imbecilliori ſtatu geſtationis tempore, ex improuiſo caſu, foetui nocente, ex nimia conſtrictione imi ventris, ſimilibusque, legi argumenta ad contrarium ſtatum demonſtrandum muniendumque adduci, quae vero vel leuiter intuentibus collegiis medicis tam parum probari poſſunt, vt propter abſentiam aliarum notarum in definienda ſententia patrati facinoris culpoſi haec ſola ſufficiat.

§. VI.

δ) noxarum internarum.

Dum vero, hac praeſente cauſſa manifeſta et lethifera, reliquas negligere poſſet animaduerſiones de variis viſceribus hinc inde viſis, incommodis medicus inquirens; etſi nec minimam conditionem praetereundam eſſe ſedulo moneamus quum illa, ſi mortem non fecerit, ad eam tamen accelerandam contulerit vel ad conuenientia auxilia adhibenda impedimenta obtulerit: ſunt nunc nihilo minus alii caſus, qui, quod haemorrhagia non acceſſerit, per ſe, non ſine metu inde dependentis ſuppreſſionis vitae, ſatis validae iudicari poſſunt. Accurate ergo ſcrutando omnium viſcerum habitum, tum eorum, quorum iam mentionem iniecimus, tum etiam reliquorum omnium, ſi quid obuenerit, quod a natura

deflectat, id etiam adnotandum eſſe cenſemus, licet ob leuitatem parum ineſſe ponderis ad decidendum videatur, ne in eum cadat culpa, quae aliunde pendet. Poteſt vero, praeter ea ſigna, quae ab externis notis deſumi demonſtrauimus, nunc euenire, vt alia et ſimilia in internis quoque occurrant partibus atque viſceribns, nullam enim partem eximimus, vt inflammationis ſpecies adſit, vaſa infarcta et oppilata, hinc liuida, maculataque videantur, praecipue, quae interius poſita, ab externis preſſionibus et iniuriis liberiora iudicantur, vt ipſa viſcera ſanguinem coagulatum contineant, et ſic porro, quae momenta non plane ambigua ſunt habenda. Denotant enim vitam adhuc ſuperfuiſſe, dum partus inſtabat, quod ea ſanguinis motum et circulationem perpetuam requirit, ſine qua ſtaſis non eſt futura. Eodem fere modo ſub cute factas ſugillationes, liuidaque ſtigmata, ſi nihil contradicat, vitae praeſentis indicia dare diximus, *i*) quae nunc euadunt certiora, quoniam et ipſe partus eiusque labores, in internis locis producere eiusmodi noxas nequeunt, Num vero vita haec perfecta extiterit et continuandae eiusdem ſuffulta ſubſidiis, non aeque facile perſpicitur, vel a ſecante adfirmatur. Parum enim abeſt, quin morboſa eiusmodi labes detecta doceat, cauſſam mutatae integritatis non ſubitaneam, ſed ſenſim factam fuiſſe, et in ea quoque rationem contineri, quae

i) Diſſ. noſtra I. §. XIII.

quae prorogandae vitae aduerſa ſit. Interim ſimul maturitas foetus conſideranda eſt, eiusque incrementum, et illud conferendum cum ceteris corporis diſquirendi conditionibus. Quicquid enim ex parte matris grauidae, eiusque diaeta et fouendi foetus minus debita cura noſcitur, ſi quid huc contulerit, illud, quum ex perſcrutatione corporis non intelligatur, iudicis peritiae et ſollicitae magis inquiſitioni relinquendum eſt, illeque monitis, ſi tale quid ſubſumſerit phyſicus, adiuuandus. In genere nimirum quaecunque oblata morboſa diſpoſitio attente perluſtranda, deinceps cum aliis notis comparanda, vt arbitramur, lucem accendet ad veritatem cognoſcendam, quum in natis quoque hominibus per omnem fere vitam morborum prouentus admodum ferax, interdum non ſatis euoluendas cauſſas, vel haud raro alias, ac praeſumuntur, habeat. In organicis certe, partium internarum quoque, vitiis producendis, extra corpus quaerenda efficiens cauſſa non eſt, quicquid etiam imaginationis vim valere credatur. Sunt etenim morbi aliquando congeniti, ex quibus varias tantum herniae ſpecies adnotaſſe ſufficiat. *k*)

§. VII.

Pectoris contemplatio generalis.

Nihil tamen ad vitam noſtram ſuauius, nihil ad eam ſeruandam magis neceſſarium eſt, quam quae a phyſiologis

k) *Roederer* Obſeruat. de foetu 4. In Opuſcul. p. 101.

logis nominantur, actiones vitales, quae, dum a ſanguinis motu et reſpiratione ſuam repetunt originem, vtique in omni foetus corporis diſquiſitione, ſicut ſunt praeſtantiſſimae, ſic omni quo fieri poteſt, ſtudio rimandae et diſquirendae veniunt, in iis nempe, quibus perficiuntur, viſceribus. Medico ſcilicet forenſi, de vitae naſcendi et nati hominis indole ſententiam laturo, incumbit, vndiquaque colligere phaenomena ex corpore eiusdem, quae per deſtinata his actionibus organa vere aut producta fuiſſe aut produci non potuiſſe, euincunt. Si quid enim ambiguum in ceteris omnibus occurrat conditionibus, nunc demum ex hiſce, ſi fieri vnquam poteſt, ad certitudinis et veritatis gradum ita deducendum eſt, vt cum perſuaſione recti conſtet, vitam adfuiſſe, nec ne. Duplex autem haec actio, altera circulationis, corde, altera reſpirationis, pulmonibus conficitur. In vtraque omnia ante actae vitae ſigna confluunt. Sed quod multa de his in foro diſputantur, de vtraque quidem, de reſpirationis autem negotio, quod vberiori controuerſiae occaſionem dedit, curioſius exponemus. Ne tamen dubitationis locus detur, praemonemus opus eſſe, vt non ſolum curatius phyſicus pectoris ambitum vndiquaque perluſtret, num rite conformatus ille ſit, et cauum idoneum, quale natura exigit, conſtituat, in quo organorum vitalium conueniens ſedes et accommodata eueniat actio, verum etiam perpendat ſimul, num ſi aliquas mutationes externas

ternas detegat, v. c. compreſſionem, obliquitatem, inconuenientem anguſtiam, ne pro violenter inductis habeat illas, quae per naturam a prima quaſi conformatione naſcebantur, vel quae laborioſo partu tales fuerant redditae. In poſteriore ſane caſu non deerunt in externis quoque partibus documenta, quod alibi probauimus, in priore autem ſentiet opinionem corroborari ex earum partium, quae intus ſunt, huic formae ſeſe adaptantium, diſpoſitione. Immo in violentis quoque iniuriis diiudicandis attentum eſſe decet diſſectorem, ſi enim coſtas a ſuis ſolutas, vnam vel alteram, reperiat cartilaginibus, quod periculoſum eſt et pene in foetu lethale, num viuente adhuc neogenito vel poſt mortem illata ſit ex ſanguinis effuſſione, quae durante vita abſolute mox ſequeretur, ex inflammationis praeſentia, et ſimilibus declarabitur phaenomenis et contra.

§. VIII.

Specialis α) Cordis.

Hinc aperto iam pectore primo quidem in pleurae ſtatum inquiritur, a quo, vt in externis locis, omnis abeſſe debet putredinis atque deſtructionis labes, eaque praeter ea interna ſuperficiei glabrities et ſplendor, qui nullius interioris partis accretioni faueat. Menti etiam ſecantis obſeruetur omnis cordis naturae conſentanea proportio et libertas. Pericardium nimirum circumeat quidem et complectatur cor, ſed nullibi eidem adhaereat inde-

center, nec illud, quae pauciſſima eſt recenter nato, aqua nimium diſtendatur inhaerente, nec amplum et praeter naturam dilatatum cor contineat. Quandoquidem vel effuſio aquarum vel inconueniens amplitudo cordis non fortuito accedentem impetuoſeque agentem aliquam cauſſam, ſed lente ſenſimque productam et inſidioſam magis morbi indolem manifeſtet, quae etiam iam ante partum in corpore foetus ſaeuire coeperit, et in parturientis culpam male conuertatur, aeque ac, ſi cardianaſtrophe, cuius ratio in peruerſa eſſe ſolet delineatione, obſeruaretur. Varia porro, quae natura egregie fabricauit in corde, caua, auriculae eius et ventriculi, in quibus perpetuam eſſe ſcimus ſanguinis mouendi viciſſitudinem, perluſtrentur, in iis autem naturam quoque ſequi debere, ne confuſio enaſcatur, ſecantem volumus. Quum ſanguis ex anteriori in poſterius cordis cauum deferatur, etſi vltima maxima cum probabilitate actio poſteriori tribuatur cordi, *l*) eius caua, quippe quae vacua eſſe oportet, vltimo, anterioris primo loco perquirere conueniet. Haec, praecipue auriculae anticae, ſi ſanguine plena inueniantur, cruoris, ad vitam vlterius ducendam idonei, ſufficientem vim adfuiſſe

l) *Haller* Elem. Phyſiol. Lib. XXX. Sect. II. §. 22. Vol VIII. p. 123. *Primus*, inquit, *ventriculus ſiniſter quieſcit ad quem nullus de obſtructo pulmone ſanguis venit.* — *Denique etiam dexter contrahi deſinit.*

ſe praeſagiunt, quae impedita tantum a cauſſarum reſiſtentium virtute nunc cum morte remiſerit, ſin minus et plane euacuata reperiantur, quod ſupra adnotauimus, §. V. ex vaſorum maiorum depletione, vitalem ſuccum neogenito detractum fuiſſe ſuadent, et vita cur perierit, luculentiſſime aperiunt. Quibus peculiaris in corde foetus mechaniſmus, oualis ſcilicet foraminis ex anteriori ad poſteriorem auriculam via, diuerſitatem facere videretur, ii parum haberent ponderis ſententiae, ſi perpendant, cordis caua eadem, vti in vita ſimul agunt, ita in morte etiam ſimul deficere, vt vltima expulſio per illud iter ſanguinis impoſſibilis euadat. Coaceruari quoque ſanguinem et abundare illo cor poſſe tunc probabile ſit, ſi ſuffocatio praeceſſerit, quod tamen, vbi factum eſt, in anteriori etiam tantum corde detegitur, et per alia in corpore praeſentia maioris momenti ſigna diſcitur luculentius. Alius praeter ea ſuccis plenus et irriguus fons in cordis ponitur vicinia, glandula ſic dicta thymus, quae more reliquarum glandularum in foetu plenior, hac ipſa tamen perfectione reliquis excellentior exiſtit, in cuius quoque medio loco cauum a BARTHOLINO animaduerſum, confirmauit HVGO, quodque in recens natis ſemper lacteo humore diſtenditur. *m*) Hanc ſane notam nutritionem foetus bonam et conſtantem arguere per ſe patet, defectum vero eius ſubſtantiae glandulo-

m) *Haller* Elem. Phyſiol. Vol. VIII. p. 362.

ſae ſicciorem naturam manifeſtare certum eſt, vt vitae vegetae teſtimonium etiam ex hoc deſumatur.

§. IX.

β) Pulmonum. Alteram partem vitalium ſic dictorum viſcerum pulmones conſtituunt, quorum nunc ſumma opus eſt cura disquiſitionis ſuſcipiendae. Ea vero quum ſit pulmonum natura, vt ſuis defungi actionibus non poſſit, niſi in ea, qua nati nos verſamur, atmoſphaera, reſpirationem conſiderare debemus tanquam actionem, quae ad foetum, quamdiu in clauſtris vteri materni retinetur, plane non pertineat. Quicquid enim de aeris ſubtilitate et penetrandi eius virtute in contrarium moneri poſſet, *mm*) id tam parum ad euincendam ſententiae vel probabilitatem tantum faciet, vt per aquas vterinas ad pectus et pulmones foetus tranſitus potius aeris impoſſibilis, hinc reſpiratio inde conſequutura nulla reddatur. Etſi vero ſcopus noſtrae tractationis minime requirere videatur, vt totius reſpirationis quaedam nunc addatur expoſitio, omnes tamen, quaeſo, in memoriam reuocent, non pectoris tantum et in eo contentorum pulmonum motum ad faciendam reſpirationem

mm) Egregie de his ſomniauit Io. *Bapt. Mazini* Oper. ſuor. To. III. de Reſpiratione Foetus. Diſſ. VII. Brixiae 1743. 4.

tionem pertinere, ſed liberioris quoque nec compedibus impediti aeris acceſſum. Lubenter quidem cum ROEDERERO *n*) primam reſpirationis rationem poſt partum in ea, quae ab externa, corpus grauantis excitatur atmoſphaerae irritatione poſitam eſſe, largimur, quae et agitationem totius corporis omniumque muſculorum, et eorum etiam, qui thoracem mouent, producit, vehementer tamen dubitamus, immo negamus, num cauſſae quaedam ſint, quae ad vterum penetrent, ſimilium effectuum auctores futuri. Liberior certe vtriusque pulmonis in thorace ſitus eſt, nulla per omnem ſuperficiem, niſi, quae poſterius per membranas et vaſorum in eos deriuatorum varii generis fit, cohaeſio, vda omnis et polita tum pleurae tum pulmonis ſuperficies, ex qua diſpoſitione naturali conſequi poſſet, vt leuiſſima cauſſa mutationem formae inducere valeat, praecipue, ſi elegantioris cratis oſſeae, quae pectus conficiat, et adaptata muſculorum concinne adpoſitorum, conformatio ſimul perpendatur: ea vero naturalis pulmonum amplitudo, quae totius pectoris caueam ſibi deſtinatam, integram repleat, et quae docente multis argumentis HALLERO *o*) pleuram

n) Obſeruatt. med. ſatura de ſuffocatis §. 9. Opuſc. p. 209. Paullo aliter explicat. *Petit.* mem. de l'acad. Roy. de Scienc. a Paris. 1733.

o) *Haller* Elem. Phyſiol. Lib. VIII. Sect. II §. V. Vol. III. p. 127. Experimenti inſtituendi ratio

ram non deſerat, in mortuis natis ſimiliter deprehenditur, vt ſi aer antea ingreſſus fuiſſet, ad hunc ſane ſtatum redire pulmo non potuiſſet. *p)* Haud parum ponderis deinde additur, ſi coloris, qui in foetus eſt pulmonibus, et in natis inter ſe comparatio ſuſcipiatur. Non enim profunde rubicundus, nigricans tantum et fuſcus color in foetu inuenitur, ita fere iis, qui frequentiores foetuum et mortuorum natorum diſſectiones inſtituerunt, cognitus et familiaris, vt ſolo conſpectu certiſſime pulmonem non reſpiraſſe, adfirment, ſed denſiorem etiam longe et compactiorem offerunt ſubſtantiam, tactu quoque diſtinguendam. Quum e contrario pulmo, vnica tantum vice ab aere diſtentus, vel eius tantum particula quae aerem hauſit, rubedini dilutiori admixtam albedinem oſtendat, omnemque ſuum habitum leuem laxum et ſpongioſum ſiſtat; qualem in adultis deprehendimus, eo quidem modo, vt nulla iterum arte, queat expelli *q)*. Haec autem coloris differen-

rationem et phaenomena deſcribit Lib. de reſpiratione Sect. III. Vid. *Eius* Opera minora Tom. I. p. 301.

p) Solent quidem omnes pene medicinae forenſis ſcriptores, foetubus mortuis natis pulmones collapſos tribuere, quod vero ita cum noſtra conciliari poteſt ſententia, vt collapſi appareant demum, ſi aperto in ſectione thorace exterioris aeris acceſſus eius tetigerit.

q) Haller Elem. Phyſiol. Lib. VIII. Sect. IV. §. XXIV. Vol. III. p. 279. Niſi per antliam pneumaticam educatur aer omnis, *Petit.* loc. cit.

ferentia conſtans eſt, adeo reſiſtens validioribus cauſſis, vt putredo quoque accedens non inſpirati pulmonis colorem protinus non mutet *r*). Paullo ſubtilior etiam his accedit nota, quae ex vaſorum ſanguiferorum ſtatu in pulmonibus deriuatur. Quod enim ſanguinis per foetus pulmones progreſſus exigit, vt maxima illius pars, propter oualis foraminis adiumentum, ipſum viſcus non attingat, ſed praeterlabatur, arteriae aeque ac venae pulmonales paucam admodum, nec plenario vaſa diſtendentem, copiam recipiunt. Quare paucus ille ſanguis nondum reſpirantem, multus vero inſpiratum ſignificabit pulmonem. Denſam vero, quam diximus, pulmonum ſubſtantiam eam eſſe volumus, quae ex morboſa accedente conditione non participet. Inſit itaque neque ſcirrhoſa quaedam. nec tartarea aut calculoſa concretio, et quamuis rariſſime in tenerrimo foetus corpore eueniat, vt eiusmodi naſcantur mala, quibus producendis molliſſima increſcentis corpuſculi natura vix faueat, fieri tamen poſſet, vt immunis non maneat pulmo, vel fingatur ab aliis ad excuſationem reae talis adfuiſſe, quoniam morboſe affectos pulmones et induratos in adultis quoque hominibus aqua grauiores ſubſidere viderint HALLERVS *rr*)

et

r) *Büttner* in Erörterungen einiger bey Gelegenheit einer todten unreifen menſchlichen Frucht — die Lungen-Probe betreffenden Fragen. Koenigsberg 1745. 4. p. 11.

rr) Vidit peripneumonias et ſanguinis in carne

pul-

et HAEN *s*). Nec minus prouidum eſſe decet phyſicum in circumſpiciendis et attentendis aliis momentis, quae forte obicem reſpirationi potuiſſent ponere. Liberam eſſe peripheriam vbique pulmonis anatome confirmat; ſpuria nihilo minus ligamenta, aut fibroſa vel membranacea nonnunquam generantur vincula, quae illum totum vel partem eius ad pleuram adnectunt, iterumque ob varias cauſſas facilius in adultis, quam in foetubus. Immo in exequenda reſpiratione raro aliqua inde percipiuntur incommoda, ſi vero tale quid occurrat, vt adnotet ſecans neceſſe eſt, quum, ſi infanticidii ſuſpicio exoriatur, illae pariter, quae inculpandi ac defendendi vim habent, notae ſedulo ſint recenſendae. Id, quod ſimiliter de omnibus tenendum eſt reliquis, quae praeter naturam adeſſe obſeruantur, affectionibus, ſi v. c. collapſus eſſet, nec rite euolutus aliquis pulmonis lobus. Securus autem erit, qui ſic egerit in deducendis inde iudiciis, ex ſic dicto cum pulmonibus, quod in foro nunquam omittendum eſt, ad vitae foetus diagnoſin ſtabiliendam, experimento. Cognitum quidem idem in vulgus eſſe ſentio, volo tamen tyronum cauſſa

pulmonum veſiculari effuſiones aut ſcirrhos lymphaticos adeo pulmones mutaſſe, vt fundum peterent. Opuſc. Patholog. p. 29. 31.

s) Pulmones inflammatos et induratos ſubſediſſe adnotauit in Rat. medend. P. IX. Sect. II.

cauſſa, quod in illo inſtituendo aliquando oſcitantius actum eſſe percepi, quum adeo multum celebretur, breuem eius rationem delibare. Peruestigati ſcilicet ſtudioſius pulmones vtriusque lateris ſimul cum adhaerente corde eiusque vaſis maioribus atque cum glandula thymo caute reſecantur et integri adhuc in vas amplum, aqua pura frigidaque plenum blande impoſiti immittuntur. Aquae copia ea demum eſſe debet, quae ſuſtinendis illis partibus par ſit, nec ſcupuloſiorem vaſis, aquam recipientis, figuram expoſcimus. Tunc vero connexa haec viſcera aut ſupernatant, aut fundum petunt. Ne in his etiam fallaciae locus ſuperſit, vterque pulmonum locus denuo ſeparatus integer primo, in minores diſſectus partes poſtmodum eidem, aut ſi inquinata et ſanguine conſpurcata fuerit aqua, in puriorem reponitur, quo pateat, num eadem omnibus particulis natura ſit, et aeque ſubſideant aut leuentur. Hoc itaque tentamen ita volunt nonnulli vitae teſtimonium eſſe, vt reliquis fere omnibus anteponendum, infallibilem, cui legislatores inhaereant, praebeat normam, alii e contrario tanquam fallax et inſufficiens, niſi reiiciendum ad probationem tamen veritatis adhibendum non eſſe clamitant. Vtramque opinionem perluſtrare liceat.

§. X.

§. X.

Experimenti cum pulmonibus diiudicatio.

Qui vtrumque ſuſcepti cum pulmonibus tentaminis phaenomenon tum medicis concludendi, tum iuris peritis agendi regulam ſuppeditare ſibi perſuadent, eo potiſſimum nituntur fundamento, vt in natantibus aeque ac ſubmergentibus pulmonibus factae reſpirationis et antegreſſae vel denegatae luculentiſſimum exemplum inueniri autument, praeter ea vero, quum ſine reſpiratione vita eſſe nequeat, ad abſolutam vitae praeſentiam concludant. *ſſ*). Qua quidem in re, ſi ad adultum hominem res referatur, nulla ſupereſſe videtur dubitandi cauſſa, in quo nimirum cum ipſo reſpirationis impedimento vita, breui intercedente temporis ſpatio, peſſumdetur. Vtique in his, ſi aliqua apnoeae cauſſa accedat, ni protinus auxilium adferatur, mortem inſtare certum eſt. Sed ad foetum ſi reſpiciamus, eiusque viuendi morem perpendamus, aliter longe erit decidendum. Vitam is uiuit ſibi propriam, et peculiaribus quoque, vt ſupra innuimus, fabri-

ſſ) Qui non reſpirat non viuit. *Richter* Deciſ. Medic. Forens. Lipſ. 1732. 4 p. 360. vbi ſimul plura, ad hoc tentamen pertinentia ex auctoribus excerpta occurrunt. In genere notamus, nos ea propter citandis multis vtique ſcriptoribus ſuperſediſſe, ne lectoribus taedium excitetur, quod in medicinae forenſis ſcriptoribus plurimi allegentur.

bricae ſpecialioris momenti innixam, quae et ſine reſpirationis acceſſu integra maueat, vt vixiſſe foetum nec reſpirare debuiſſe intelligatur. Num autem idem ille foetus, extra vterum egreſſus, relicta ſcilicet, quae eius ſingularem vitam definiebat, ſtatione, vlterius continuare quaeat hanc vitam magis quaerendum eſt. Id quod in foro experimento illo confirmari volunt iudices. Verum tamen, quod nunc eam, qua nos vtimur, viuendi rationem ingreditur neogenitus, illum reſpiratione amplius carere non poſſe, absque omni erroris metu aſſeueratur. Hinc, dum reſpirationem cogitur inſtituere, eam quoque pulmonibus leuitatem conciliabit, quae, vt aquis illi innatent, efficiat, ſic vt, extra vterum vixiſſe infantem, ipſo tentamine euidenter probetur, ſin vero natum iam infantem, hanc in pulmonibus mutationem expertum non fuiſſe eadem non innoteſcat ratione, clariſſimum inde fit, ita, quae vitam facere debebant decentem, cauſſas fuiſſe comparatas, quae reſpirationi non ſuffecerint, et pulmones tam graues, quo aqua non ſuſtineantur, reddiderint. Generalis tamen haec contemplatio veram quidem inde elicere concluſionem permittit, quae ſi nullam dubitandi vel excipiendi relinqueret conditionem, *t*) tam accepta foret medicis et iudicibus,

t) Vt alios taceamus, abſolutum inde vitae et mortis haberi teſtimonium iudicant Francofurtenſes. Vid. *Ammann.* Praxis Vuln. Lethal. p. 422.

bus, vt in hac ſola obſeruatione reliquis fere poſthabitis, eſſet acquieſcendum. Sed inde fallax et inſufficiens dicitur eſſe experimentum.

§. XI.

Fallaciae natantium pulmonum.

Natare quidem et in aqua ſuſpendi ſolent iniecti in eam pulmones, ſi aere, per reſpirationis organa accedente, replentur, exſoluuntur quaſi, et dilatata ſpongioſa compactaque ſua ſubſtantia in amplius expanduntur ſpatium. Quodſi in vtero eiusmodi excitentur cauſſae, quae hac ratione pulmones afficiant, ſimillimos ſequi debere effectus, vtique a vero non abhorret. Quam multiplex et inſidioſa ſit varia humorum male mixtorum labes, quam diuerſae morborum ſpecies, ex cachexiae inquinamentis ortae, ex ſola venereorum morborum conſideratione patet, quippe qui duriſſima oſſa tumefacere et emollire poſſint, molliorum partium etiam deſtructiones producere. A quo foedo ſane morbo nec immunes eſſe, hereditate accepta, neogenitos, non infrequens demonſtrat experientia. Cui morbo id etiam peculiare eſt, vt in quodam prae aliis loco manifeſtiora virulentiae ſuae offerat indicia, vt, ad pulmones hic vel ſimilis traductus malus ſuccorum character, diruat natiuam indolem. Si moriatur in vtero talis foetus, tunc etiam natantes pulmones fallacem vitae ſuſpicionem mouebunt, non aere inſpirato ſed fermentatione quaſi corruptorum ſuccorum

le-

leuiores redditi. Quum autem fida eiusmodi corruptionis pediſſequa putredo ſit, quae longe citiorem reſolutionem ſolidarum fibrarum producit, in iis praecipue locis, quae reconditae ſunt et generandae putredini aptiſſimae, et qua ſimul fixus liberior exſoluitur aer, in ſuperficie corporis putreſcentis nonnunquam plenis ampullatisque veſiculis conſpicuus, hac ſane laxam pulmonis ſubſtantiam celerius diſtendi poſſe eo minus eſt negandum, quo luculentius illae in hiſce viſceribus, putridis conſpiciuntur. Perinde autem eſt, ſiue äer ille ſolus ſiue effuſis etiam ſit commixtus humoribus, quales in ſubſtantiam pulmonum, hydropem fingentes, colligi, vel hydatidum more adhaerentium, bullarum ſpecie contineri obſeruamus. Magna porro dubitatio naſcitur, ſi foetus, in vtero adhuc detentus, ad partum pronus, euacuatis, quae eum circum fluebant, aquis, nunc ſpatioſiore in receptaculo aeris externi acceſſum non arcente reſpirauerit, et hinc pulmonum maſſam rariorem, et natatilem effecerit, prius autem quam partus abſoluatur, in ipſo hocce loco mortuus fuerit. Nec absque omni probabilitate caſus eſt, ſiquidem foetum diu aliquando in vtero retineri et ob varias corporis aut ſui aut materni conditiones difficulter demum expelli, demonſtret experientia. Immo, ita quidem iam factum partum eſſe ſupponamus, vt caput, quod iam exiit, vel vteri ſpaſmo, vel funiculi vmbilicalis contorſione, ſtranguletur, tunc pulmonis, aere diſtenti, ex-

 peri-

perimentum vim, ipſi adſcriptam in definienda ſententia reddet inſecuram. Notatu quoque dignum eſt, pulmones aliquando ita fuiſſe inuentos, vt ex vna parte tantum natauerint, ex altera vero protinus fuerint ſubmerſi, quorum itaque ambigua ſit futura diagnoſis, quae ipſam veritatem titubantem efficiat. Quibus ſi addatur, quae pariter animaduerſa ſunt, et quale HEISTERI exemplum eſt inſigne, *u*) foetum in vtero diu haerentem, liuidum et putridum, nigricantes pulmones habentem, hos tamen in aqua natantes praebuiſſe; etſi de eius morte in vtero nulla ſupereſſet dubitatio, tunc quo minus ex pulmonum ſtatu vitae indicium ſumatur, omnino ſequi videtur. Tandem, ſi protinus poſt partum, dum deeſſe ſigna vitae in motu et reſpiratione deprehendenda, obſeruentur, ad refocillandum foetum, adhibito artificio quocunque modo aer in pulmones protrudatur, tunc quod illi hac ratione expandantur, fieri contendunt, vt noua oriatur ambiguitas, quae efficiat, vt vere mortuum natum viuum et reſpirantem fuiſſe adſumatur.

§. XII.

Refutatio. Haec autem aliaque, quae paſſim huic obiici ſolent tentamini, argumenta, ex quibus maioris momenti viſa quaedam tantum decerpſimus, tam valida eſſe credunt medici

u) Diſſ. de fallaci pulmonis infantum experimento. Helmſtad. 1732. p. 20.

dici nonnulli et iudices, vt abſtineri malint ab eodem, quam inſufficiens admitti. Sed ſalua res eſt, quum in eo ſaepe haereat culpa, vt quibus inquirendorum corporum datum eſt officium, omnia, quod ab iis exigitur, vndiquaque occurrentia momenta eo ſane ſtudio, eaque cura nec collegerint nec rite penſitauerint, quae difficultatibus et fingendis defenſorum argutiis omnem praeſciderint occaſionem. Humorum noſtrorum partes facillime fatiſcere, et nouas corruptiones facere nemo, qui medicam artem tractat, quamuis neget, negabit tamen ſigna in viuo, multo magis demortuo corpore non adeſſe, quae ſimilis labis praeſentiam manifeſtent. Has itaque, ſi ſecans praetermiſerit medicus, nec adnotauerit fideliter, pulmonis experimento ſoli confiſus, non experimento, ſed ſibi facit iniuriam. Et quod ad venereum pertinet malum, illud, vtut in dedecus humanae gentis et ſummum reipublicae damnum frequentius nunc ac olim, nunquam externis deſtituitur indiciis, quin valde dubito fore, vt ſpeciatim pulmones aggrediatur, eorumque compagem ſit laxaturum, vt aquis ſupernatent, potiſſimum in foetu. Putredinis vero vix coercenda progreſſio facilius deteriores valeret, producere effectus, niſi experientia declararet in clauſo adhuc pectore pulmones diutius intactos ab illa ſeruari, ac putatur. Cuius rei experiundae cauſſa, tum ab aliis, me peritioribus, tum a me ipſo, data opportunitate, reiterata facta ſunt ten-

tamina. Sic enim ad finem iam praecedentis ſeculi, AVG. QVIR. RIVINVS et CHRIST. IOANN. LANGIVS, vterque Lipſici medici celeberrimi, quum dubitaretur, num pulmonum ſubmerſio a morte foetus dependeat ſolum, vitulinos pulmones, ex viuis vitulis deſumtos, alios terra recondere, alios in aquam ſubmergere, alios aere exſiccare iuſſerunt, vsque dum toti foeterent et putreſcerent, nec in iis natandi facultatem ablatam fuiſſe deprehenderunt, idque eapropter ab iis inſtitutum eſt, vt contrarium demonſtretur; ſiquidem concludant, dum pulmones reſpirantes et natantes nulla ratione poſſint ad ſubſidendum diſponi, nec ſubſidentes vt emergant, mutatione introducta cogi poſſe, *x*) Quodſi in hac demonſtratione ineſſe quaedam non negemus, quae non omnem dubitationem eripiant fidem ſane merebitur HEBENSTREITII noſtri *y*) cuius memoria et exteris et academiae noſtrae et mihi ſemper adhuc ſacra eſt, auctoritas, qui mortuorum in vtero foetuum humanorum pulmones, data opera ad ſummum putredinis gradum prouectos, ſemper demerſos vidit, BOHNII quoque conſenſu adiutus. Et quis refragetur, qui cum multa non ſolum ſolertia, ſed aeque adhibita ſingulari cum prudentia inſtituta lege-

x) Vd. *Ammann.* Prax. Vulner. 425. *Richter* l. c. p. 371.

y) Anthropolog. Forenſ. Sect. II. membr. II. §. 28. *Ludwig* Inſtitt. Med. Forenſ. §. 248. ſqq.

legerit experimenta HALLERI *z*) in viuis capta et mortuis, ex quibus vnicum adducere liceat, quo infantem tertio poſt mortem die repertum, tempeſtate calidiſſima, totum putridum, pulmones continuiſſe ſubſidentes obſeruauit. SCHMIDELIVS deinde ex foetu, qui per tres menſes in cloaca latitarat, vbique praeſentibus manifeſtis putredinis ſignis cum foetore inſigni, liquore etiam cruento in pectore pulmones continuo alluente, inuento, hos denſos, ſaniſſimos, altero adhuc die ſubſidentes notauit. IDEM pulmones ex foetu deſumtos, qui ex defunctae matris vtero mortuus exſecabatur, quinto a matris mortis die ſubſidere vidit, deinde autem vtrumque et ſiniſtrum decimo ſexto ab immiſſione die ſupernatare *a*). Conueniunt quoque obſeruationes IAEGERI, qui ex mortuo foetu, putredinis indicia copioſa offerente, pulmones, aquae inditos, conſtanter fundum petere animaduertit, redeunte ſubmerſione, quum aqua turbida ſanguinolenta renouaretur, et per octo et vltra dies ita ſubſiſtere. In alio poſt quinquaginta dies nondum emergere coeperunt, iterumque alium adducit, in quo

E 4 putri-

z) De Reſpiratione Lib. Sect. IV. de pulmone foetus et animalium ſubmerſorum. Opp. minor. To. I. 320. ſeqq. Eadem experimenta proſtant in Commentar. I. de formatione pulli.

a) Diſſ. de Pulmonibus natantibus. Erlangae 1763. §. V. p. 8.

putrida licet in aqua detentis pulmonibus, per viginti quinque dies in fundo vaſis reſtitaſſe eos accurate perſpexit *b*). In meis tandem, eadem ratione inſtitutis tentaminibus, quae vberius deſcribere, quod cum iam adductis plurimum conſpirant, ne taedium lectoribus enaſcatur, nolo, deſumti ſcilicet pulmones partim ex mortuis recens natis foetubus, integris nec vlla labe adfectis, partim etiam ex iis, quae iam externas reſolutionis putridae notas eminentes offerebant, ſemper mox ad fundum, in aquam immiſſi, abierunt. Integros autem lobos, vel minora tantum eorum fruſtula, ita diuiſi, vt vel in eadem, in quam primo proiecti erant, aqua ſanguine et putredine licet conſpurcata, retinerentur, vel noua, qua abluebatur putridum coenum, adfuſa, repurgata ſeruarentur, ſemper tamen deſcendere et in fundo detineri obſeruaui, vsque dum tandem ſumma putrilagine reſolutis quibusdam enatare neceſſum fuerit. Caui nihilo minus ſedulo, ne aquae ſufficiens copia deſideraretur, uel alius in obſeruando error immiſceretur. Omnes itaque, quibus haec nouis confirmandi exemplis fit opportunitas, hortor atque precor, vt eam ſibi eripi non patiantur, ſiquidem hac tolli animaduerſione crediderim de putredinis effectu

in

b) Conf. *Chriſt. Frid. Iaeger* Obſeruatt. de foetubus recens natis iam in vtero mortuis et putridis. Tubing, 1767. p. 7. 10. ſqq.

in pulmones dubitationem, ſecurum potius conſtansque exhiberi de vita foetus criterium. Id ſolum adiicere liceat eas nondum indubias reddi hiſtorias, quibus partem quandam pulmonis nataſſe, alteram non aeque probatur vel adducitur. Huius rei rationem, ſi in experimentis, per tempus continuatis, contingat, in macerationem coniiciendam cum SCHMIDELIO *c*) eſſe opinamur, ſi in legali cadaueris diſſectione, dum ſtudioſa diſquiſitione accedentium conditionum effectus detegi, prout KALTSCHMIDIVS retulit, qui pulmonem ſiniſtrum infantis, poſt octo a partu dies nondum aere diſtentum, immo in aqua ſubmergentem miratus, a bronchiis ſiniſtri pulmonis viſcida pituita exacte obſtructis id effici reperit. *d*) Quare omnes concident protinus contra natantes pulmones excitatae exceptiones, ſi prout ſupra §. IX. praecepimus, ſecantes nihil intactum relinquant, quod vel leuiſſimam, multo magis grauiorem, cuiuscunque morbi cauſſam deſignat. Aeris autem ingreſſus in pulmones ante partum eos expandendo certiſſime obſtaret experimenti veritati, ſi, quae a multis adſumta eſt ſententia, et quorum magnam, ſic ſtatuen-

E 5 tium

c) Loc. cit. §. XI. p. 19.

d) Progr. de experimento pulmonum infantis aquae iniectorum, adiecta obſeruatione anatomica de dextro infantis lobo aquae immiſſo ſupernatante. ſiniſtro fundum petente. Ienae 1751. 8.

tium caterùam adducit HALLERVS, *e*), eam pariter non plane abnegans, firmiſſimo inſiſteret talo. Praeter enim id, quod ROEDERERVS *f*) adeo neceſſariam pectoris ad reſpirationem dilatationem in vtero impoſſibilem iudicet, varia experientia fulfultus capite iam natos non reſpiraſſe conſpexit. Quod itidem de vagina, intra quam haeſerit foetus, valet, quae non arctiſſime tantum foetum cingit, ſed etiam, ſi, vt in priori caſu, retardet partum, videtur manibus egere auxiliatricibus, quibus clanculum parientes deſtituuntur. Abſcondita quidem in mortuo nato pulmones natantes illuſtratura ratio eſt, in obſeruatione Heiſteriana, ſed quoniam et multa exſtabant putredinis ſigna, et multo quoque labore protrahi debuit, nec ſponte naſci foetus, vereor, vt vnquam in foro extiturus ſit eius modi caſus, qui ſimilia oſtendat, quid, quod praeter eam natandi facultatem de omni reliquo pulmonum ſtatu

e) Elem. Phyſiol. Lib. XXIX. Sect. IV. §. LV. Vol. VIII. p. 399. Rarius nimirum foetui in vagina eam poteſtatem eſſe adſerit, neque niſi fauente cum robore ſitu foetus. In Opp. Minor. To. I. p. 337. autem, obiectionem hanc ſubtilem magis quam ſeriam pronunciat et credit, matri infanticidii recte vnici illius caſus probationem incumbere, in quo infans in tranſitu per vaginam mortuus ſit.

f) Obſeruat. ſatur. de ſuſſ. §. 10. Opuſc. p. 313.

tu viſcerumque aliorum habitu relatum legatur nihil. Parum tandem in contrariam nos abire ſententiam perſuadere poteſt ſtudioſe ſuſcepta pulmonum inflatio. Qui enim ſecum perpendit, difficulter haud raro primam inſtitui ſpontaneam neogenitorum reſpirationem, propter varia ad eam producendam ſuperanda obſtacula, quibus in primis a debilibus natis, etiam ſi ſtudioſiſſima ſubueniens illis opera adhibeatur, quod itidem ROEDERERVS *g*) confirmat, reſiſti nequit, quique porro cogitauerit, in iis profecto feminis, quae clandeſtino partu foetum edunt, eumque abſcondere magis quam ad vitam reuocare malunt, vt ea ſolertia adhibeatur, vix praeſum, nec protinus poſt partum, quod tamen tempus eſſet conuenientiſſimum, a ſola matre, adhuc a partu vehementer debilitata, praeſtari poſſe, in rigido et emortuo infante autem plane irritam euadere, is praetendi magis ad excuſandam ream hoc argumentum, quam ad experimentum inſufficiens demonſtrandum pertinere, intelliget.

§. XIII.

Fallaciae ſubſidentium pulmonum.

Ex altera nunc parte, eae conſiderandae ſunt conditiones, quae pulmones ita diſponere valent, vt ex cadauere reſoluti, et aquis impoſiti, ad fundum vaſis dimittantur, cui quidem obſer-

g) Loc. cit. Opuſc. p. 365.

obſeruationi ſimiliter decipiendi vim ineſſe autumant. Quamuis enim nemo fere audeat inficiari, naturalem illam nondum reſpirantium pulmonum denſitatem eam eſſe, vt ob pondus expulſae, cui ſuperimponuntur, aquae ab ea ſuſtentari nequeant, accedere tamen arbitrantur cauſſas, quae attentionem mereantur et iudicium inde ferendum limitent. Eſt itaque in debilibus praecipue neogenitis, vt putatur, talis aptitudo, quae impediat, vt licet viui excluſi ſint ex vtero, ſpiritum tamen non trahant, nec reſpirationem inſtituant. Cui quoque ſententiae egregie fauet antea prolata animaduerſio et alterum HEISTERI *h)* exemplum, in quo per nouem horas viuens et aliquantulum vagiens infans, poſt mortem pulmones ſubſidentes exhibebat, manifeſto indicio, vitam recens nati ex eiusmodi pulmonum ſtatu male et ambigue declarari. Impediri porro recte iudicant ex ſimilibus non ſolum cauſſis, ſed etiam ex inhaerentibus variis morboſis concretionibus et inde deprehendendis pulmonum indurationibus natationem, vita licet praeſente et reſpiratione facta. Hanc pariter irrito deberi effectu ſuſcipi, ſi mala conformatio et clauſura laryngem afficiat, vel ſi eiusmodi in ſuffocatis ad pulmones quantitas ſanguinis reſtagnet, quae nimium replendo eorum ſubſtantiam praeter conſuetas naturae regulas eos graues efficiendo et ſubſidentes in aqua, vitae, cum qua natus erat embryo, obicem producat.

§. XIV.

§. XIV.

Refutatio.

Confitemur ſane nec hiſce, per ſe conſideratis obiectionibus, grauitatem deeſſe, quae ad demonſtrandam infantis vitae ineptitudinem facere videantur, niſi curatius penſitatae docerent, plus tribui huic periculo ac decet. Quicunque enim debilem natum eſſe volunt infantem, non adſtruere, ſed confirmare debent opinionem. Totius corporis diſpoſitio, membrorum habitus et viſcerum reliquorum indagatio, quae notas offert plurimas, a phyſico relatas, facile, num recte illa ſupponatur debilitas naturalis, declarabit. Rectiſſime hinc et accommodate iudicat MORGAGNVS *i*) *priusquam ex pulmonum ſubſidentia arguamus, mortuum infantem editum eſſe, iudicia magnae eius imbecillitatis quaeremus ex matris praegreſſis aut praeſentibus etiam nunc morbis, ex partus difficultate, ex cadaueris ipſius infantis conſtitutione, aliisque eiusmodi: quorum ſi nulla ſint, neque aliud obſtet: quin mortuus emiſſus fuerit, non dubitabimus.* Quare alia ad medicum alia ad iudicem referuntur, quae ſi cuncta ſimul non iunguntur, in ſe non ſufficiunt. Ob hanc etiam cauſſam pulmones diſſecare praecepimus et ſingulas eius particulas rimari, quod in ex-

i) De ſedib. et cauſſ. morbor. Lib. II. Epiſt. XIX. art. 46. To. II. p. 113. Edit. Lugd. Batav.

exemplo HEISTERI factum non eſſe dolemus, vt ea propter de veritate eius decernere non audeamus, aut eam tanti habere, quae aliis omnibus ſolum contradicat vti iam monitum ab HEBENSTREITIO fuiſſe deprehendimus. *k*) Si autem a morbo grauis reddatur pulmo vt in aqua mergatur, oſcitantiam defendere phyſici ſecantis nolumus, quin ipſi culpam adſcribere debemus, incuriae et neglectae diſquiſitionis. Siue nimirum vel totum occupet pulmonem labes, vel partem, illa eius effugere non poſſet ſollicitudinem, in referendis etiam momentis, quae, vt mox monuimus, ex partibus diſſectis habentur, admodum ſolertem. Eadem itaque adſerimus de organicis vitiis, a perito anatomico detegendis, nec non de muco, qui aſperae arteriae itinera praecludit, vel de quibuscunque demum aliis cauſſis et tumoribus, in vicinis locis vel ipſa trachea adſurgentibus et reſpirationem ſupprimentibus, quorum effectuum omnium vis, iuſta ratione aeſtimata, experimenti egregiam ſuppeditat explicationem. Fieri tamen poteſt, vt, ſi v. c. mox poſt partum in aquam, vel cloacam praecipitetur natus, illi prius, ad reſpirationem quam deueniat, eius inſtituendae facultas adimatur, et pulmo vitae defectum indicet, in quo iterum caſu, ob factam ſuffocationem, ſigna alia inueniri debent, quae vitae iam praeſentis efficaciam

com-

k) Anthropolog. Forenſ. Sect. II. Membr. II. cap. II. §. 26.

comprobent, ex quibus accumulatus et protruſus in vaſa pneumonica cruor eſt. Vnicum tandem et grauius forte illud eſt momentum, quod partim ex inflati et natantis, partim ex denſi et ſubmergentis in vno eodemque cadauere pulmonis lobulis depromitur, cui et affirmandae et negandae vitae poteſtas ſit adſcribenda, prout ſupra §. XII. docuimus. Egregie admodum decipiuntur ita ſentientes, quod nolint ſecum reputare, reſpirationem inceptam fuiſſe in iis, quibus vel vnica pulmonis particula inflata diſtenditur, eamque viribus vitae praeſtitam, etſi completa illa, fractis protinus iisdem viribus, euadere non potuerit; has vero vires ſcrutari et metiri ſi nequeat phyſicus, multo minus definire et ex phaenomenis coniicere, ad iudicem res redit, vt explorationi cauſſarum inhaereat, ex vario ſaepe fonte promanantium.

§. XV.

Generalis inde concluſio.

Saepius quidem a nobis dictum eſt, in vnico vix acquieſcendum eſſe pretioſiſſimae vitae hominis definiendo ſigno, quare nunc eadem de tentamine, cum pulmonibus foetus inſtituendo, profitemur, quae vero certo inde conſequuntur, ex collatis inter ſe omnibus, libere docebimus. Apparet nimirum, ſine aeris atmoſphaerici acceſſu pulmones nec diſtendi nec natare, ſed ſubſidere

in

in aqua, hic vero, quod in pulmones ſua ſponte non irruit, ſiquidem alias nullibi collapſos perſpiceremus pulmones, niſi praecedat thoracis, eum inuitans quaſi, motus, quem ſola natura, cauſſis vitae compoſitis vtens, perficit, cum aliqua firmae ſtabilisque ſententiae perſuaſione iudicamus; natantem pulmonem indicium vitae poſt partum, ſubſidentem mortis eſſe teſtem. Nec errorem ab iis ſuſpicamur committi poſſe, qui hanc tuentur ſententiam, dummodo cauſſas, quae vitae perfectionem, durationem aliasque circumſtantias determinant, quarum nunc praecipuas adduximus, ſedulo perſcrutentur, digerant et veritatis indubiae perfectiorem conciliare perſpicientiam non refragentur. Vt ſumma ergo phyſici attentio eſſe debeat, iam repetere non opus eſt, ſed vt ſumma quoque iudicis eſſe debeat ne infanticidium perpetratum credatur, vel negetur, ſimul euidenter noſcitur. Sicut namque nullus iuris peritorum in cauſſa ciuili eum confeſtim reum iudicabit, qui vnico, nec ſatis probato momento, legi contrarius egiſſe inculpatur, ſic in cauſſa ſanguinis et criminali, toti rei publicae maxime damnoſa, ſuſpicionem, quin ex omni parte confirmatae veritatis ſignum acceperit, vitae poenam infligere vix arbitrabitur. Praeuideo etiam, non nullos hanc limitationem, a nobis additam reprehenſuros eſſe, quod multos labores requirit et indefeſſum ſtudium, eos tamen in re digniſſima praemium bene actae

con-

conſcientiae reportantes, quae ſumma eſt felicitas, acquieturos confido.

§. XVI.

Generalis capitis diſquiſitio.

Nondum autem ſuo fecit officio ſatis phyſicus, ſi etiam haec cuncta exegerit, quum in nobiliſſima capitis officina ſuperſint conquirenda ad vitam determinandam indicia, quae cum prioribus tandem rem conficiant. Itaque perueſtigata eius figura, quae non raro ſolet de difficultate partus luculenter teſtari, ex varia ſcilicet compreſſione, obliquitate, ſugillatione et ſic porro cognoſcenda, remotis deinde exterioribus integumentis, in primis, ſi ſerum illud ſanguinolentum in conſpectum veniat, cuius mentionem fecimus, *l)* circulantium humorum et vitae ante partum, non aeque inde manifeſtum habebit ſignum. Fracta et depreſſa oſſa, ſicut certo mortem inferunt, ita violentiae exterioris accedentis indubium documentum praebent, etſi male ſit acturus, qui laeſiones eiusmodi ſemper a parientis arbitrio deduceret. Non deficient autem ob vaſorum exteriorum, hic decurrentium, copiam notae haemorrhagia exhauſtorum canalium. Quum etiam aliquando in vulgus ſoleat recenſeri, acicula, per fonticulum impacta, necari neogeni-

l) Vid. Diſſ. I. §. XIII.

genitum, ſpongia illum repurgatum diſquirere conueniet, ſi id factum fuerit, tunc ſinus durae matris, et profundius immiſſa acicula etiam corpus calloſum oſtenditur, quod vtrumque mortiferum eſſet. Durae deinde matris, itidemque piae vaſa ſanguifera, ſicuti, ſanguinem dum continent, vitam declarant, ita nimium repleta, aut magis rupta, facta ecchymoſi ſuffocationem indicant. Animaduertimus autem eo loco, quo exterius, praecipue in iis, qui difficili partu editi fuerant, ſugillatio aderat, vaſa quoque interiora non raro ſanguine accumulato magis turgida apparuiſſe, quod etſi multa inde concludi nequeant, nobis tamen vitae actionem deſignare videtur. Molle praeter ea neogenitorum eſt cerebrum, immo, ſi putredinis externae veſtigia detegantur, partibus reliquis internis adhuc intactis, facillime corrumpendum, fluxile, vt aperto cranio pultis in modum ſponte effluat. In quo niſi ſanguinis, ex vaſis effluentis, magna quantitas immixta conſpiciatur, quae ruptorum vaſorum ſuſpicionem faciat, vix internarum partium conueniens aliqua diſquiſitio poterit inſtitui. Quare collata reliqua, in cadauere obuia, phaenomena, hoc demum ad ferendam ſententiam confirmabuntur. Si tamen ſectionem ferat encephali ſubſtantia, cognita eius natura integra, pari ac in reliquis viſceribus modo, rectae, in vtero factae, nutritionis documenta exhibet. Ventriculos eius in ſtatu naturali vacuos et rore tan-

tum

tum humectatos eſſe decet, itaque ſi in eos, vel vtrosque laterales, vel alterutrum, vel magis in tertium quartumque effuſae aquae portio inueniatur, quod etiam ſuffocatis fit, ſi nullae aliae notae praeſto ſint, ad iniuriam, in vtero paſſam, declarandam inſeruient. Aliquando haec non ſolum loca, ſed medullam etiam ſpinalem et baſin cranii, quorum locorum nullus eſt negligendus, occupat ſanguis, qui ſoperoſo et apoplectico morbo ortum ſuggerens, lethum faciat, vt ad efficientem cauſſam admodum attentum reddat phyſicum. Siquidem dubitari non poſſit, eum ſanguinem exiuiſſe, praeſente adhuc et durante vita, quam, ſi reſpiratio acceſſerit, etiam poſt partum continuaſſe, in aprico ponatur. Quam inſidioſa enim vitae ſit ſanguinis effuſio in cerebrum, et quam cito, docet apoplexiae ſanguineae ex ruptis vaſis cerebri occidendi celeritas. De vulneribus encephalo inflictis, et de ipſis cranii oſſibus etiam in baſi laeſis, fiſſis aut fractis iam nihil vlterius monemus, quum de eorundem efficaciae et vitae ſubſequente ſuppreſſione omnes chirurgorum libri exponant, et, vt antea notauimus, abunde externae vis adhibitae ſignificationem prodant.

§. XVII.

Itidem faucium. Supereſt et tandem faucium et interni oris caui indagatio, quippe

per quod adpharyngem et laryngem via patet, quam deteſtanda infanticidarum aſtutia quandoque obturare dicitur, ad reſpirationem, ſi fieri poſſet, praecauendam. Fatemur autem, num protinus a partu, ſi ſola pepererit femina et clam, et prius ad reſpirandum aptus ſit neogenitus, hoc poſſit contingere, nos ſubdubitare, eo potiſſimum permoti argumento, quod ſub vltimis partus moliminibus in ecſtaſi quaſi conſtituta pariens vix idonea ſit ad celere eius modi conſilium capiendum et exequendum. Meminimus quoque, nos coenum et quisquilias, varii generis in ore recens natorum reperiſſe, quibus non obſtantibus pulmo reſpirauerat, nataueratque. Sin nihilo ſecius contigerit, aliae in conſilium vocandae ſunt conditiones in cadauere conſpiciendae, quo pateat, num reſpiratio et vita hac ſola, vel ab aliis cauſſis fuerit intercepta. Certius profecto intelligetur, num mucus, nimium in oris cauitate accumulatus, num incongrua conformatio ſuffocationi fauerit. Quandoquidem et hic collo obtorti funiculi vmbilicalis, aut alius compreſſionis diagnoſi perfecta habeatur, nec aliunde de rationibus, ſupra §. XIV. adnotatis, conſtabit.

§. XVIII.

Vitae debilis determinatio.

Quae itaque a nobis expoſitae ſunt externae atque internae, in cadauere foetus et neogeniti obſeruandae notae, vitae quidem certitudi-

tudinem reddent, nolumus tamen hunc locum deſerere, prius dubitationis cauſſa quaedam quam fuerit remota. Diximus nempe debiles quandoque naſci et imbecillos, quibus non ineſſe ſupponitur facultas et robur, quod ad vitam vlterius ducendam requiritur. Hinc autem a medico forenſi non raro poſtulatur accurata admodum et determinata virium poteſtatis definitio; quum is, qui viuenti intulerit iniuriam, qui protinus ipſe viuere deſiiſſet, poenam, quam vitam extinguens validiorem meretur, luere non debere videatur, eſt autem tunc imbecillitas natiua, ex variis conditionibus noſcenda, ex ipſa nempe corporis plenitudine, nutritione, perfecta membrorum conformatione, deinde ex iis, quos in partu ipſo perpeſſus eſt, laboribus foetus, immo ſi ille ſcitur, ex matris ſtatu ſanitatis, denique ex viſcerum internorum integritate, tandemque ex conditionibus illis, quae poſt partum accedunt. Etſi nunc de omnibus diſſerere nequeamus, et pleraque ex ſupra adductis intelligantur, id tamen certum eſt atque indubitatum, quo plures in cadauere neogeniti inſpiciendo et ſecando earum cauſſarum ſigna occurrunt et ſeorſim perpenſa ad vniuerſam vitam conſpirant, eo tutiorem fieri ad vitam concluſionem. Non vna enim cauſſa vitae eſt, ſed multiplex et compoſita, quam homo nunc demum natus requirit, ſi ſufficere debeat exequendis functionibus ſingulis et praeſtando vlteriori incremento. Quicunque hanc

ademerit homini potentiam vel fregerit decentem cauſſarum impetum, is vitam abſtulit et eſt infanticidii reus. Denuo tamen monemus, praerogatiuam ineſſe ſanguinis viis, quibus circulatio praeſtatur, et reſpirationi, in vtrisque ſcilicet actionibus, ſi impedimenta ſunt, vita deletur. Cum fiducia ergo concludimus, qui reſpirat, viuit, licet oppoſitus ſtatus limitationem admittit, et porro, qui non reſpirat neogenitus, extra vterum viuere nequit. Deinde qui reſpirat, eius pulmones, inſtituto experimento, natant, a labe ſi immunes ſint, et cuius non natant, ſed merguntur in aqua, eum non reſpiraſſe iudicamus. Quare vitae debilis et ſufficientis hoc teſtimonium, a ſecante confirmandum eſt per demonſtrationem illarum conditionum, quae vitae normam ſtabiliunt; vt inde iudici pateat, num vitae intermiſſio a natura vel aliunde arceſſita fuerit. Attamen et hic a medico plus, quam fieri aliquando poteſt, vt protinus declaret, exigitur, ſiquidem aliqua, ex actis iudicis, ſi debita cum aſſiduitate inſtruantur, colligi et curatius definiri debeant, nec non deinceps a collegiis medicis, collatis omnibus inter ſe documentis, diſtinctius doceri, vera vt de vitae natura conſtet.

§. XIX.

Concluſio. Interim, vt, quae nunc dicta ſunt, contrahamus, in diiudicanda vita foe-

foetus et neogeniti medico forenſi eodem, quo in morborum diagnoſi vtuntur clinici, more procedendum eſt, quo ſignorum non tantum eorum quae praeſentis, ſed etiam, quae antecedentis ſtatus ſignificationem habent, comparationem inſtituat. Sic enim, quam laboris pleniſſimam eſſe apparet operam, facillimam ſibi reddet. Ita namque comparatae non raro ſunt, inſpectioni et anatomiae cadaueris dicata tempora et conditiones reliquae, vt promptum eius et expeditum laborem cupiant, quibus ipſis tamen ſeſe accommodare diſcet, ſi in externis aeque ac internis ſignis diſpiciendis praetermittat nullum, quod ad expiſcandam veritatem pertinet, et ad corpus, quod vocant, delicti certiſſimum reddendum. Conſtare ſcilicet debet de vita, num adeſſe potuerit, debuerit, et quibus ex cauſſis abierit. Laetabimur, ſi ex apertis nunc riuulis haurire et exſatiari poſſint egentes.

XVI.

DR. ERNESTI GOTTLOB BOSE.

Progr.

De

Iudicio vitae ex neogenito putrido.

Lipſiae, 1785.

Quum data hac ſcribendi neceſſitate in diſſertatione inaugurali de morte foetus eiusque diagnoſi diſſeremus, in mentem venit diſquiſitio ſententiae, num in corpore putrido, quod ob hancce rationem certiſſime pro demortuo eſt habendum, in primis ſi de vitae eius antecedente quaeſtio mouetur, poſſint inueniri notae aliquae, quae vitae praeſentiam reddant indubitatam. De neogenito tantum ſermonem eſſe, vix opus eſſe arbitror, vt moneam, quum de enecato adultioris corpore, num vixerit, qui quaerere ſuſtineat, puto eſſe neminem. Multae quidem cauſſae ſunt, quae neogenito adimere potuerint vitam, in ipſo non ſolum partu, ſed etiam dum is, ex vtero dimiſſus, nobiſcum in communi aere vitam continuare debet. Aliquae ex his doloſae vel culpoſae, aliquae non aeque. De ſingulis iudices quaerunt, iudicio potiſſimum arbitrioque medicorum

con-

confirmati, et poenas iis, qui merentur, decernunt vel remittunt. Sed, quod iis, ſi, infanticidii reae accuſantur, multum intérſit, noſſe ex argumentis firmis, num viuus aliquis natus ſit nec ne, plerumque ea ſolent defendi ratione illae, quae in culpa verſantur, vt, qui earum partes tuentur cauſſarum patroni ad putredinem, corpus delicti incertum reddentem, lubentiſſime prouocent, eo ſane fine, quo documenta, vitam conſilio vel intentione, immo ipſa re deletam eſſe, demonſtrantia, ambigua atque minus animaduerſione digna reddant. Quod quidem eorum conſilium etſi ex omni parte improbandum non eſſe videtur, quod in cauſſa ſanguinis mitiorem, ſi fieri poteſt, amplectendam eſſe ſententiam omnes boni iudicant, meliusque putetur, liberaſſe ſontes ac damnaſſe innocentes: tamen veritatis inquirendae cauſſa nihil omittendum eſt, quod ad eam dilucidandam quidquam conferre poteſt. Largimur vtique, foetum cum putredinis ſignis ex ipſo vtero emiſſum, quum vita cum putredine non ſubſiſtat, pro vitali nunquam eſſe habendum, atque hinc de eius morte dubitationem quoque nuſpiam iri motam; verum, quia de iis foetibus, quorum in foro diſquiſitio ſuſcipitur, plerumque non conſtat, an recens nati fuerint, an per aliquot tempus aſſeruati demum putredinem contraxerint, neceſſum eſt, caute circumſpicere, num non obſtante hac putredine obſeruata, quaedam de vita eorum, poſt partum ſci-

licet ſuperſtite nec ne, queant declarari. Partus immaturus in hac perſcrutatione eam ob rationem in cenſum non veniet, quo ex eius magnitudine, membrorum conformatione, imperfectione, aliisque ſimilibus conditionibus iam patet, vitalitate ſic dicta eundem carere. Nec facile credendum eſt, tali violentas manus inferri, partium incremento vitam extra vterum continuare nequit. Quo magis tamen ad maturitatem acceſſerit, a ſeptimo ſane ad nonum geſtationis menſem vſque, eo magis etiam is, ſi conueniens ipſi adhibetur cura, ad vlterius pertexendum vitae filum diſponetur. Sed de eodem tunc aeque ac de maturo et perfecto foetu idem erit iudicium, illudque ex fundamentis certis atque in ipſo indagando corpore inueniendis, deſumendum, quandoquidem in cauſſa ſanguinis nihil eſt committendum, quod vel ſcrutatori in opprobrium, vel reo in detrimentum aut fauorem vergat.

Obſtare tamen poteſt, in certitudine facti ſtabilienda ea propter impediri diſquirentem, quod a putredine, iam nata, eiusmodi partium deſtructio proficiſcatur, quae efficiat, vt decentem et naturalem earum indolem amplius dignoſcere nequeamus, ex quo conſequatur, fallax eſſe fierique iudicium. Sed, qui ita ſentiunt, eum videntur putredinis gradum praeſumere, quem ſummum dicere conuenit, quique omnem partium

com-

compagem ſoluerit, vincula naturalia et cohaeſionem labefactauerit, foetidiſſimam induxerit ſracedinem, carnes emolliuerit, oſſium nexum deſtruxerit, viſcerum habitum eo laceſſiuerit modo, vt diffluens illorum materies nihil diſcernendum relinquat. Nec diffitemur, nobis aliquando eiusmodi neogenitorum cadauera fuiſſe oblata, in quibus eadem euenerint, quae corporis delicti definiendi omnem propemodum eluſerint operam. Limites tamen quum habeat putredo, ea tantum medicum forenſem in determinanda vitae, quae adfuerit, veritate conuincet, quae aliquas, et a putredine facillime corrumpendas partes tetigerit, nec plene eas deſtruxerit, quin potius earum rite diſpiciendarum reliquerit copiam. Etenim quotidiana docet experientia, carnes vel alias partes animalium, liberiori expoſitas aeri, non totas mox putredine colliqueſcere; ſed lente ab initio ſolui, facta deinde maiore ſolutione integras demum deſtrui, itidem in cadaueribus, in viis quandoque publicis occurrentibus obſeruatur, quare idem de humanis quoque valebit corporibus. Diuerſa nimirum partium, corpus noſtrum conſtituentium, compages eſt, firmior laxiorque cohaeſio, mollities, durities, flexilitasque admodum diſcrepans, quarum ſingula pro determinato cohaeſionis gradu maiorem minoremque exſerit reſiſtentiam, quae a putrilagine non protinus vna eademque afficitur ratione. Hinc eluceſcit, in iis cadaueribus, quae ſubiiciuntur

untur legalibus inſpectionibus atque perſcrutationibus, leuioris putredinis corruptione tactis, ſupereſſe partes aliquas poſſe, quae ad dilucidandas conditiones, vitae poſt partum praeſentis indicia adhiberi queant. Non membrorum proportionem hic memoramus, quae num maturitatem ſuam aſſequutus fuerit neogenitus, nec ne, immutata a putredine permanens diſtincte ſignificat, quum ex ſolis ſuperſtitibus oſſibus eorundemque comparatione inſtituta, aetatem foetus declarari iam poſſe anatomicos non lateat. Illa ſuſpicionem quidem mouebit, foetum ob id, quod perfectus ex vtero exiuerit, ad partum vsque viuum ſupereſſe potuiſſe, praeſertim, ſi capillis in capite, vnguibusque digitorum pedumque, nec non capite membrisque extremorum perfectis inſtructus, partium ſuarum plenitudinem roburque oſtendit; at num extra vterum vixerit, inde vix intelligetur. Id etiam multo minus certitudinem largitur iudicii, ſi, quod nunc ſupponimus, per varias cauſſas natus ſit putridus eius ſtatus, qui notas haſce accedentes delendo eo magis reddiderit fallaces.

Varietas autem diuerſorum graduum putredinis, eiusque eminentiae multum cum illis conſpirat cauſſis, vnde haec ſuam accepit originem. Si iam in vtero vita deceſſerit embryo, nullus mirabitur, eundem in lucem editum, facillime atque citiſſime diſſolutum iri, ſi nimirum euentui

re-

reſpondent fauentes tempeſtatis conditiones. Aeſtate et vehementer calido tempore demortua animalium cadauera mox corrumpuntur, in febribus putridis, petechialibus, ipſaque peſte celerrimam exoriri putredinem, confirmat obſeruatio, teſtatur immanis exhalans mephitis, idonea propagandi miaſmatis ſpargens ſeminia. Coniuncta itaque potenter agentia haecce momenta cum inhaerente putredinis cauſſa feliciorem magis deſtructionis producent effectum, qui in calido et pene feruente vtero, quo mortuus detinebatur foetus, egregium ſumſerat initium. Hyemali quidem tempore et frigore rigente bruma, qua ſolidae aeque ac fluidae animalium partes, calido deſtitutae motore, arcentur a putredine, effectus ille longe erit lentior, ſed euidentior quoque et magis furens facta iterum temperie. Quare ipſius tempeſtatis notitiam habendam eſſe ad veritatis genuinae explanationem inde pateſcit. Si porro, quod non raro ſolet contingere, neogenitus terrae mandatus, per aliquot dies ibidem detentus, tandem demum iterum effoſſus, ſcrutinio offeratur, in primis, quod nudus plerumque ſepeliatur, hinc humidioris terrae virtuti et deſtructionis minis obnoxius fiat, egregiam nanciſcetur opportunitatem, augendae putredinis et corporis delicti ambiguitatis. Plurimum efficaciae quoque additur, ſi recens natus in aquas proiectus, intercedente demum aliquo tempore inuentus fuerit atque protractus.

tractus. Arbitramur autem, ipſarum aquarum diuerſitatem eſſe ponderandam, aqua ſcilicet pura, clara, ſemperque mota afficiet quidem vehementerque emolliet cadauera, ſic, vt eadem ex naturali grauitate atque pondere antea ſubſidentia, ſuccedente tempore, vtpote leuiora reddita, ſurgere atque levari videamus, tamen, ſi ex hac eripiantur, teſte diſſectione, ea, quae corporis ſuperficiem cingunt, integumenta potiſſimum, minus ſubiectas partes ſtatim labefactatas comperimus, vt earum diſquiſitioni et diiudicationi exoptatus ſuperſit locus. Impura e contrario, ſtagnans, putris et ex affluentibus ſimilibus inquinamentis foetida atque paludoſa aqua prout liberaliter porrigit ſuam indolem corporibus, ita quidem, vt piſces ſtagnorum ſqualidi putrilaginem olere deprehenduntur, ita demortua magis corpora in ſui trahit conſenſum. Quam ob rem educti ex his neogeniti breui macerati quaſi et fluxiles inueniuntur. Penes beneuolos tandem eſto lectores iudicium, qui ſentiant de foetibus, in cloacas, foeculenta lotiique ſpurcitie refertas, quales in magnis plerumque vrbibus diu clauſas, fermentationi aut euolutioni putridarum moleculamarum apprime accommodatas, deprehendimus, viuos aut mortuos proiectis, quos pauco interiecto tempore tantam ſubire mutationem aliqua nobis oborta exempla declararunt, vt in his aegerrime quidquam detegatur, quod vel vitam

an-

anteactam praeter mephitim ſubolfacere permittat.

Quae quum ita ſint, iure videri poſſet omnem concidere opinionem, qua adſtruere conamur, in putrido quoque neogenito ſupereſſe criteria, quae dubitare non ſinant medicum forenſem, quin vitae poſt partum aliqua adhuc extent veſtigia. Non poſſumus quidem non ambabus concedere contradicentibus, in abſoluta, ſi ita dicere fas eſt, ſeu conſummata corporis putredine nihil eſſe, quod inſtruere poſſit aliquem, tunc enim deperdita fere ſunt omnia, niſi quae ex magnitudine et incrementi priſtina nobis dignoſcuntur, vti iam aſſeruimus: in interioribus partibus autem, dum externae iam maximam partem conſumtae occurrunt, relicta gliſcit flammula cognitionis. Quod vberius pateſcet illi, qui percurrere diuerſas partes corporis non detrectauerit. Externam corporis ſuperficiem, per diuerſas cauſſas multum pati eaque propter celeriori deſtructioni ſubiici, antea conceſſimus, quare illae quoque deficient, quae coniecturis tantum fauent, notae, quamuis cutaneus habitus, ob denſam, qua conficitur, fibrarum intricatum nexum reſiſtendi exercet poteſtatem, ſuperato tamen reniſu eo lubentius diſſoluatur. Suppoſitae his carnes, vtpote per ſe ſucculentiores, tum per putredinoſum miaſma, tum per proprios inhaerentes ſuccos, eosque facillime corrumpendos,

dos, fatiſcunt, ſic autem eam, quam ex robore earundem, et firmitate, ceu congruae nutritionis factae teſte, concipimus ſpem demonſtrationis irritam reddunt, ſiquidem ſimul inueniantur frac ſcere. In muſculis praecipue abdominalibus, in naturali etiam defunctis morte, facile tertio iam quartoque poſt obitum die viridefcentes liuidesque maculas detegunt diſſectores. Nec maius expectandum eſt ſolatium ex perſcrutatione viſcerum quorumcunque, quae abdominis cauo inſunt. Peritonaeum, eadem comprehendens valide diutiusque reſpuit vim putredinis, nequit autem impedire, vt inteſtina, vtpote ſtabulum variarum quisquiliarum, ſponte in interioribus exorta putredine abſumantur, eademque viciniam inficiant. Vaſa, quae per abdomen decurrunt ſanguifera, eademque maiora, niſi iam diuturniore putredine, quam continent, ſanguis fatiſcere ceperit, id confirmant, neogenitum exhauſto ſanguine aut haemorrhagia lethali non periiſſe, quae tamen in mortuo nato pariter locum non habet. Nobilia porro, quae in capite collocantur, ſub encephali nomine viſcera parum tuta ſunt a reſolutione putrida, quippe quae ſaepius in ſatis adhuc firmis, minusque deſtructis infantibus offendimus in pulpam fluxilem conuerſa fuiſſe. Quo non parum confert naturalis illa et mollis teneritudo cerebri in neogenitis, quae aetate demum maiorem acquirit

quirit conſiſtentiam; denſo licet elaſticoque durae matris inueſtitur aulaeo. Dum vero in his iam dictis partibus parum occurrit, quod conuincere cum certitudine queat indagantes, ſupereſt tantum, vt ad viſcera, quae vitalia vocari ſolent, nos recipiamus. Eadem ſtudioſe admodum in pectore recondita, cor atque pulmones puta, de vita etiam poſt partum indubitata offerent documenta. Minor quidem nec omni exceptione maior eſt in corde vitae ſignificatio, in quo, praecipue in anteriore eius ſinu, auricula atque ventriculo, non niſi grumoſus continetur ſanguis, cuius exſpirante foetu vel neogenito adhuc motum adfuiſſe cognoſcimus, idem ecchymoſes atque ſugillationes confirmant. Praebet autem non obſcurum vitae ad partum vsque praeſentis teſtimonium. Longe autem euidentior, cui fidem denegare nequeas, in pulmonum ſtatu erit inuenienda, quippe qui omni eo tempore, quo in vtero reſtitabat foetus, feriantes nunc demum ad actionen quandam excitati äere ſuſcepto agere incipiunt. Hi in crate pectoris clauſo collocati miro modo diutius ab iniuriis putredinis immunes manent et diffluentibus iam pene reliquis viſceribus intacti perſiſtunt. Aperto hinc pectore ſollicite exempti ad conſuetam deinde adhibiti docimaſiam, ſi ſubſident, reſpirationem poſt partum nondum factam fuiſſe docent ſimulque plenam vitam

nondum adfuiſſe indigitant, ſin leuantur et aquis innatant, reſpirationem contigiſſe declarant atque ſic poſt partum recens natum vixiſſe, is licet alibi putredine infectus reperiatur. Quo vero omnem ex animis aliorum de hoc tentamine euellamus ſcrupulum, bene tenendum eſt, reſectos cum corde pulmones ſimul aquae imponendos eſſe, illud vero deinde ſeparatum ſponte ſubmergi debere. Nam ſi cor ſeorſim natat, maiorem gradum putredinis denotat, hinc certitudini experimenti obeſt. Caute porro inquirendum eſt, num laeſio pectori acceſſerit, aut eroſio ad interiora penetrauerit, quae efficiat facillime, vt äeris liberior introitus pariter interiora corrumpat, excitata nimirum hic putrida diatheſi. Neglecta namque hac animaduerſione, ab errore libera non eſt diſquiſitio. Quod nuper demum ipſi cognouimus in neogenito admodum putrido, in quo diſrupta iam pleura, quae, magis tamen ac peritonaeum tenax, reſpuit impetuoſum putredinis furorem, pulmones valde emolliti ſimul cum corde natabant, quod pariter ſeparatum aquis continuo inhaerebat liberaliter, ob liberrimam äeri nociuo viam patentem.

XVII.

XVII.

IOANN. DANIEL REISSEISSEN,

Diſſertatio,

De

Veneficio doloſo.

Argentorati, 1781,

Auct. et Reſp.

IOANN. FRANCISC. EHRMANN.

L. B.

Plura in hac Diſſertatione invenies, quae propius ad Medicinam, quam ad Jurisprudentiam ſpectare videntur. Ab iis tractandis plane abſtinuiſſem; ni ex Praelectionibus Chemicis Clariſſimi SPIELMANNI Noſtratis et ex quotidiana converſatione cum optimo Patre, hujus civitatis Phyſico, plura didiciſſem, quae materiam electam illuſtrare queant.

In digerendo hoc opuſculo Conſultiſſimi Praeſidis uſus ſum conſiliis; qui tamen meo arbitrio reliquit, eam, quae mihi arrideret, amplecti ſententiam. Attamen haud raro argumentorum pondere victum, in ſuam, me pedibus iviſſe, honori duco.

Da veniam erroribus; maturior aetas maturiores forte fructus dabit.

Sectio I.

DE VENENO.

CAPUT I.

De eius nomine et definitione.

§. I.

Veterum auctorum.

Veneni vocabulum vario apud Romanos veniebat ſenſu. Paullo latius acceptum omne id continet, quod adhibitum eſt, eius naturam, cui adhibitum eſt mutat *a*). Quum autem illorum nonnulla naturam in melius, quaedam in pejus mutent, ſive, ut cum CAJO *b*) loquar, tam medicamenta, quam quae nocent, *veneni* nomine contineantur; illa *venena bona*, haec autem *venena mala* vocaverunt. Secuti in eo Graecorum exemplum, qui τὰ φάρμακα diſtinxerunt in ἐσθλὰ et λυγρὰ *c*). Sed haec epitheta non ſemper adjecta deprehendimus

a) CAJVS in *L.* 236. *ff. de V. S.* Hanc L. erudite explicat *Hubertus Gregorius van Vryhoff* in Diſſ. *ad L.* 6. *§.* 5. *π. de Diviſ. rer. et qualit. L.* 16. *§.* 8. *de Poen. et L.* 236. *π. de V. S. Lugd. Bat.* 1735. Eam exhibet *Oelricht Theſaur. Diſſ. jurid. ſelectiſſ. in Acad. Bel. hab. Vol. I T. III. Diſſ.* 24. *p.* 191.

b) *l. c.* cum eo conſpirat *Marcianus in L.* 3. *ff. ad L. Corn. de Sic. et venef.*

c) *Homer. Odyſſ. IV. v.* 230.

mus, et idem nomen mox bonum quid, mox eius contrarium ſignificat, prout id ſuadeat verborum connexio. Ejusmodi vocabula nominaverunt *media* ſive *communia d*). Attamen ut plurimum in malam partem dicuntur *venena*, in bonam *φάρμακα*. Illud ex MARCIANO *e*), hoc ex ARISTOTELE *f*) et HIPPOCRATE *g*) patet; qui ad deſignandum *venenum malum*, voci *φάρμακον* adjicere ſolent *δηλητήριον*, *θανατήφορον*, *τοξικὸν* et ſimilia, quae verba, ſi omittunt, *φάρμακον* eis plerumque medicamentum eſt *h*).

Apud Latii poëtas *veneni* vox ſaepe pro pigmento vel tinctura et praecipue purpura ſumebatur, quam *Aſſyrium venenum* vocat VIRGILI-

d) A. GELL. *N. A. L. XII. c. 9. Ulp. in* L. I. *§. 3. de Serv. corrupt. et* MARCIAN *l. c.*
e) In L. I. §. I. *ff. ad* L. *Corn. de Sic. et venef.*
f) *Problemat. Sect.* I. *Probl.* 48.
g) *Aphoriſm.* L. *IV. Sect.* 4. *Aph.* 21. L. *VII. Sect.* 7. aliisque locis.
g) Immo quandoque pro cibis delicatiſſimis ſumebatur ÆL. SPART. in *Adriano c.* 21. *Inter cibos unice amabat* tetrapharmacum *ſeu potius* pentapharmacum, *quo poſtea ſemper Adrianus eſt uſus, ipſe dicitur reperiſſe, hoc eſt ſumen, phaſianum, pavonem, pernam cruſtulatam et aprugnam.* LAMPRIDIVS in *Alexandro Severo c.* 30. *Uſusque eſt Adriani* tetrapharmaco *frequenter, de quo in libris ſuis Marius Maximus loquitur.*

vs *i*) hunc vero ſignificatum priori originem debere non abs re ſuſpicor, quod pleraque pigmenta atque tincturae reapſe venena ſint vel bona vel mala, et a veteribus iis adnumerentur, id quod de purpura in ſpecie ad illorum claſſem pertinente abunde probare poſſum ex HIPPOCRATE *k*), DIOSCORIDE *l*) atque PLINIO *m*).

Venenum ſenſu quoque magico occurrit apud HORATIVM *n*) qui ſic:

Quae ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit deus?

Reliquas apud veteres uſitatas *Veneni* ſignificationes, quae plerumque metaphoricae ſunt, tanquam a ſcopo noſtro alienas mittamus, et quid recentiores in deſcribendo definiendoque veneno praeſtiterint, videamus.

§. II.

Recentiorum auctorum.

Temporum lapſu *veneni* nomen fere ſemper de *veneno malo* ſumebatur, atque nocivum quid deſignabat. In illo autem definiendo tam a veteribus, quam inter ſe ipſos, mirum in modum diſcrepant recentiores ſcriptores. Quodſi hae dif-

i) *Georg.* II. *v.* 465.
k) *de Victus ratione Sect.* IV. *Lib. II. p.* 25. *edit. Frf.* 1595. *fol.*
l) *Lib.* II. *c.* 4.
m) *Hiſt. Nat. L.* XXXII. *c.* 6. *S.* 21. *ed.* HARD. etc. 10. *S.* 41.
n) *Lib. I. od.* 27.

differentiae jurisprudentiam non tangerent, JCti non eſſet, ſe his tricis immiſcere. Quum vero in crimine veneficii judex ſententiam veneni ſuperſtruere definitioni teneatur: illius notionem ſollicite definiri, JCtis quam maxime intereſſe, quis non videt? Nam ſi juſto latior eſt veneni definitio, innocentis fama, quinimo vita periclitatur. Quod ſi e contrario paullulum reſtrinxeris veneni limites impunitate gaudebunt facinoroſi. Jamjam video JCtos, qui vnico verbo, tanquam Alexandri gladio, huncce nodum ſolvere cupiunt. Haec, ajunt, nos minime curamus, ableganda ſunt ad forum medicum. Verum enim vero, ſi ipſi Medici, de quibus praecipue hic ſermo eſt, ſatis diverſas definitiones exhibent, prout ex hac aut ex illa ſchola exierunt; ſi etiam non paucis medicorum omnes hactenus, vel a celeberrimis auctoribus datae veneni definitiones aut deſcriptiones nimis vagae ac incompletae videntur; quo ſe vertat tandem JCtus? Juramentum quod Medicis, qui in his cauſſis conſuli ſolent, defertur vel jam ratione officii praeſtitum eos obligat, judicem ſecurum praeſtare non poteſt, quum conſcientiam tantum ſtringat, non autem illorum opiniones corrigat.

Duo praecipue media, quibus his incommodis obviam eatur, ſupereſſe mihi videntur. Alterum, ut legislator ipſe, quid ſub *veneni* voce intelligi vult, dicat, quod pro temporum ra-

tione fecerunt *Romani o*) et *Galli p*). Alterum, ut JCtus quod legislator omiſit, ſuppleat, adeoque ipſe celeberrimorum Medicorum definitiones rimetur, eamque eligat, quae intentioni legislatoris conſentanea magis eſſe videtur. Eundem in finem quoties deciſioni medicae locus ſit, artis peritos adigat judex, ut, veneni definitionem, cui favent, reſponſis adjiciant, praeſertim ſi reſpondentium doctrina pluribus nondum inclaruerit teſtimoniis. His rationibus adductus, omnes, quas vidi, definitiones veneni ac deſcriptiones *q*) examinavi atque comparavi; ex quo

o) V. *Tit. ff ad L. Corn. de Sic. et venef.*

p) EDIT DU ROI *pour la punition de différens crimes*; donné à Verſailles au mois de Juillet 1682. *Regiſtré en Parlement le* 31. *Août audit an.* art. 6. et 7. Renouvellé par la DECLARATION DU ROI *concernant les Empoiſonneurs*; donné à Verſailles le 14. Mars 1780. *Regiſtré en Parlement le* 20. *desdits mois et an.* Edictum illud exhibent quoque *les Cauſes célébres T I* art. *célébre Empoiſonneuſe et Recueil d'Ord. d'Alſace* nouv. éd. *T. I.* p. 112.

q) Multas a medicis, qui ſuperiori aetate vixerunt, datas veneni definitiones exhibet LANZONI *de Venenis. In eius oper. Lauſannae* 1738. 4. *T. I. et* LINDENSTOLPE edit. a STENTZELIO *de Venen. Fr. et Lipſ.* 1739. 8. Inter recentiores talia dederunt MEAD *de Venen.* HEBENSTREIT *Anth. forenſ.* GMELIN

quo labore mox compertus ſum, pleroſque ſcriptores venena *propria* cum *impropriis*, in *ſenſu lato* ſumta cum *ſtricte* ſumto confundere, et praeterea alios magis ad forum juridicum, alios ad medicum magis reſpexiſſe. Inde mirum in modum a ſe invicem diſſentiunt. In tanta rerum confuſione optimum factu erit, ſectae ſtudium penitus abjicere et vagas notiones, quantum fieri poteſt, definire. Miſſis igitur quae ſcopo medico, non autem juridico inſerviunt definitionibus; miſſa *veneni* notione in *ſenſu lato* ſumta, qua omnis materia, quae humano corpori applicata nocet, comprehenditur; illud praecipue videamus, quid ſub *veneno* in *ſenſu ſtricto* intelligi debeat.

§. III.

Verae definitionis illuſtratio.

Venenum τοξικόν, Poiſon, Gift, r) in *ſenſu ſtricto* eſt corpus, quod nunquam alit;

G 5 ſed

LIN Joh. Fried. Allg. Geſch. der Gifte, I. Th. Leipz. 1776. 8. et multi alii, quae de venenis ſermonem fecerunt.

r) A Geben. Leg. SS. Joh. de S. Franc. do duchte in wi im riche *Gift* were an derſelben tat gegeben. vid. *Gloſſarium Germanicum medii aevi auctore* JOH. GEORG. SCHERZIO, *editum, illuſtratum, ſuppletum* J. J. OBERLINO, fol. T. I. prodibit. *Argentorati* 1781. v. *Gift.*

ſed naturam animalem mutat, et ultra certam quantitatem experientia determinatam aſſumtum necat.

Ex hac definitione ſequentes fluunt propoſitiones. I. Venena nunquam alunt. II. Illa naturam animalem mutant, et III. Ultra certam quantitatem experientia determinatam aſſumta necant.

Quum igitur venena *nunquam alant*; prono alveo inde fluit, huc non pertinere, quae *alimentis* accenſentur *s*) niſi corrupta illorum naturam induerint.

Quumque porro toxica *naturam animalem mutent*; ſequitur, ea eſſe *φάρμακα*, *medicamenta*, vocabulis his ſenſu lato ſumtis *t*).

Ultimum atque praecipuum illorum requiſitum in eo conſiſtit, quod *ultra certam quantitatem experientia*, quantum fieri poteſt, *determinatam necent*. Exinde ſequitur, nihil intereſſe, an corpus aliquod revera mortem intulerit, an vero lata ope evaſerit aeger; dummodo illud in ea quantitate, qua ſumtum fuit, lethiferum eſſe, experientia edocti ſimus. Ex eodem principio ſequitur, in foro criminali nihil intereſſe, majus ne an minus ſit materiae mortiferae volumen, adeoque omittenda eſſe, quae plerique auctores venenorum notioni addunt, nimirum, quod

s) SPIELMANN *Inſt. Mat. Med. Proleg.* §. 2.
t) *Idem l. c.*

quod *parva* vel *minima* quantitate lethifera ſint. Haec enim limitatio, ut taceam, quod ſit vaga, definitionem veneni in venificio nimis ſtrictam reddit, adeoque, licet Medicis forſan utiliſſima ſit, JCtum certe in errorem ducere poteſt. Nam corpora minora veneficiis quidem aptiora eſſe, nullus dubito, cur autem corpora in majori quantitate demum certo necantia e venenorum numero eliminari debeant, non video; quum ex hac claſſe periculoſiſſima, quod difficilius detegi queant, ut plurimum parentur toxica, ſcilicet *venena lenta*, in quorum applicatione eo potiſſimum artificio utuntur ſceleſti, ut per temporum intervalla, et diviſis portionibus, magnam veneni quantitatem corpori ingerant, et ita pharmaco in magna doſi dato mortem afferunt, quod in parva lethifera haud fuiſſet. Ex his omnibus denique colligi poteſt, quaedam venena, in minori quantitate ſumta, poſſe medicamentorum locum obtinere, et vice verſa, medicamenta in majori quantitate data, vera venena evadere, uti videre eſt in *Tartaro emetico*, *Mercurio ſublimato* etc. et in genere omnibus fere hactenus cognitis in noſtris regionibus venenis. Talia itaque venena *relativa* ſunt ad quantitatem doſis, qua ſubiecto cuidam applicantur. An vero dentur *venena abſoluta*, quae in omni quantitate applicata mortem inferunt *u*) ignoro.

Sunt,

u) Eam differentiam agnoſcere videtur cum

aliis

Sunt, qui ne *Arſenicum* quidem inter venena abſoluta referunt, immo dantur medici, inter quos SLEVOGT *x*) FRICCIVM, *y*) et JACOBI *z*) nominaſſe ſufficit, qui Arſenicum intus et extus adhibendum publice commendant, et prior hujus pharmaci utilitatem in his morbis, per experimenta in quinquaginta hominibus facta oſtendere conatus eſt. Quantum veritatis horum eruditorum aſſertionibus inſit, Medicis decidendum relinquo. Nec magis certi quid pronunciare auſim de utriusque Indiae toxicis, quorum mentionem faciunt, de Orientali *Macaſſarienſi* ex ſaucia arbore *Jpu.* ſ. *Upa* collecto, KEMPFFER *a*) de Americanis *Ticunas*, *Lama*, etc. *de la* CONDAMINE *b)* HERISSANT *c*) et FONTANA *d)*; nec non de venenis morſu quorundam

aliis BOEHMER *Obſ. II. ad Carpz. P. I. Q. XXI.* dum venena *in quali et in quanto* nocentia agnoſcit.

x) In ejus *Propemtico de permiſſione prohibitorum et prohibitione permiſſorum* ad Diſſ. KRAUSII et BAIERI *de Capillis.* Jenae 1701.

y) in Tract. *de Virtute venenor. medica, Ulm* 1701.

z) v. *Acta Acad. Mogunt. T. I.*

a) *Amoenitat. exotic. Faſcic. III. obſ.* 10. *p.* 579. cf. STENZEL et NULLER Diſſ. *de Venenis acutis. Viteb.* 1732.

b) *Mém. de l'Acad. R. d. S.* 1745. *p.* 489.

c) *Phil. Tranſact. Vol.* 47. *p.* 75.

d) *Phil. Tranſact. Vol.* 70. *p.* 163.

dam animalium venenatorum aut furioſorum illatis. His ſaltem, ſi abſoluta ſint, non adnumerandum eſſe videtur canium rabidorum venenum, quod varias obſervationes adducit VAN SWIETEN *e*) quibus patet, plures homines demorſos fuiſſe eodem tempore, et ab eodem cane rabido; quosdam periiſſe hydrophobos, licet variis medendi methodis uſi fuerint; alios vero nullum aut leve modo malum, neutiquam tamen rabiem, inde percepiſſe, licet nullam omnino medelam adhibuiſſent. Haec de nomine et notione veneni ſufficiant. De illius diviſionibus, quae dicenda ſunt, videamus.

CAPUT II.

De veneni Diviſionibus.

§. IV.

Prima diviſio.

Venena varie dividi poſſunt, prout vel in modum, quo agunt, vel in applicandi modum, vel agendi velocitatem inquirere cupis.

Secundum modum, quo agunt venena, dividi poſſunt in *mechanica* et *phyſica.* Illa ſunt, quae per ſe innoxia, uti cetera ſcindentia inſtrumenta cutellatis ſuis fibris inteſtina vulnerando morti cauſam praebent. Haec ſunt quae interna a natura inſita vi agunt. Omnia nunc hucusque

e) *Comment. in Boerhave Aphor. T. III. ƒ.* 1137 *p.* 548.

que nota venena recenſere animus non eſt, partim, ne maiora ſint, quae aliorum cauſa complectimur, quam ipſa illa, quorum haec cauſa praeparantur; partim, quod, qui de venenis ſcripſerunt, auctores largam meſſem fecerunt, quam adire cuivis licet; partim etiam quod, qui vitae venenis inſidiantur plura illorum aut non noſcant, aut tanquam furiali ſcopo minus commoda, intacta relinquant, ideoque non tantus ſit venenorum in foro criminali obvenientium numerus. Quamobrem praecipua quaedam ſolummodo perluſtrabo.

Ad *Mechanica venena* referuntur *Adamantis*, *Cryſtalli* et *Vitri* ramenta, quorundam metallorum limatura, et ſimilia; quae omnia eodem modo agunt, ſi in aſperiori pulvere aſſumuntur. Quodſi autem in tenerrimum pollen redacta ſunt, absque mortis periculo deglutiri poſſe dicitur, niſi in corpore reſolvi queant. Tunc autem non forma ſua externa; ſed interna potius qualitate nocent, adeoque ad ſequentem venenorum claſſem pertinent. Ex harum notionum confuſione orta eſt opinionum diverſitas, ita ut ab aliis quaedam horum corporum venenis adnumerentur, quaedam ab aliis ex eorum ſerie excluderentur *f*). Cautum atque circumſpectum JCti ut et Medici

f) LINDENSTOLPE *de Ven.* c. *III. theſ.* 29. HOFFMANN et PARREIDT Diſſ. *de cauta et circumſpecta veneni dati accuſatione. Halae Magd.* 1735. §. 22. *ſqq.* LANZONI *de Ven.* c. 12. HEBENSTREIT *Anth. for. S, II. m. II. c.* 2. *art.* 5.

ci judicium et hic rem conficere, non eſt, quod moneam.

Venena Phyſica iterum dividuntur in *corroſiva, ſtupefacientia* ſ. narcotica, *adſtringentia* et *animalia*.

Inter corpora, quae venena largiuntur *corroſiva*, quae ſicuti mechanica, ſolutionem continui inferunt, quaeque ex terrae viſceribus potiſſimum deſumta ſunt, eminent *Arſenicum* et omnis ejus gleba, *Regulus Antimonii, Acida foſſilia* ſive per ſe, ſive ope metallorum concentrata *g*). Ex regno animali *Cantharides; Euphorbium* ex vegetabili nominaſſe ſufficiat *h*). Ad rodentia venena optimo jure referuntur etiam *medicamenta*, quae ob ſummam agendi vim *draſtica* vocantur, quales ſunt: *Tartarus emeticus, Gummigutta, reſina Scammonti, Jalappae* etc. juſto majori ingeſta doſi *i*)

Illa venena, quae, dum ſenſorium commune ob-

g) cf. SPIELMANN *Inſtit. Mat. Med.* v. *Arſenicum, Antimonium* etc. MACQVER *Dict. de Chemie*, art. *Arſenic.* HOFFMANN diſſ. cit. STENZEL et MULLER Diſſ. *de Ven. acut. Vit.* 1732. ESHENBACH *Medic. Leg.* C. I. S. I. §. 12. *ſqq.* GMELIN Allgm. Geſch. der Mineral-Gifte.

h) SPIELMANN l. c. v. *Cantharides et Euphorbium.* GMELIN Allgem. Geſch. der Pflanzen-Gift.

i) cf. BOEHMER *El. Jrpd. Crim. S. II. c.* 20.

obnubilant, ναρκωσιν inducunt, ideoque *narcotica* ſ. ſtupefacientia dicuntur, regno vegetabili potiſſimum debentur. Talia praebent prae reliquis *Cicuta, Opium k) Solanum furioſum* ſ. Belladonna, *Mandragorae* radix *hyoſciami* ſemen cum radice, qua, uti WEPERVS *l*) narrat, integer conventus Benedictinorum Rhinovienſium a. 1649. una coena in magnum periculum adducebantur. De his ſimilibuſque plantis evolvi merentur SPIELMANN et GUERIN *m*) JOH. FRIDERICUS GMELIN *n*) ut et EBERHARDUS GMELIN *o*).

Adſtringentia venena, quae vaſa arctant, oriuntur inprimis ex *praeparatis ſaturninis* ſive ex plumbo factis, quorum venenatae vires, lentae, nihil-

20. §. 236. *et Med. ad* C. C. C. *art.* 130. §. 1. *Meiſter Princ. Jur. Crim. S. II. c.* XXII. §.I.*Eſchenbach Med. Leg. C. I. S. I.* §. 9. *et* HOME *Princ. Med. P. II. S.* 3.

k) TRALLES *Uſus opii ſalubris et noxius in morb. medela. Vratislaviae* 1757. 4.

l) *de Cicutae aquaticae noxis p* 231.

m) Diſſ. *de Vegetabilibus venenatis Alſatiae. Argent.* 1766.

n) *Tract. cit. et Ejusd. Hiſt. venenor. vegetabil. Sueviae indigenor.* in append *Nov. Act. Phyſ. Med. Acad. Nat. Curioſ. T. VI.*

o) *Experimenta et Obſervationes ſcepticorum et antiſcept. indolem illuſtr. in Nov. Act. Phyſ. Med. Ac. Nat. Curioſ. T. cit.*

nihilominus tamen certae ſunt; *p*) licet quidam Medici, inter quos HOFFMANNVM *q*), eſſe doleo, de illorum virtute nos admodum ſecuros reddere tentent. Haec etiam baſin, ſicuti fere omnium venenorum lentorum, ita et decantati illius pulveris *poudre de ſucceſſion* dicti, conſtituere admodum probabile eſt; licet de eo, an unquam extiterit aut adhucdum exiſtat, et annon potius ad commenta medica ablegandus ſit, dubitet ESCHENBACH *r*).

Singulare genus conſtituunt *venena animalia*; quorum naturam et indolem huc uſque fere incognitam eſſe, vel magni nominis Medici ingenue fatentur. Huc refertur virus ſerpentum, aliorumque animalium venenatorum, ut et furioſorum, quorum ſupra jam mentionem fecimus (§. 3.). Haec venena, ut plurimum non necant, niſi morſu, ictu aut alia vulneratione ſanguini immediate admiſceantur.

§. V.

Secunda diviſio.

Altera diviſio ad modum ſpectat, quo corpori applicantur. *Primo* enim multa ſunt, quae cum inſpiratione attracta caput aut pulmones extemplo

p) *Spielmann Inſt. Mat. Med. v. Plumbum.*
q) *Diſſ. cit.* §. 25.
r) *Medicin. legal. C. I. S. I. §. 17.*

H

plo feriunt. Talem effectum producunt vapores et fumi venenati ore vel naribus hauſti. Deinde, cum tota cutis vaſis bibulis reſorbentibus ſit inſtructa, cuti quoque illita venena ad interna corporis deſcendere poſſunt, ibique lethales producere effectus, uti de linimento arſenico divite fertur. *Pleraque* non niſi cum cibo aut potu aſſumta nocent, quod plumbi et cupri praeparata oſtendunt. Viperae *denique* virus impune bibitur, ſed in vulnere lethiferum eſt. Hae autem toxicorum diviſiones cum grano ſalis accipiendae ſunt; non enim omnia venena unico tantum modo nocent; dantur etiam, quae pluribus, quin omnibus modis nociva ſunt. *s*)

§. VI.

Tertia diviſio.

Ultima venenorum diviſio a majore vel minore velocitate pendet, qua in corpora animata agunt. Scilicet illorum quaedam, uti rodentia potiſſimum toxica, ſubitam et inexpectatam inferunt mortem, *acuta* inde vocata. De his agit STENTZEL. *t*) Alia vero toxica eam habent naturam, ut minoribus utplurimum doſibus ſemel aut repetitis vicibus data, in primis viis noxiam mutationem producant, qua functiones naturales

s) HAHN *Orat. de ven. uſu in med. p.* 10. *ſq. edit. Lipſ.* 1775. 8.

t) in Diſſ. medico-juridica ſupra allegata *nota* 30.

les vario gradu laeduntur, et ex harum demum laeſione progrediente tempore ipſi quoque vitae periculum imminet; venena *lenta* vocantur. Huius generis venena ex plumbo praeſertim confici, ſupra (§. 4.) notatum eſt. Eruditam venenorum lentorum hiſtoriam exhibet JOH. BECKMANN *u*) atque inter alia refert *Carolum XI.* Sueciae regem tali veneno interfectum eſſe.

Plures adhuc venenorum diviſiones addi poſſent, vereor autem, ut quadrent ad rhombum, quod nimis exacta pleraeque nitantur veneni definitione. Talis eſſe videtur diviſio quorundam in *connata* venena et *propinata*, quum in primo diviſionis membro venenum ſenſu improprio ſive methaphorico ſumatur. Nec magis admittenda videtur diviſio in *lethalia* et non *lethalia*, quam quidam fecerunt, quoniam notioni venenorum aperte contraria ſit.

Perluſtratis *Veneni* nomine, definitione atque diviſione; de *Veneficio* ipſo age nunc diſpiciamus.

u) Beyträge zur Geſchichte der Erfindungen, 2tes Stück, Leipz. (Göttingen) 1781. 6ter Aufſatz.

SECTIO II.

DE VENEFICIO DOLOSO.

CAPUT I.

De huius criminis natura et indole.

§. VII.

Veneficii definitio generalis et diviſio.

Veneficium in genere quamvis noxiam animali factam veneni applicationem deſignat. Illud, quod in homines committitur, quia vel *dolo* vel *culpa*, vel *caſu* fieri poſſit, dividitur in *doloſum*, *culpoſum* et *caſuale*. De iſto nunc, de illo alia occaſione diſputare eſt mihi propoſitum. Hoc, quod delictum non ſit, in cenſum haud venit.

§. VIII.

Veneficii doloſi definitio.

Veneficium doloſum in legibus appellatur primum illud crimen, quo quis venena mala necandi hominis cauſa fecit, vendidit, dedit vel habuit *x*). Qui talia commiſerunt *Venefici* in *ſenſu ſtricto y*) aut *Venerarii z*) vocantur. Quum deinde *magicas*, uti vocant, artes cum veneno-rum

x) L. 1. §. 1. L. 3. *pr.* §. 1. 2. *et* 3. L. *Corn. de Sic. et Venef.*

y) *Citatae* LL.

z) *Sueton. Neron.* c. 33, L. 28. *ff. de Poenis.*

rum applicatione coniungere tentabant facinoroſi; inde factum eſt, quod *Veneficium doloſum* vocaretur, etiam tale crimen, quo quis ſuſurris magicis hominem occidit *a*). Cum huius criminis reo pari fere paſſu ambulant, qui mala ſacrificia feciſſe, habuiſſe, *b*) aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe *c*) aut ſimilia prohibita didiciſſe, docuiſſe *d*), exercuiſſe, vel qui ea exercent, conſuluiſſe *e*) deteguntur, et in genere, qui ſub *Titulo Cod. de Malef et Mathem.* comprehenduntur; quorum omnium nomina erudite explicat ALOYSIVS CREMANIUS *f*). Miſſa, horum criminium explicatione, quibus THOMASIUS *g*) colophonem addidiſſe fertur; de illo potiſſimum, quod veneno committitur nobis ſermo erit.

Veneficium igitur *doloſum*, veneno commiſſum; quod et κατ᾽ ἐξοχὴν *Veneficium* vocatur, ſecundum datam a legibus *Romanis* deſcriptio-

 nem;

a) *§. 5. J. de Jud. publ.*
b) L. 13 *ff. ad* L. *Corn. de S. et V.*
c) L. 4. C. *de Malef. et mathem.*
d) L. 8. *eod.*
e) L. 5. *eod.*
f) Senenſis in regio archigymnaſio Ticinenſi Anteceſſoris *de Jure Criminali Libri duo* T. I. et II. qui Librum I. continent, prodierunt *Lucae* 1779. 8. *maj. T. II. L. I. P. III. c. 2. art. 4.*
g) Diſſ. *de Crimine magiae.*

nem, definire poteſt: crimen, quo quis veneno hominis vitae inſidias ſtruit. *h*)

Aliam definitionem ſuppeditat CONSTITUTIO CRIMINALIS CAROLI V. Haec enim per veneficium illud deſignat crimen, quo quis dolo hominis vitae vel ſanitati veneno nocet *i*). Conjuncta utraque definitio ſequitur, Veneficium I. eſſe crimen. II. Non intelligi ſine dolo. III. Veneno committi IV. Ut quis hujus criminis reus ſit, ſufficere *jure Romano*, inſidias vitae ſtructas, *jure Carolino*, ſanitatem laeſam eſſe.

§. IX.

Eſt crimen.

Veneficium ſecundum Romanorum et hodiernos mores *crimen* appellari poteſt. Apud Romanos ita vocatum eſſe dubium non eſt, quia inter judicia publica referebatur *k*) Hodie *crimen* et *delictum* pro ſynonimis fere habentur. Illius tamen denominatio veneficio magis conuenire videtur, quod voce *criminis* maiora plerumque delicta hodie notari, plures contendant *l*). Eſt autem veneficium absque dubio atrociſſimum deli-

h) *L.* 1. *§.* 1. *L.* 3. *p. §.* 1. 2. *et* 3. *ff. ad L. Corn. de S. et V. §.* 5. *J. de Publ. jud.*

i) C. C. C. *art.* 130.

k) *L.* 1. *ff. de Publ. jud. §.* 5. *J. eod.*

l) cf. *Meiſter Princ. Jur. Crim. S. II. c. I. §.* 1. *not.*

lictum, et divino humanoque jure pro tali habetur. Veneficus enim quoniam animo deliberato occidit et per inſidias; jure Moſaico et Canonico *m*) ab ipſo altari ad ſupplicium rapi poteſt. Romanis plus erat *hominem extinguere veneno, quam occidere gladio n*). Nam, ut cum CICERONE *o*) loquar, ſeum, qui palam eſt adverſarius, facile cavendo vitare poſſis, occultum vero malum non modo non exiſtit, verum etiam opprimit, antequam perſpicere atque explorare potueris. Hinc eſt, quod crimen veneficii *homicidiis qualificatis* connumeret cum plerisque DD. MEISTER *p*) quin a quibusdam ad *homicidia proditoria* referatur *q*).

§. X.

Non intelligitur ſine dolo.

In Veneficio doloſo *dolum malum* requiri inter omnes conſtat, Quid autem ſub *dolo malo* intelligendum ſit, diſputant auctores KRESSIUS *r*) et HEINECCIUS *s*) et alii *voluntatem necandi* re-

m) *Exod.* XXI. 24. c. 1. X. *de Homicid.*
n) L. 1. C. *de Malef. et mathem.*
o) *in Verr.* L. 1. *c.* 39.
p) *l. c. S.* II. *c.* XIX. *§.* 5.
q) *Lauterb. Coll. Pand. ad* L. *Corn. de S. et V.* § 19.
r) *ad* C. C. C. *art.* 130. *§,* 3.
s) *Elem. J.* C. *ſ. o. Inſt, §.* 1357. Acad. Reden, *ad eund. §. Elem. J.* C. *ſ. o. Pand.* P. *VII,* §. 201. et 208.

requirunt. Hic nititur *L.* 1. *§.* 1. *L.* 3. *pr. et §.* 1. *et* 2. *ff. ad L Corn. de Sic. et Venef.* ubi verba *necandi hominis cauſſa* occurrunt. Ille ex analogia juris praecipue concludit, ſine *animo necandi* non dari verum veneficium, quemadmodum nec ſine *affectu furandi* verum committatur furtum. CARPZOVIUM in eorum ſententiam, qui pro *animo necandi* pugnant propendiſſe videtur; licet non ſatis clare loquatur, dum animum necandi cum *animo nocendi* coniungit *t*). BOEHMERUS *u*) ad veneficium doloſum in regula non requirit *animum necandi*, ſed *nocendi animum* ſufficere putat, ſuamque ſententiam probare conatur ex L. 38. §. 5. *ff. de poenis*, quae capitalem poenam irrogat ei, qui ſiniſtro eventu poculum amatorium non *animo necandi*, ſed tantum *nocendi animo* cum materiae noxiae ſcientia conjuncto, quemque animum *occidendi indirectum* vocat, praebuit. Quod ad poenam vero attinet ordinariam, quae ex C. C. C. *nota* eſt, infligendam, *propoſitum necandi* ſive, ut ipſe loquitur, *animum directum* adeſſe vult. Verum BOEHMERI ſententiae accedere me vetant leges, quae *necandi animum* in regula expreſſe requirunt.

§. XI.

Interpretatio L.L. de dolo.

Leges, quae huc pertinent, ſequentes ſunt:

L. 1.

t) *Pract. Nov. Rer. Crim. P. I. q. XX. n.* 1. cf. *q. XXI. n.* 13. *ſqq.*

u) *ad* C. C. C. *art.* 130. *§.* 2. et *Obſ. III. ad Carpz. P. I. q. XXI.*

L. 1. §. *ff. ad L. Corn. de S. et V. Tenetur, qui hominis* NECANDI *cauſſa venenum confecerit, dederit. L.* 3. *pr. eod. Legis Corneliae de ſicariis et veneficis capite quinto, qui venenum* NECANDI *hominis cauſſa fecerit, vel habuerit plectitur.* §. 1. *eod. Legis* Corneliae *poena adficitur, qui in publicum mala medicamenta vendiderit, vel hominis* NECANDI *cauſſa habuerit,*

In his legibus *animus necandi* diſertis verbis requiritur. Non obſtat his *L.* 38. §. 5. *ff. de poenis, ad quam* BOEHMERUS provocat; en legis verba: *qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant: tamen, quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum relegantur: quodſi eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio adficiuntur.* Legem hanc non regulam, ſed exceptionem a regula, quae hunc in caſibus non exceptis firmat, tradere, ſequentibus probo argumentis.

I. Lex haec deſumta eſt ex PAULI *Recept. ſent. Libro V. tit.* 23. tanquam ex fonte ſuo. Ibi autem ea, utpote ſpecialem caſum continens, regulae generali, quam ab initio refert PAULUS, ſubjungitur.

II. Lex haec fugitiva eſt, neque enim in titulo *L. Corn. de Sic.* ſed in titulo *de poenis* continentur.

III. Non negandum, Legem hanc paullo obſcuriorem eſſe; cum autem ſola ſit, non poteſt evertere principia, pluribus aliis Legibus, quas ſupra allegavimus, clariſſimis verbis expoſita.

IV. Ipſa verba *L.* 38. *etſi dolo non faciant*, noſtrae ſententiae favent, quicquid etiam ſub voce *dolo*, intelligere velis. Nam, ut quis L. Corneliae reus ſit, *dolum* requiri, omnes conſentiunt. Quum autem dolum abeſſe, in L. 38. diſerte aſſerat PAULUS, meridiana luce clarius eſt, dictam legem exceptionem a regula continere.

V. Dubium eſt an verba *etſi dolo non faciant* indicent, *animum necandi* ſolummodo abeſſe, non autem *nocendi animum*; annon potius ita accipienda ſint, quaſi PAULUS dixiſſet, „Unum idemque eſt, utrum dolo (quicquid ſub „eo intelligas) faciant, an ſola culpa." Quae interpretatio verior eſſe videtur, quia et ſola culpa amatorium et abortus poculum porrigi poſſunt; licet ſaepe dolus adſit. Et ita BOEHMERI argumentum nimis probaret, quia tunc etiam culpa ſufficeret ad reatum.

VI. Alia ratio decidendi in *Lege Cornelia*, alia in *Lege* 38. Illa Lex *malam intentionem*, haec *malum exemplum* pro ratione decidendi agnoſcit.

§. XII.

Interpretationis concluſio et defenſio.

Stat igitur haec, Romanis Legibus firmata pro-

propoſitio: In veneficio doloſo requiritur *dolus malus*, qui non *animo nocendi*, ſed *necandi animo* in regula abſolvitur.

Quae, cum ita ſint, non admitti poteſt BOEHMERI *x*) diſtinctio inter *reatum et poenam ordinariam*. Dum ita diſtinguit hicce autor, ſub *reatu* non eius conditionem intelligere poteſt, qui criminis veneficii *accuſatus* modo eſt, quemque *reum* in ſenſu lato vocant; quum *accuſato* nulla poena dictatur, niſi et *condemnatus* fuerit, ſed voce *reatus* criminis convictionem indicat *y*). Nemo autem *veneficii doloſi convictus* dici poteſt, niſi qui etiam de *dolo* adhibito convictus ſit. Et ita ſemper redit quaeſtio, *quid ſub dolo intelligendum ſit?* quam modo decidimus.

Quod ad diſtinctionem attinet inter animum necandi *directum et indirectum*, ſi eam juſtam eſſe in aliis criminibus vel maxime concedamus ſecundum propria tamen BOEHMERI principia in veneficio doloſo locum habere non poteſt. Nam quatuor requirit: I. ut factum ſit ſponte commiſſum, II. cum animo nocendi conjunctum, III. illicitum, ex quo ſcit vel facile ſcire poteſt, ac debet, IV. mortem plerumque ac per ſe inde ſequi poſſe ac ſolere *z*) Equidem tria priora requiſi-

x) *ad* C. C. C. *art.* 130. *ſ.* 2.

y) Hoc ſenſu vox *rei* occurrit in *L. f. C. de Accuſ.* et in c. *ult.* C. 15. *q. ult.*

z) *Elem. Juriſpr. Crim.* S. II. c. 16. §. 202.

quiſita adeſſe poſſunt absque animo necandi, quartum vero nunquam adeſſe poteſt in veneficio, quin animus necandi, ſive ut cum BOEHMERO loquar, *dolus directus* adſit. Ratio enim, ob quam dolus indirectus in aliis homicidiis locum habere poteſt, nimirum quod fere impoſſibile ſit, hominem ſanae mentis ea aetate, qua doli capax eſt, neſcire vulnerum inflictionem, quae non ad menſuram fieri poteſt, incerti eventus eſſe et ſaepiſſime ad ſtygias undas mittere, in veneficio ceſſat; ubi vel doctiſſimi haud raro in incerto haerent, an corpus aliquod ſalutiferum, nocivum, an lethiferum ſit, et ita juſtae ignorantiae locus eſſe poteſt. (§. 3. et 4.)

Itaque vel *ſcit* aliquis ſe venenum praebere; et tunc *animus directus necandi* adeſt: nam *ſcienter* venenum praebere, et *animum necandi* habere, correlata ſunt; *vel neſcit*, quo caſu, etſi *animo nocendi* dederit, atque ſciverit rem nocere poſſe, *necandi animus* abeſt, vel *dubitat*, quo in caſu delictum *animo nocendi* commiſſum quidem aggravatur, non autem propterea *propoſitum necandi* habet *a*). Mera igitur praeſumtio ani-

a) Immo, ſi, quod verum, dicendum ſit; *dolus indirectus* commentum D.D. eſt, quod contradictionem in adjecto, uti in ſchola loquuntur, involvit. Quid enim eſt illud: *propoſitum non habere* aliquem occidendi et tamen per conſequens *propoſitum habere* aliquem occidere;

animi necandi ex *nocendi propoſito* colligi poteſt in veneficio doloſo, quamvis cum notitia materiae noxiae conjuncto; nullum vero argumentum omni exceptione maius, quod tamen *de animo necandi indirecto* praedicat BOEHMER *b)*. Ergo *animus necandi indirectus* in veneficio doloſo locum non habet.

§. XIII.

Quis et contra quem Veneficium committitur? nec non, quomodo probatur dolus?

Quum ergo *animus necandi*, requiratur, facile redditur ratio, cur *perſonarum et ſexus* differentia ceſſet, dummodo *doli* alias capaces ſint rei. Inde etiam patet veneficium contra omnem hominem committi poſſe, in quem dolus exerceri poſſit, adeoque etiam in agonizantem. An in monſtra admittatur, videant alii; equidem judicium ſuſpendo.

Ex eodem principio conſequitur, poenam veneficii infligi non poſſe, niſi animus necandi probatus fuerit. Hanc autem probationem mul-

cidendi? *Dolus* itaque ſic dictus *indirectus* revera nihil aliud eſt, quam *animus necandi* praeſumtus. Haec autem praeſumtio contrarii probationem admittio; adeoque non argumentum omni exceptione maius largitur.

b) l. c. cf. *S. II. c.* 20. §. 235. *et* C. C. C. *l.* c. §. 2.

multum juvant *indicia auctoris c*) ſive quaevis argumenta judici de auctore criminis commiſſi fidem facientia; licet, ſi eorum naturam inſpicias, nemo ex iis *perfecte* convinci poſſit. *d*)

Legitima indicia propria atque proxima ſecundum NEMESIN CAROLINAM *e*) ſunt: reum I.) emiſſe vel praeparaſſe venenum, *uſumve* ejus legitimum allegare non poſſe; II.) *inimicitias* ei cum defuncto intercesſiſſe, aut emolumentum ex ejus morte ſperaſſe; III.) alias de tali facto ſuſpectum eſſe. *Duobus prioribus* aut *primo et tertio* conjunctis quaeſtio decerni poteſt. Addit legislator IV.), *emtionem* veneni a reo in judicio *negatam* atque ſatis poſtea probatam ad torturam ſufficere; quod ultimum tamen per ſe ſufficientem ſatis rationem illis haud ſubminiſtrare, qui inde peculiare *indicium* proximum cum GARPZOVIO *f*). SVRUVIO *g*). BEYERO *h*). eruunt, aſſerit cum KRESSIO *i*) BOEHMER

c) Quae ab indiciis *corporis delicti* bene diſtinguit MEISTER *Princ. Jur. Crim. S. III. c.* 10. §. 6. *ſq.*

d) BÖHMER *Elem. Jur. Crimin. S. I. c.* 6. §. 108. *et c.* 11.

e) *Art.* 37.

f) *P. I. q.* CXXI. *n.* 17.

g) *De Indiciis C.* 2. *p.* 27.

h) *ad* C. C. C. *Poſit.* 32. *art.* 37.

i) *ad* C. C. C. *art.* 37. §. 2.

MER *k*) cuius ſententia in generalibus principiis iurisprudentiae criminalis et analogia iuris ſatis fundata eſſe videtur. Adverſariorum tamen interpretationem menti Imperatoris conſentaneam magis ob eam inprimis rationem autumo, quod propoſitio: Jtem ſo eyner Gift kauft etc. cum priori non cohaereat et huic articulo, a CAROLO V. demum adjecta ſit. In antiquioribus enim Conſtitutionibus criminalibus *Bambergenſi* et *Brandenburgica*, ex quibus ſuam Imperator deſumſiſſe videtur, plane omiſſa eſt. Praeter haec indicia, et alia allegant DD. uti v. gr. ſi reus cibum aut potum propinatum ſecreto tractavit *l*).

§. XIV.

Exceptiones rei.

Haec omnia tamen indicia, quam maxime labefactantur quoties illa exceptionibus elidit reus, allegans v. gr. ſe ad occidendas muſcas, mures atque glires vel ad uſus venatorios *m*) ad

k) *ad* C. C. C. *art.* 37. §. 1.

l) *Carpz. P.* I. *q. XXI. n.* 4.

m) De venatoriis venenis DIOSCORIDES *Mat. Med.* L. *IV. c.* 73. ſcribit: *Radice Aconiti alterius ad venationem luporum uſos eſſe, crudis carnibus inſerta,* item: *Apocyni foliis cum adipe in pane coctis necari canes, lupos, vulpes, pantheras, et his ſtatim ab eſca coxendices reſolvi.* cf. *Cicero de Nat. Deor.* II. 50. CELSIUS *de Medicina* L. *V. c.* 27.

ad compoſitiones metallorum aliasque operationes chemicas vel ad pingendum emiſſe vel adhibuiſſe venenum; quod tamen peritorum examini ſubjiciendum eſt, ut exinde judici innoteſcat, an omne, quod reus conſumſiſſe dicit venenum reapſe ad eum uſum adhibitum ſit? Huc quoque pertinet, ſi reus homo *bene* moratus; *occiſi* amicus fuerit; ſi ipſe cibum potumve *praeguſtaverit n).* Tum etiam ſi *violentiam materiae datae* ſe ignoraſſe allegaverit, ſive ad acuendam memoriam aliumve bonum finem incaute noxia praebuiſſe aſſeruerit, ſive alia probabili excuſatione uſus fuerit. *o*)

Ex his patet animi necandi probationem in veneficio difficillimam immo fere impoſſibilem eſſe, niſi confeſſio rei accedat, aut reo qui ad ignorantiam virtutis veneni dati provocat, probari poſſit contrarium. Tunc enim de animo necandi, tanquam ſcientiae correlato (§. 12.) ſatis ſuperque conſtaret.

Praecipuas quaeſtiones veneficii reis proponendas ſiſtunt *C. C. C. art.* 50. et Viri docti in *notis* ad hunc locum.

§. XV.

n) *Zacchiae Quaeſt. leg. L. II. T. II. quaeſt.* 8. *n.* 26. STRYK *de Jure ſenſ. D. VI. c.* 4. *n.* 28.

o) cf. KRESS. *ad* C. C. C. *art.* 27. §. 1. *et art.* 130. §. 3. *Boehmer ad* C. C. C. *eod. art.* §. 2.

§. XV.

Veneno committitur.
Corpus delicti.

Quum porro veneficia *veneno comittantur*, obſcurum non eſt, parum intereſſe utrum *directo* ſ. immediate, an *per indirectum* ſ. mediate veneficium commiſſum ſit.

Directo praecipue fit, quando, quod plerumque accidit, cibo, potui aut medicamentis immiſcetur toxicum. Fit porro venenis alio modo, quam per os corpori ingeſtis. Huc referri merentur famoſi iſti, quos nuper Pariſienſes viderunt venefici; qui amicitiam ſimulantes, oblato Nicotianae pulvere veneno mixtae, lethale hominibus induxerunt ſomnum, ſopitosque diripuerunt, *Sopientes*, *Endormeurs*, inde vocati *p*).

Neſandis horum criminibus frena injecerunt non ſolum Curia Suprema Pariſienſis atque Summus Politiae Praepoſitus; ſed et ipſe rex qui memoriae elapſam de veneficio legem nova ſanctione poenali munivit *q*). Similis farinae homines ſunt,

p) BUC'HOZ *la Nature conſidérée ſous les différens aſpects ou Journal de trois Regnes de la Nature II. Epoque n.* 3. 15. *Fev.* 1780. *p.* 133 v. DECLARATION DU ROI *conc. les Empoiſ.* ſupra cit. (not. 15.)

q) *cit. Edict. et Decl. Reg.*

ſunt, qui per capillamenta aſcititia *r*) chirothecas, ſedilia, clyſmata *s*) epiſtolas et ſimilia venenum corpori inferunt; ſi, quae de plerisque narrantur, non potius tanquam aureae fabulae accipienda ſint. Haud melioris notae ſunt, qui furiale venenum auribus dormentium infundunt *t*). Nec aliter de eo ſentiendum, qui armis venenatis *u*) alterum ſauciat vel perimit, modo venenum reapſe mortis cauſſam praebuerit. Quodſi enim vulnus, licet telum haud toxico tinctum fuiſſet, lethale reperiatur; multi DD. poenam ſimplicis homicidii, gladium ſcilicet, imponendam eſſe ſtatuunt. *x*)

Per *indirectum* ſ. mediate veneficia committunt qui äerem venenatis ſuffimentis aut pulvere inſi-

r) Tali modo Duci Holſatiae inſidias ſtructas eſſe, memoratur in Schleſiſch. Geſch. der Natur und Kunſt. 20. Verſ. 1722. *M. Maj. art. XIV. pag.* 512.

s) *Hebenſtr. Anthr. for. S. II. m. II. c. 2. art.* 5. *§.* 21.

t) Tale quid ex *Journ. Encyclop.* occurrit in *Mag. Hiſt. L. IV. n.* 2.

u) De Juris naturae praeceptis ratione armorum venenatorum uſus contra hoſtes v. *Treverus* ad PUFFENDORF. p. 116. et ab illo citati.

x) BOEHMER *ad C. C. C. art.* 130. *§.* 1. *et ult.* Venenorum, quibus olim ad infi[illegible]ienda tela utebantur, nomina et compoſitiones ex veteribus auctoribus collegit *Petrus de Aba-*

y) inficiunt; qui fontes et puteos *z)* cereviſiam, infuſionem fabarum Caffae aut Theiiae ſimiliaque in loco publico vendenda; tum etiam, qui bruta animalia, quorum vel carne, vel productis uti lacte, veſcimur; multo magis, qui paſcua et vivaria, piſcinas, columbaria et ſimilia venenant, modo animus necandi homines adfuerit, et reapſe horum ſanitas laeſa ſit. Quod autem CARPZOVIVS *a)* ſingulis brutis inſectis, gladium ſufficere exiſtimet, ejus argumentis non probari, demonſtrat BOEHMER *b)* atque oſtendit, vel homini nocitum eſſe, vel non; in illo caſu poenae ordinariae locum faciendum eſſe, in hoc extraordinariam dictandam eſſe. In nullo tamen caſu poenam ordinariam rotae obtinere exiſtimo; ſi animus necandi homines abfuerit. Mediati quoque veneficii rei ſunt, venena homi-

Abaunza Praelect. ad tit. de Sagittariis n. 67. in *Meermanni Nov. Theſ. Jur. Civ. et Can. T. II. p. 741.*

y) Id quod dicti venefici *ſopientes* fecerunt.

z) De tali veneficio cum aliis locis, tum in noſtra urbe a. 1349. Judaeos accuſavit pelbs furibunda. Die 14. ejusdem anni Judaeorum prope duo millia ſexus utriusque combuſta ſunt. Quorum tamen maximum crimen divitias fuiſſe, *Schwarberus* Conſul eo tempore civibus objecit. v. *Schoepelini Alſat. illuſtr. T. II. §. 636. p. 343.*

a) *P. I. q. XXI. n. 24.*

b) *Obſ. IV. ad Carpz. q. cit.*

minis necandi cauſſa componentes, vendentes, procurantes c), Ejusdem commatis denique ſunt applicationem toxici jubentes atque mandantes.

Ex eodem principio, quod ſcilicet *veneficium absque veneno non committatur*, ſequitur, omnia indicia auctoris nihil operari, niſi de certitudine delicti veneno commiſſi, ſive, ut cum DD. loquar, de *corpore delicti* conſtet.

Corpus delicti jure Romano, laeſione non ſecuta, verſabatur praeſertim circa quaeſtiones, *an quis necandi hominis cauſſa venenum confecerit, vendiderit habuerit?* Laeſione autem ſecuta, *Corpus delicti* jure Romano et Carolino, *noxia et illicita veneni applicatione homini facta*, abſolvitur. Pro illo eruendo de duobus momentis conſtet, neceſſe eſt I.) De *noxia* hominis ſanitati vel vitae illata II) De *applicatione veneni*; ex qua patet, an illicita ſit? Sub PRIORI et mortem intelligo et quodvis damnum, quod ille ſentit, cui venenum applicatum eſſe dicitur. Alterutrum requirunt verba NEMESEOS CAROLINAE *art.* 130. an Leib oder Leben beſchädigt. De his ex oculari inſpectione Medicorum praecipue, nec non aegroti atque teſtium effatis conſtat. POSTERIUS requiritur, quia danturet aliae cauſſae, quae, uti

c) *L.* 1. *et* 3. *ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef.*

uti mox videbimus, eundem cum fortiſſimis venenis effectum producere valent. Ut de hoc conſtet, omnia judici conquirenda ſunt indicia, quae eum certiorem de ea re facere poſſunt, *indicia corporis delicti* inde vocata *d*) Haec cum auctoris indiciis haud parum conjuncta eſſe, vix eſt, quod moneam.

§. XVI.

Indicia corporis delicti.

Primus modus illud detegendi.

Indicia, quae de noxia veneni applicatione teſtantur, varia ſunt pro diverſis modis, quibus haec corporis delicti pars eruitur. Illud autem quatuor praecipue modis fieri poteſt. I.) Symptomatum et ſignorum externorum obſervatione. II.) Interna cadaveris inſpectione. III.) Teſtium poſt ſepulturam examine et confeſſione rei. IV. Quandoque forſan cadaveris, aut ejus partis concrematione. In colligendis per *primum* modum argumentis, caute atque circumſpecte procedendum eſt, ob dictam effectuum ex diverſis plane cauſſis ortorum ſimilitudinem.

Certa enim corpora immo alimenta venenorum interdum ſymptomata excitare poſſunt. Sic eſum mytilorum der Muſcheln, ſubinde eadem

d) *Meiſter Princ. Jur. Crim. S. III. c.* 10. §. 7.

ſymptomata, quae venenum praeſentiſſimum, excitare, ter quaterve in neceſſariis ſuis et familiaribus non ſine horrore ſe vidiſſe teſtatur LEYSER *e*). Similes effectus a comeſtione coturnicum obſervavit NEBELIUS *f*) Idem de alaudis teſtatur HOFFMANN *g*) qui rationem in eo ponit, quod conturnices et alaudae certis temporibus lolio temulento abunde veſcantur. Plures alias hujusmodi cauſſas nobis exhibent ZACHIAS *h*) HOFFMANN *i*) HEBENSTREIT *k*), ESCHENBACH *l*) aliique.

Haec iam ſufficerent ad hunc motum corpus delicti detegendi dubium reddendum; ſed his inſuper illud accedit, quod, licet quorundam ſymptomatum praeſentia nocivam applicationem arguere poſſit; non tamen unius aut alterius abſentia applicationi repugnet, ſiquidem facinoroſorum artes clandeſtinae mirifice creverunt, quibus applicati veneni veſtigia tegere ſolent. Sic

e) *Spec.* 609. *m.* 3

f) *in Ephemerid. A. Nat. Curioſ. Cent.* 9. *obſ.* 60

g) Diſſ. *de caut. et circumſp. ven. dat. accuſ.* §. 7

h) *Conſ. XII. n.* 6.

i) *Medic Syſt. T. IV. P. III. S II. c.* 8. §. 6. *et* ... *et T. IV. P. I. S. I. c.* 11.

k) *Anthrop. for S. I.* §. 10. *ſq.*

l) *Medic. legal. S. I.* §. 10. *ſq.*

Sic ex faucium infectione ſaepius colligunt quod ex actis obſervavit BOEHMER *m*), venenum propinatum fuiſſe, quum tamen hoc nonnunquam datum eſſe poſſit, ita involutum, ut fauces non inficiat. Quae dum ita ſint, prudens cautusque judex parum certitudinis tribuere debet hiſce indiciis, niſi adhibito prius Medicorum conſilio et auxilio. Quum enim omnia haec ſigna in aegroto aut mortuo absque cadaveris ſectione obſervata, vel peritiſſimos in arte medendi fallere poſſint, ut citati auctores probant; quanto minus ſuis ſenſibus confidere debeant JCti, in HIPPOCRATIS ſchola ut plurimum peregrini? Unde optimo jure BOEHMERO *n*) vapulat CARPZOV, quod judicium *Medici* circa talem rem neglexerit, in qua omnis fere certitudo a ſumma artis medicae peritia pendet.

§. XVII.

Secundus modus.

Multo magis *ſecundus modus*, interna nempe cadaveris inſpectio ad forum medicum pertinet. Ut haec inſpectio rite procedat, *legalis*, uti vocant, *Sectio* inſtituenda eſt, omnia accurate inſpicienda ſunt, et in exactam atque ſpecificam relationem, quam *Viſum repertum* practici vocant, redigenda; ut non temere, ſed cauto judicio de re tanti momenti judicari poſſit. Hanc

m) *ad* C. C. C. *art.* 130. *§.* 2. *Ejuſd. Obſ.* I. *ad Carpz. q.* XXI.

n) *Obſ. cit.* cf. *ad* C. C. C. *l. c.*

inſpectionem leges quidem non diſerte jubent; eum autem defectum analogiam *art.* 149. C.C.C. ſupplere monet BÖHMER *o*).

Quod ad modum attinet, quo ſectio peragenda ſit, is non ſemper Medicorum arbitrio indiſtincte reliquendus eſt; ſed quandoque pro re nata Medicis injungendum, ut ad hoc vel illud magis attendant *p*). Non obſcura eſt huius petiti ratio. Quum enim venena pro modo applicationis hanc vel illam partem magis afficiant, et judici de eo naſci ſuſpicio queat, oportet, ut haec inſtituta ſectione vel diluatur, vel confirmetur. Quare, ſi judex ſuſpicatur, venenum non cum cibo potu vel medicamentis interne captis propinatum fuiſſe; ſed vel per aures dormienti, vel herbae Nicotianae immixtum *q*), vel alio quocunque modo applicatum fuiſſe; illud

o) *l. c.* §. 1.

p) Id quod *etiam in* aliis criminibus locum habet. Immo ſectioni adſiſtentem judicem, ubi id fieri ſolet, quandoque medicum, ut hoc vel illud accuratius perſcrutetur, monere poſſe, recte tradit. Joh. Pet. Brinkmann Anweiſung für Aerzte und Wundärzte, um bey gerichtlichen Unterſuchungen vollſtändige *viſa reperta* zu liefern; und wie die Rechtsgelehrten wiſſen können, ob von Seiten der erſtern das Gehörige beobachtet worden. Düſſeldorf 1781 8. 1. Abſchn.

q) cf. BOEHMER *Obſ. cit. et* §. 32. *noſtrae Diſſ.*

lud Medicis eo fine indicandum eſt, ut non modo *truncum* ſed et *caput* aperiant, et de iis, quae ibi detexerint, judicem certiorem reddant.

Aperto cadavere, vel ſola partium internarum laeſio apparet, vel reſiduum quid de materia applicata invenitur. *Prior caſus* indicia praebet, ob easdem fere rationes, quas ſupra allegavimus, dubia atque fallacia. Nam ſi de veneni deglutione quaeritur; oeſophagi inflammationem, ſphaceloſam corruptionem atque perforationem in ventriculo, inteſtinis et aliis viſceribus, maculas nigras, liquamen viride, veſicas et ſimilia ſigna, quorum multa pro veneni genere diverſa recenſet CREMANIVS *r*) et modo citati auctores, illa, quae externe obſervari ſolent, certitudine non multum ſuperare probat ALBERTI *s*) HOFFMANN *t*) et ESCHENBACH *u*).

E contrario METZGER *x*) caſum adducit, quo quis deglutito arſenico mortuus eſt, quamvis nihil de hoc veneno ad canalem inteſtinorum

I 5 per-

r) *de Jur. Crim. T. II. L. I. P. III. c.* 2. *art.* 4. *§.* 199. *not.* 1

s) *Jurisprud. Med. P. I. c.* 13. *§.* 29. *ſqq. p.* 266. *et P. II. caſus* 19. *p.* 134.

t) II. citt.

u) *Med. leg.* I. c.

x) Gerichtliche Medicin. Beobacht. I. Jahrg. Königsb. 1778.

pervenerit. NUM denique reſponſis, quae cum HEBENSREITIO *y*) denudatam ventriculi ſuperficiem internam et cruſtam eius villoſam liquidis ventriculi innatantem, pro indubitato veneficii ſigno habent, a judice plena fides habenda ſit, dubito, quum ea expendam, quae laudatus HOFFMANN *z*) de incertitudine indiciorum tam externorum quam internorum in genere docet. Verba notatu digna hic appono. *Ardua* inquit *ſane provincia ei imponitur, cui determinandae ejusmodi quaeſtiones exhibentur, a quarum affirmatione, vel negatione fama, quin vita hominum dependet. Valde ancipites enim plerique de veneficiis ſunt caſus; cum primis, ſi anatomica defuncti corporis ſectio deficiat. Hac facta; ſi venenum in ſubſtantia adhuc intra ventriculum reperitur, res eſt clariſſima: ubi vero illud haud deprehenditur, res adhuc dubii plena exiſtit. Inflammationes enim ac ſiderationes inteſtinorum, in omni cholera, ſive a veneno, ſive aliis cauſſis enata, quin et in aliis morbis, dyſenteria, colica convulſiva etc. vitae imponunt finem; nec ideo certi quidpiam oſtendunt. Nec ex omni dubio extricamur per intumeſcentiam externi cadaveris, aut maculas coeruleas ac liveſcentes hinc inde in corpore efloreſcentes:* quippe

y) *Anthropol. forenſ. S. II. m. II. c. 2. art. 5.* §. 21.

z) *Med. Syſt. T. IV. P. III. S. II. c. 8. obſ. 1.*

quippe quae phaenomena in plerisque corporibus, quae ſanguine turgent, ac ſubitanea abripiuntur morte, videre licet. Quamobrem in tali, caſu praeter ſymptomata, et externas notas, ad morales quasdam circumſtantias reſpiciendum eſt.

Cum HOFFMANNO conſpirat MORGAGNI *a*) Immo GALENVS *b*) jam hanc incertitudinem agnovit, dum, *eosdem fieri affectus, obſervabat, et a lethalis veneni potione, et a corruptione quae a corpore ortum habeat,* ſcilicet *poſſe* hanc eſſe adeo *vehementem, ut veneni tum qualitatem, tum vires aequet.* Hanc incertitudinem adhuc magis confirmat *Truſaniae* ſ. *Truffaniae* infamis veneficae Neapolitanae exemplum, quae a 1720 tanta arte ſuum componebat toxicum, *Acquetta* (*di Napoli*) dictum, ut non ſolum colore, ordore, et ſapore aquam fontanam referret, ſed nullum fere in corpore humano veſtigium relinqueret, et qui illo perierunt, pectoris morbo e vita deceſſiſſe viderentur. *c*).

Po-

a) *de Sedibus et cauſis morborum* T. II. L. IV. *Ep.* 59. *n.* 17. *ſqq. p.* 382.

b) *I.* 6. *de loc. aff. c.* 5.

c) *Cauſes célèbres T. I p.* 230. *Edit à la Haye* 1747. 8. art. *célèbre empoiſoneuſe.* Joh. Beckmann Beyträge zur Geſchichte der Erfindungen, 2 St. 6ter Aufſ. *Commerc. Litter.* a. 1737. *p.* 182.

Poſterior caſus, ubi nempe reſidui quid de materia applicata reperitur, ſolus veneni applicati certitudinem promittit. Ut itaque haec obtineatur, quanta unquam fieri poteſt, induſtria; vaſa corporis, ad inveniendas veneni cujusdam reliquias exploranda ſunt. Quod ſi non amplius in forma naturali appareant, contenta vaſorum mediis chemicis examinanda ſunt; qualia de multis toxicorum generibus tradunt, qui de chemia, de venenis, de medicina legali et ſimilibus ſcripſerunt eruditi. Aliud medium minus artificiale ad reſiduum explorandum proponit ESCHENBACH *d*), experimenta ſcilicet in canibus aliisque brutis inſtituenda, quibus vaſorum contenta propinari deberent. Concedit quidem hic auctor ab effectibus quos in *brutis* exſerunt venena, ad effectus in *homine* non ſimpliciter valere conſequentiam. Quodſi autem *effectus plane eosdem* iterata experientia teſtetur; hanc concluſionem tuto admitti poſſe, autumat, atque ſtatuit: de hiſce effectibus a venenis in ſpecie *corroſivis* tam in *homine*, quam in *brutis*, iisdem, dubium poſt tot experimenta ſupereſſe nullum. Quam fallacia tamen ſunt huiusmodi experimenta, oſtendit MORGAGNI *e*), qui obſervationem adducit, ex qua patet, bilem aeruginoſam infantis, a brutis devoratam fortiſſimi veneni effectus edidiſſe. Quod e contrario fortiſſi-

e) *Med. leg. c.* 1. *S.* I. *ſ.* 11.
d) l. *c. n.* 18.

fortiſſima venena rodentia, a brutis quandoque ſine mortis periculo ſumantur, probat SPROEGELIVS *f)* qui canibus vitrum Antimonii et Cobaltum, Arſenici mineram propinavit; quae venena incolumes evomuerant. Experimentum ipſe feci, atque catulo totam Arſenici albi drachmam propinavi. Elapſis duabus circiter horis Arſenicum atque carnem cui immixtum erat, evomuit; propinatam deinde aquam in ſe ingurgitavit, atque elapſis duodecim horis ſanitatem recuperavit. Eundem catulum nuce vomica deinde necatum diſſecui, atque nullam plane inflammationem in inteſtinis deprehendi.

§. XVIII.

Tertius modus.

Quaecunque hucuſque de modis poſteriorem corporis delicti partem in mortuis praecipue eruendi dicta ſunt, locum habere poſſunt, ſi cadaveris inſpiciendi copia ſit. Quodſi autem cadaver jam terrae mandatum ſit; illud effoſſum quoquo modo examinandum eſt. Cadavere vero jam temporis lapſu corrupto; ad *tertium modum* perveniendum eſt, nimirum teſtium examen, ita inſtituendum, ut illorum depoſitiones ſuper ſignis veneni atque ſymptomatibus bene

f) Experim. circa varia venena etc. Experimenta cum brutis inſtituta pro fallacibus in genere declarat quoque LUDWIG *Inſt. Med. for. Lipſ.* 1765. 8. *§.* 331.

ne ponderentur atque examinentur et ut poſtmodum jurato Medici ſententiam ſuam aperiant atque judicem de hac re inſtruant *g*). Hunc modum omnium fere incertiſſimum eſſe, quilibet videt. Hinc etiam talia teſtimonia ad veneni propinationem probandam minime ſufficiunt. Nec magis acquieſcendum in ſola depoſitione aegroti vel rei, venenum applicatum eſſe affirmantium, ſiquidem hic vitae taedio, ille odio vel alio animi affectu, uterque autem vana perſuaſione adacti eſſe poſſint. *h*).

§. XIX.

Quartus modus.

Concremationi denique vel totius cadaveris, vel illius partis ceu *quarto modo* nonnunquam fortaſſe locus eſſe poteſt, licet illud per ſat longum tempus jamjam humatum fuerit; dummodo veneficii Arſenico commiſſi fundata ſuſpicio talem effoſſionem ſuadeat, alias ob imminens infectionis periculum non temere peragendam. Concrematio haec eo nititur fundamento, quod minimam illius pharmaci quantitatem, oculis vix diſtinguendum, quando igni exponitur, aëra longe lateque alliaceo odore graviſſimo inficere, notum ſit. Haec Arſenici quali-

g) CARPZOV *P. l. q.* XXI. *n.* 7.
h) OLDEKOP. *T. IV. obſerv.* 3. STRYK *de jure ſenſ. D. I. c.* 1. *n.* 27. *Theod. Coll. crim. c. VIII. Th.* 6. *n.* 14.

qualitas forſan in cauſſa eſt, cur apud Romanos venefici ex regno ut plurimum vegetabili venena deſumſerant, uti ex Latii ſcriptoribus patet; ne ſcilicet rogus, eorum occulta facinora tam facile manifeſtaret. Melius adhuc *quartus* hicce *modus* procedere videtur, ſi concrematio in vaſe clauſo inſtituitur. Quem in finem inteſtina retortae, uti chemici loquuntur, commiſſa ſufficienti igne deſtillantur; quaeque deſtillationis ope obtenta fuerint, variis modis examinantur.

Subleſtae fidei eſſe videntur, quae PLINIVS *i)* et SUETONIUS *k)* tradunt: cor in veneno interemptis cremari non poſſe, et exemplum adducunt *Caeſaris Germanici* cuius mortem ulciſci voluit *Vitellius* in *Cn. Piſone*, quem veneficii, iuſſu Tiberii in illum commiſſi reum coarguit, illo uſus argumento. Quicquid ſit, res adeo probata non eſt, ut eam cum CARPZOVIO *l)* tam facile inter indicia veneni dati referrem; tum, quod ipſe PLINIVS addiderit, idem de illis praedicari, qui cardiaco morbo obierint, et *Piſonem* genere morbi defenſum eſſe; tunc praecipue, quod THUANVS *m)* idem de *Ulrico Zwinglio* in hiſtoria reformationis notiſſimo narrat,

i) *Hiſt. Nat. L. XI. c. 37. Sect. 71.*
k) in *Caligula c.* 1. cf. TACIT. *Ann. III.*
l) *P. I. q. XXI. n. 3.*
m) *Hiſt. L. I. ad a.* 1531.

rat, quem veneno necatum fuiſſe, ex hoc ſcriptore nullus eruet; ſed potius fontem inveniet, ex quo eiusmodi hauriri ſolent traditiones. *Tigurini* inquit, *vincuntur, ipſe Zwinglius in primis ordinibus fortiter pugnans occubuit. Religioni tributum a Tigurinis et qui cum illis ſtabant, quod, cadavere flammis ab hoſtibus tradito, cor exuri non potuerit; cum tamen conſtet, in quibusdam corporis humani, partem eſſe quandam, in quam nihil ignis poſſit... adeo turbatis odio aut amore animis ... pro ſe quisque omnia ſuperſtitioſe interpretatur.*

XX.

Detectae materiae examen.

Detecta qualicunque modo materia, cuius applicationi morbus aut mors inſecuta adſcribitur; inquirendum eſt in ejus indolem et qualitatem; an ſcilicet illa naturam humanam alat aut mutet? Quaenam ſit illius quantitas, et an ea, quae data fuit, doſis, homini mortuo vera necis cauſſa ſit, aut ſaltem illo non mortuo talis, neglecto auxilio fuiſſet? Quarum rerum diſquiſitio rurſus a Medicis inſtituenda et ſupradictae ſpecificae relationi inſerenda eſt, ut tandem judici innoteſcat, utrum *venenum malum*, an *materies nociva* modo porrecta ſit, et in quantum ideo de *corpore delicti* conſtet. De hoc autem conſtare debet plus vel minus, prout vel ad condemnationem, vel ad torturam, vel ad ter-

ritio-

ritionem, vel ad jusjurandum purgatorium, ubi haec locum habent, veniendum ſit *n*); quae omnia certis limitibus includi nequeunt, ſed ſoli fere judicis arbitrio relinquenda ſunt.

Illud quidem certo affirmari poteſt, plerosque veneficos, ſi certitudinem in ſolis veneni reliquiis poſueris, atrociſſimum crimen impune patraturos eſſe, quum venenum propinatum raro in cadavere reperiatur, et illius veſtigia ſaepius a reo ſubdole aboleantur. Itaque ad condemnationem ſatis conſtare videtur, de corpore delicti, ſi cum criminis probatione ex indiciis auctoris petita, concurrunt luculenta propinati veneni ſigna *o*) quo etiam abolitionem veſtigiorum pertinere praejudiciis firmat LEYSER *p*). Quod ultimum vero non tam facile admitterem, morte non ſecuta, niſi aliunde de quantitate veneni dati conſtaret, vel venenum abſolutum porrectum eſſe, probari poſſit.

Illud autem reſpectu poenae parum referre videtur, quo *genere* veneni laeſio illata; dummodo verum venenum applicatum ſit *q*). Plane puta-

n) BOEHMER *ad* C. C. C. *art.* 6 §. 11. *ſqq.*
o) *art.* 6. C. C. C. ſo viel möglich, und nach geſtalt und gelegenheyt eyner jeden Sache geſchehen kann, erkundigt werden muß.
p) *Spec.* 609. *med* 7.
q) cf. tamen §. 39. h. Diſſ.

putativum veneficium vere tale non eſſe, ſi opinio propinantem feſellit, et nulla materia venenoſa interceſſerit, recte adnotat BOEHMER *r*).

§. XXI.

An morte non ſecuta ordinaria poena locum habeat?

Quum porro in veneficio conſtare debeat, jure Romano *inſidias vitae ſtructas eſſe*, jure Carolino autem *vitam vel ſanitatem laeſam eſſe*; ſequitur ratione poenae ordinariae nihil intereſſe, utrum alter mortuus ſit, nec ne. Et ita ad celeberrimam illam pervenimus quaeſtionem: *an ſanitate veneno laeſa, morte autem non ſecuta, in veneficio poena ordinaria locum habeat?* Quam alii ita proponunt: *an Conatus, qui ad actum proximum pervenit, in veneficio poena ordinaria puniendus ſit?* qui ita loquuntur, ſub *conatu* actum intelligunt, quo quis facti conſummationem intendit; et ſub *conſummatione* talem effectum, qui intentioni delinquentis reſpondet *s*), adeoque mortem ad venefi-

cii

r) *ad* C. C. C. *art.* 130. *§.* 1. *fin.*

s) cf. *Carpz. P. I. q. II. n.* 51. *et P. I. q. XXII n.* 33. *ſqq. Zoller et Wilke* Diſſ. *de Poena veneficii attentati quamvis irreparabile inde oriatur damnum, ad mortem non extendenda. Lipſiae* 1761. §. 2. *Vogel* Diſſ. *de Veneficii ſ. Homicidii per venenum attentati in caſu, ubi mors non ipſa ſecuta, poena non capitali*

eii conſummationem requirunt. Sub *ordinaria* poena eam intelligunt, quae in quodam delicto a lege expreſſa eſt. Eas vero poenas, quarum definitio judicis arbitrio relicta eſt, *extraordinarias* ſive *arbitrarias* vocant *t*). Quum vero nonnulli dubitent an hae poenae, lege haud diſerte prohibente, ad mortem uſque extendi poſſint *u*); hinc in iis criminibus, in quibus gravius mortis genus pro ordinaria dictatur, DD. diſtinguere ſolent, inter poenam *ordinariam*, poenam *mortis* et poenam *extraordinariam* ſ. *arbitrariam x*). Multa hic forte dicenda eſſent, ſi haec accuratiori examini ſubjicerentur; ſed ſi vel maxime illa admittimus, noſtram tamen ſententiam cum legibus convenire, extra omnem dubitationis aleam poni poſſe, arbitramur.

Quod ad leges Romanas attinet, earum verba exhibemus. In *L* 1. §. 1. *ff. ac L. Corn. de Sic. et Venef* dicitur: Lege Cornelia *tenetur,*

capitali. Dreſd. 1715. oppoſita *Wagneri* Diſſ. *de Venef ſ. homic. etc. poena capitali. Erfurti* 1715.

t) *Carpzov P. III q. CXXVIII. n.* 1. *et* 13. cf. *Boehmer Elem. Jprd. Crim. S. II. c.* 1. *ſ.* 9. *Meiſter S. II. c.* 1. *ſ.* 19.

u) *Püttmann El Jur. Crim. L. I. c.* 2. *ſ.* 84.

x) KRESS *ad* C. C. C *art* 178. § 2. *not.* 6. *n.* IV. *Boehmer Obſ. IV. n. ad Carpz. P. I. q. II,*

tur, qui hominis necandi cauſſa venenum confecerit, dederit In L. 3. pr. ff. eod. *Ejusdem Legis Corneliae de ſicariis et veneficis capite quinto, qui venenum necandi hominis cauſſa fecerit vel vendiderit, vel habuerit plectitur et* §. 3. *Alio SCto effectum eſt, ut pigmentarii, ſi cui temere cicutam, ſalamandram, aconitum, pituocampum aut bubeſtrin, mandragoeam et id, quod luſtramenti cauſſa dederint cantharidas, poena teneantur hujus Legis. et* §. 5. *I. de publ. jud.* Item *Lex Cornelia de ſicariis. quae homicidas ultore ferro perſequitur, vel eos, qui hominis occidendi cauſſa cum telo ambulant . . . Eadem Lege et venefici capite damnantur, qui artibus odioſis tam venenis, quam ſuſurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.*

NEMESIS CAROLINAE *art* 130. verba haec ſunt: Item, wer jemand durch Gifft oder vbenen, an Leib oder Leben beſchädigt, iſt es eyn Manßbildt, der ſoll eynem fürgeſatzten Mörder gleich mit dem Radt zum Todt geſtraft werden. Thät aber eyn ſolche Mißthat eyn Weibßbilde, die ſoll man ertrencken, oder in andere Weg nach Gelegenheyt vom Leben zum Tod richten. etc.

Plane ſunt hae Leges, et nulla ulteriori explicatione indigere videntur. Diſertis enim verbis

bis conatui, qui ad actum remotum pervenit, ordinariam poenam dictat legislator Romanus. Quare non video, cur ALOYSIUS CREMANIUS *y*) iis adſtipuletur, qui jure Romano mortem ſecutam eſſe volunt. Minus ſevere ſtatuit CAROLUS V, quum in conatu actum conſummationi proximum ſcilicet laeſionem corporis aut vitae requirat, ut ordinaria poena locum habere poſſit.

§. XXII.

CARPZOVII ſententia rejecta.

Quae cum ita ſint, rejicienda mihi videtur iſtorum ſententia, qui cum CARPZOVIO *z*) pro extraordinaria poena pugnant, et ne ullam quidem capitis poenam admittunt. Miſſis, quae ex jure Saxonico adducuntur, praecipua CARPZOVII argumenta quatuor propoſitionibus includi poſſunt.

I. In delictis etiam atrociſſimis, conatum, quantumvis ad actum proximum devenerit, ordinaria poena non eſſe puniendum, niſi Leges expreſſe contrarium diſponant.

II. Jure communi in conatu hic nullam capitis poenam ſtatutam eſſe.

III. Contra jus commune aliud introductum eſſe, et de conſuetudine generali co-

y) *de Jure crim.* I. c. *§.* 198.
z) *P. I. q. XXI. n. 33. ſqq.*

natum mortis poena non puniri, effectu non ſecuto.

IV. Particulam **oder** ex more ſtili Carolini pro **und** poſitam eſſe.

Quod ad *primam* propoſitionem attinet, ea regulam ſiſtit ex JULIO CLARO deſumtam, quam perperam *C. C. C. art* 178. approbatam eſſe contendit *a*); immo inferius docebo, contrarium plane ex hoc *art.* probari poſſe (§. 25.).

Quum *ſecundae* propoſitioni ſupra citatae leges Romanae aperte contradicant, auctor concedit quidem, eos qui necandi cauſſa venenum vendunt, retinent vel tractant, poena L. Corn. teneri; ſed poenas L. Corn. varias. in *L.* 3. *§. pen. ad* L. *Corn. de Sic.* recenſeri aſſerit.

Verum enim vero diverſitas haec poenarum, non ad varias criminum ſpecies, quae in hoc titulo occurrunt, reſpicit; ſed ad perſonas, ſintne honeſtiores aut viliores, et quidem ita, ut, hac ratione habita, unica modo poena ſive potius idem poenarum gradus obſervetur. Id quod ex primis juris Romani principiis fluit *b*). De hac diverſitate poenarum adhuc dabitur dicendi occaſio, quando de poena nobis ſermo erit (§. 36. ſq.). Non dicam, quod hic auctor juris communis aſylum perperam in LL. Romanis quae-

a Carpzov. l. c. *n.* 38. cf. *q.* XVII. *n.* 11. *ſqq.*

b) cf. *L.* 41. *ff. de Poen.*

quaeſiverit, quod in Carolina quaerere debuiſſet, ex quo ipſa crimina potiſſimum aeſtimanda judicavit, ea propter a BOEHMERO *c*) jam notatus.

Tertiam propoſitionem haud probatam eſſe, idem oſtendit auctor *d*) et invitus confitetur CARPZOV, dum illam ex LL. ſcriptis probare vult; quod ſuperfluum foret, ſi generalis conſuetudo earum diſpoſitionem ſuſtuliſſet.

De *ultima* propoſitione vix eſt, quod moneam, quum ea a magni nominis DD. BEYERO *e*), LEYSERO *f*) WAGNERO *g*) BOEHMERO *h*) MEISTERO *i*) et PUTTMANNO *k*) ſatis ſuperque refutata ſit. Illud tantum addo; nos fere omnibus hactenus a DD. prolatis argumentis forſan carere poſſe; quum Imperator alio loco diſtincte explicat, quid ſub verbis Leib oder Leben beſchädiget intelligit; ſcilicet *art.* 136. C. C. C. ubi verba an Leib oder Leben

K 4 Scha-

c) *in Obſerv. V. ad Carpz. P. I. q.* XXI.
d) l. c.
e) *ad* C. C. C. *art.* 130. *Poſ.* 11.
f) *Spec* 609. *m* 16. *ſq*
g) Diſſ. *de Veneficii* ſ. *Homicidii per venenum attentati in caſu ubi mors non ipſa ſecuta, poena capitali.*
h) *El. Jur crim S. II. c.* 20. *§.* 236. *not. e, in cit. Obſ. V. ad Carpz.*
i) *Princip. Jur. crim. S. II. c.* 22. *§.* 1. *n* 2.
k) *Elem. Jur. crim.* L. I. *c.* 22. §. 361.

Schaden thun möchte mox ita exponit Schaden thät oder entleibt, quae verba absque dubio disjunctiva ſunt. Qui, quaeſo, cum bonae hermeneuticae artis regulis conveniret, eandem locutionem, ſub eodem rubro, paucis interiectis articulis, mox *diſjunctive* mox *copulative* ſumere?

§. XXIII.

CARPZOVII aſſeclarum argumenta ex jure Romano.

Infirmitatem CARPZOVIANI *ratiocinii* plures viderunt eius aſſeclae; quapropter nova, tam ex Iure Romano quam communi Germanico excogitaverunt argumenta *l)* quibus probarent, poenam ordinariam in crimine veneficii, morte non ſecuta, exulare. Ad hanc claſſem cum aliis pertinet WILKE *m)* qui inter alia noſtrae ſententiae opponit verba PAPIANI *n)*: *Fraudis interpretatio ſemper in jure civili non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.* Ex quibus concludit, quodſi unum ex his *eventus* ſive *conſilium* deſit, poenam ordinariam locum habere non poſſe. Ut taceam, de fraude in cauſſis civilibus hanc Legem loqui, quod ex Lege, quae noſtram praecedit, et utrius-

l) cf. VOGEL Diſſ. cit.
m) Diſſ. cit. §. 9.
n) *L. 79. ff. de R. J.*

utriusque Legis inſcriptione patet; falſam conſequentiam ex illa infert WILKE. Nam illud quidem verum eſt, quod etiam in delictis non ſolus eventus ſpectari debeat, ſed et conſilium; quoniam alias de facti qualitate, utrum dolo, culpa vel caſu commiſſum ſit, conſtare non poſſet, et ſic unus ex praecipuis modis deficeret, quos in puniendo iudex conſiderare debet *o*). Sed exinde non ſequitur, conſilium ſolum, quod eventu caret, poena ordinaria puniri non poſſe. in Lege Cornelia certe ſolum conſilium ad poenam ordinariam ſufficere, probant verba PAULI *p*): *In Lege Cornelia dolus pro facto accipitur* i. e. dolus ad poenam L. Corn. ſufficit, etiamſi eventus non fuerit ſecutus. Cum verbis PAULI conſpirant dicta D. HADRIANI *q*). *In maleficiis voluntas ſpectatur non exitus*; et ULPIANI *r*). *Nihil intereſt, occidat quis, an cauſſam mortis praebeat.* HADRIANI tamen verba non tam ſtricte capienda ſunt, ut in *ſola voluntate* nullo plane facto externo declarata ſubſiſtendum ſit, cogitationis enim nulla poena eſt *s*); ſed eorum ſenſus hic eſt; poena ordinaria reum afficiendum eſſe, ſi factum aliquod

K 5 com-

o) L. 16. *ff. de Poenis.*

p) L. 7. *ff. ad* L. *Corn. de S. et V.* cf. L. 1. §. 3. *eod. et* L. 16. §. 8 *ff de Poenis.*

q) L. 14. *ff. ad* L. *Corn. de S. et V.*

r) L. 15. *ff. eod*

s) L. 18. *ff. de Poenis. c.* 14. *et* 20. *de Poenit. D.* 1.

commiſit, ex quo dolus a lege praeſumitur, licet eventus intentioni non reſponderit.

His non obſtant, quae in contrarium allegari ſolent leges: *L.* 1. §. *ult. quod quisque jur. in alium ſtat. L.* 1. *pr. et §. ult ff. de extr. crim. L.* 6. *L.* 22. *§.* 4. *ff. ad L. Corn. de falſ. L.* 21. *§.* 7. *ff. de furtis. L.* 3. *ff. de his, qui not. infam.* in quibus delicto non conſummato, poenae ordinariae locus non datur. Hae enim leges primum ad alia delicta pertinent. Deinde verba HADRIANI: *in maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus,* haud generalem regulam ſiſtunt, quae in omnibus aut plerisque delictis obtinet, uti quidam exiſtimant *t*), generalibus ſeducti verbis: in *maleficiis*; ſed regulam ſpecialem, quae ad caſus in L. *Corn. de Sic. et Venef.* expreſſos, non autem ad alius generis delicta pertinet, niſi diſertis verbis, voluntatem in hoc vel illo crimine ſpectandam eſſe Lex praeceperit *u*). Haec enim eſt ratio cur *titulo ff. ad* L. *Corn. de Sic et Ven.* inſerta eſt, et non titulo cuidam generali e. gr. *de Reg. Juris* etc.

§. XXXIV.

t) CUJACIUS *Obſ. LVIII. c.* 22 *L. XV c.* 25.

u) Ita quoque ſentire videtur *Binkershoeck. Obſ Jur. Rom. L. III. c.* 10. qui exiſtimat *Hadriani* deſcriptum non de quocunque *maleficio*, ſed de *maleficio*, quod ita per eminentiam dicitur, et quod in *Titulo C. Theod. et Juſtin. de Malef. et Mathm,* damnatur, intelligendum eſſe.

§. XXIV.

Continuatio argumentorum ex jure Romano deſumtorum.

Cui modo reſpondimus argumento, illud addit WILKE *x*) quod nequidem Lege Cornelia conatus ultimo ſupplicio punitus fuerit; idque probare conatur ex *Nov.* 115. *c.* 3. *et* 5. *et c.* 2. §. 2. ubi inter cauſſas exheredationis refertur: *Si* liberi *vitae parentum ſuorum per venenum, aut alio modo inſidiari tentaverint.* Et *Si veneinis aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitae inſidiati probabuntur.* Ex his verbis ita ſuas rationes ſubducit: quodſi conatus in crimine veneficii ultimo ſupplicio fuiſſet punitus, inutilem eſſe talem exheredationem; quia haec poenam involvit, quam mortuus ſubire nequit, et liberi ob delicta parentum poenas non luunt, niſi in crimine perduellionis. Hoc tamen ratiocinium, ut taceam illud diſertae Legum diſpoſitioni contradicere *y*), falſo ſuperſtructum eſt fundamento, quia ſupponit reum ſemper ante teſtatoris mortem ultimo ſupplicio affectum eſſe. Haec theſis autem quam maxime vacillat, quum poena quandoque vel *plane non*, vel ſaltem *poſt mortem teſtatoris* demum irrogaretur. *Illud* factum eſt, ſi nec ipſe teſtator, nec alius, eo viven-

x) l. c. § 9.

y) L. 1. *in f. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* L. 1. §. 1. L. 3. *pr et* § 2. *ff. ad L. Corn. de Sic.* § 5. *J. de Jud. publ.*

vente reum accuſabat, et illo mortuo, reus querelam inofficioſi teſtamenti haud movebat eoque exheredationem juſtam agnoſcebat. *Hoc*, contigit, ſi reus, teſtamentum dicta querela convellere ſtudebat. Tunc enim probato a herede crimine, non ſolum exheredatio exitum habebat, ſed reus quoque poenis afficiebatur Legibus definitis z) Idem illud dicendum de eo caſu, quo accuſatio quidem ante mortem teſtatoris, vel ab extraneo, vel ab ipſo teſtatore inſtituta fuerit, hic autem ante rei condemnationem teſtamento facto mortuus ſit.

§. XXV.

Carpzovii aſſeclarum argumenta ex jure Carolino.

Plures JCti, ut CARPZOVII ſententiam defenderent, C. C. C. verba captarunt et in ſuos uſus torſerunt. Inter hos occurrunt GRASSUS, WERNERVS, et TEXTOR, quibus autem ſolide reſpondit BOEHMER *a*). Supereſt, ut WILKII *b*) argumenta rimemur. Hic relictis aliis praeſidiis provocat ad NEMESIS CAROLINAE *art.* 178. qui in genere poenas dictat in delicta attentata. Quum autem ſecundum WILKIUM in quaeſtione, *an morte non ſecuta poena ordinaria in veneficio locum habeat?* ageretur de delicto atten-

z) *Nov.* 115. *c.* 3. *fin. etc.* 4. *§.* 5. *et §.* 8.
a) *Obſ. V. in Carpz. P. I. q. XXI.*
b) l. c. §. 10.

tentato; inde concludit, omnem litem ex hoc *articulo* 178. decidendam eſſe. Addit, quod ſi quaeſtio haec jam alibi in C. C. C. deciſa fuiſſet, fruſtranea plane opera hunc articulum addidiſſet legislator. Id autem eſt, quod negamus. Nam ex eo, quod imperator in uno vel altero *articulo* C. C. poenam conatus in hoc vel illo crimine definiverit; minime ſequitur, alium *articulum*, in quo regulam generalem de conatu puniendo tradit, ſuperfluum eſſe, quum innumeri dentur caſus, in quibus hujus articuli diſpoſitione opus eſt; ſed id ſolummodo ſequitur, quod regula generalis, quae in *art.* 178. continetur, jam in *art.* 130. in ſpecie ad crimen veneficii applicata ſit.

Sed dabo auctori noſtro, litem ex *art.* 178. C. C. C. decidendam eſſe, nihilominus cauſa cadet, dum ex hoc articulo probare vult, non modo poenam ordinariam rotae, ſed omnem mortis poenam in propoſita ſpecie exulare.

Nam verba finalia hujus articuli **an Leib oder Leben** declarant, poenam mortis nonnunquam locum habere in conatu. Quaenam vero ſint iſta crimina, ubi conatus morte punitur, ibi quidem determinatum non eſt. De atrociſſimis certe, in quorum numero veneficium eſt, id intelligendum eſſe, nemo facile negabit. In huius ergo criminis conatu puniendo, ſi ad actum proximum pervenit; extraordinaria poe-

na

na, quod WILKIO placet, locum habere non poteſt. Quod autem non ſolum mortis poenam, ſed ordinaria rotae ex mente C. C. C. infligenda ſit pluribus docet BOHMER *c*) et nos ſupra probavimus. Quod adeo verum eſt, ut perito judici non tantum mortis poenam dictare, ſed et genus ſupplicii pro re nata determinare, adeoque rotae poenam imponere liceat, ut indicant verba *art.* 178. Aber in eynem Fall herter dann inn dem andern, angeſehen gelegenheyt und geſtalt der ſach, darumb ſolcher ſtraff halben die Urtheiler, wie hernach ſteht, raths pflegen, wie die an leib oder leben zu thun gebürt. Qui verborum ſenſus eo confirmatur, quod eadem diſpoſitio et in aliis articulis C. C. C. clarioribus adhuc verbis obtineat, quotiescunque ſcilicet ultimi ſupplicii genus vel plane non, vel non ſatis definitum eſt. Huc pertinent *art.* 104. *C. C C.* ubi haec: Nach ordnung eynes guten Rechtverſtendigen Richters.. die formm und weiß derſelben tödtung halten und urtheylen et paucis interjectis die formm und maaß... erkantnuß verſtendiger Richter bevelhen, und in derſelben willkühr ſetzen, die ſtraff nach gelegenheyt und ärgernuß der übelthat... zu ordnen und zu machen *art.* 124. C. C. C. ubi arbitrio committitur juris peri-

c) *Obſ. IV. n.* 5. *ad Carpz. P l. c.* 1. *§.* 24. *et ad* C. C. C. *art.* 178. §. *q. ll.* Eiusd. *El. Jur. crim. Sect. l. l.* 8. *ſqq.*

peritorum; an diſſectionem poſt decollationem, an vero diſſectionem ſine decollatione dictare velint. *art.* 172. *C. C. C.* cuius verba finalia dieſe Dieb ſeyndt zum todt, nach gelegenheyt der ſach und Rath der Rechtverſtendigen, zu ſtraffen. Haud leve pondus addunt verba finalia *art.* 130. et 137. *C. C. C.* quibus arbitrio judicis relinquitur externi apparatus augmentum vel deminutio, vil oder wenig, nach ermeſſung der Perſon und tödtung. Quocunque igitur ſe vertat *Carpzovianum* Lyceum, nil niſi leges offendet, ſibi aperte contrarias,

§. XXVI

Leyſeri et Kreſſi ſententiae non admiſſae.

Facilius admitti poſſet illorum ſententia qui cum LEYSERO *d*) tres conatus conſtituunt gradus; in *primo*, quando valetudo eius; cui venenum datum, irreparabile damnum accepit, ordinariam C. C. C. poenam dictant, eo tamen addito temperamento, ut judex, ſi hoc ei aequum videatur, rotam et culeum in gladium mutare poſſit; in *ſecundo* gradu, quo is, qui venenum ſumſit, priſtinam valetudinem recuperavit, poenam ultimo ſupplicio proximam ſtatuunt; in *tertio* denique gradu, quum venenum, antequam ſumeretur, deprehenſum ſit, omnia judi-

d) *Spec.* 609. *m.* 15. *ſqq.*

judicis arbitrio permittunt. Attamen ne quidem haec ſententia legibus ex aſſe reſpondet; *tum*, quod *art.* 130. C. C. C. verba **an Leib oder Leben beſchädigt**, indiſtincte quamcunque laeſionem *ſanitatis* i. e integritatis actionum corporis et animi *e*) comprehendant; et non diſtinguente Lege, JCti non ſit diſtinguere; *tum*, quod in criminibus atrocioribus non tam *laeſio* illata attendatur, quam ſceleratus ac hoſtilis *animus f*): *tum* etiam, quod difficillima immo incerta ſit Medicorum deciſio, quaenam laeſio ſit ſanabilis, quaenam inſanabilis; praeſertim, quum venena acuta, depulſis ſymptomatibus violentis, haud raro abeant in venena lenta, quorum actio tam occulta eſt, ut mors, elapſis demum quibusdam annis ſecuta, alienae cauſae adſcribatur *g*), et ita periculoſiſſima veneficia, venenis quae ſcilicet lentis committuntur, impunita maneant; *tum* denique, quia judici permiſſum non ſit, ſub aequitatis ſpecie poenam ordinariam in mitiorem gladii commutare.

Ob easdem rationes multo minus legibus conveniens eſt KRESSII *h*) ſententia, qui ſpre-

ta

e) *Hoffmann Med. Syſtem T. II. P. I. c. 2. §. 4 p. 56.*

f) BOEHMER *Obſ IV. n. 5. ad Carpz P. I. q. II et ad* C. C. C. *art.* 178 §. II.

g) cf. STENZEL *de Veneni temporar Hoffmann* l. c. *T.* IV *p. III. S. II. c.* 8. *obſ.* 4. *p.* 606.

h) *ad* C C C. *art.* §. 130. §. 4.

ta in omni Conatu ordinaria poena, in caſu, quo perpetua invalitudo ſupervenerit, ad ſummum decollationem admittit.

§. XXVII.

Deciſio ex C. C. C.

Stat ergo haec veritas: in crimine veneficii, quamcunque laeſionem veneno illatam, ordinaria C. C. C. poena plectendam eſſe. Haec ſententia non dura eſt, ſe aequitati ſatis amica. Neque enim, aequitatem ſolo juſtitiae temperamento et *miſericordia*, ut vulgo ſentiunt, abſolvi, ſed in rationabili et objecto convenienti juris applicatione conſiſtere, et rigorem poenarum ordinariarum ob ſingulares rationes aeque comprehendere, bene obſervat BOEHMER *i*). Quam ſororio vinculo haec ſententia cum ſanae Jurisprudentiae criminalis juncta ſit principiis, erudite demonſtravit quoque ALOYSIUS CREMANIUS *k*) licet aliter de LL. Romanis ſentiat (§. 22). Eidem fere noſtrae ſententiae favere videntur praecipue ZIRIZIUS *l*), et BEYERUS *m*), et modo laudatus BOEHMER *n*) qui tamen in duobus

i) *Obſ. V. ad Carpz. P. I. q.* XXI.
k) *de Jur. crim. T. l. L. l. P. l. c.* 1. *§.* 3. *ſqq. et c* 5 *§.* 51.
l) *ad* C. C. C. *art.* 130.
m) *ad* C.C.C. *art. cit. Poſit* 13.
n) *ad* CCC. *art. cit.* §. 1. *et* 3.

duobus, me quidem non habet conſentientem. *Alterum*, quod ſtatuat, ceſſante laeſione eaque antidotis *tempeſtive*, antequam nocere potuit, impedita, propinationem quidem in factum illicitum degenerare, ſed a notione veneficii abeſſe, et *auſum* non *conſummatum* continere. Aliud dicendum eſſe, ſi alter tormina ſenſit, et *ſtatus morboſus* ſecutus, ſed medicamentis ſenſim repulſus, a quo laeſio abeſſe nequit. Quodſi haec verba, prouti poſita ſunt, ſumas; contradictionem involvere videntur; quid enim ceſſans *laeſio* antequam *nocere* potuit? Si autem auctoris ſententia haec eſt, quod effectus veneni tempeſtive interruptus, ita ut ſanitas brevi reſtituta eſſe videatur, non tanquam laeſio conſiderari debeat; juſto ſtrictius interpretatur verbum beſchädiget, ſub quo levior aeque ac gravior, tranſitoria, aeque ac permanens laeſio comprehenditur. Nec rationes deſunt, quae legislatorem ad talem deciſionem perducere potuerint. Ut enim taceam, quod reus ex ſua parte omnia ad conſummationem neceſſaria fecerit; vix eſt, quod talis homo ob rationes de incertitudine laeſionis allegatas perfecte ſanatus dici queat. Haec tamen quaeſtio rarius occurret, quum in leviſſima laeſione vel veneni ſuſpicio haud facile oriatur, vel, quod datum eſt, venenum non ſit.

Alterum in quo BOEHMERO non adſentior, eſt; quod, morte ne quidem per intervallum ſecuto

cuto, poenae ordinariae commutationem, in mitiorem quae gladii eſt, non invitus concedat *o*); quod, niſi aliae rationes mitigantes adfuerint, nec in hoc caſu fieri poſſe, ex ſupra dictis patet.

CAPUT. II.

De poena.

§. XXVIII.

LL. Moſaicae, Perſicae, Graecae.

Leges Moſaicae nullam poenam ſingularem in Veneficos ſtatuerunt, ſed mortis poenam in genere iis dictant, qui hominem doloſe occiderunt *p*).

In Perſia veneficos ita punitos fuiſſe, ut in amplo lapide caput impingerent, rurſusque alio ſuperinducto illud effringerent, teſtatur PLUTARCHUS *q*).

Apud Graecos, qui alicui veneno inſidias ſtruxerit, ab Areopagi judicio ad mortem condemnabantur *r*).

L 2 XXIX.

o) *Obſ. V. ad Carpz.* l. c.
p) *Geneſ. IX.* 6. *Exod. XXI,* 12. *Num. XXXV,* 16. cf. *c.* 1. *X. de Homicidio.*
q) *in Artaxerxe.*
r) Potters Archäol. 1. Th. 1. B. Cap. 19. *p.* 212. *et p.* 359.

XXIX.

LL. Romanorum antiquae.

Quum populus Romanus Regum manu gubernaretur, nulla veneficia occurrebant. Quare vix legem invenies, quae hocce crimen vindicavit. Diſtinctius de veneficio locuti ſunt Decemviri circa a. U. C. 303. quo priores *XII. Tab.* promulgatae et centuriarum ſuffragiis probatae fuerunt *s*) Harum *LL. tabula VII.* ita ſtatuit: QUI MALUM CARMEN INCANTASIT, MALUM VENENUM *faxit duitve* PARICIDA ESTO. Nihilominus tamen ex hac L. ad commiſſa jam tum temqoris veneficia concludi nequit; ſi vera ſunt, quae LIVIUS *t*) narrat, de veneficiis quaeſitum non fuiſſe ante annum ab U. C. 422. quo ad centum ſeptuaginta matronae hujus criminis reae damnatae dicuntur. Non poſſum, quin haec occaſione I. V. GRAVINAM contra inculpationem defendam, quam illi gratuito fecit *auctor* quidam, operis, quod *Encyclopaediam* vocant, ſocius, *u*), dum aſſerit, JCtum illum absque ratione ſtatuiſſe: nullam, ante annum U C. 422. legem contra veneficos latam eſſe; quum a. U. C. 304. *L. XII. Tabb.* haec facinora coërcuiſſet. Sed absque ullo fundamento; quum ipſe GRAVINA di-

s) *Heinecc Hiſt Jur.* L. I. c. 2. §. 26.
t) *Hiſt.* L. VIII. c. 18.
u) *Encyclopédie* art. *Poiſon.*

diſertis verbis doceat, LL. Decemvirales poenam veneficis dictaſſe *x*) verba autem, quae captat auctor Gallus, ex LIVIO *y*) deſumta ſint. Quaeſtionem itaque ſive inquiſitionem in crimen cum legis poenalis latione confudiſſe videtur.

Poſtea temporis *Legem Semproniam* contra veneficos latam eſſe ex CICERONE *z*) colligi poteſt.

§. XXX.

L. Corneliae Hiſtoria ſuccincta.

Ad celeberrimam nunc *Legem Corneliam de Sicariis et Veneficis* progredimur, Nomen habet ab eius auctore L. CORNELIO SULLA *Dictatore*, qui pluribus LL. ſuo nomine inſignitis rempublicam inſtruxit, quas omnes anno ab U. C, 671, vel inſequentibus perlatas eſſe putat HEINECIUS *a*). De criminibus, quae *L. Cornelia* vindicabat, non inter omnes conſtat. Eadem Lege de *ſicariis, veneficis et parricidis* fuiſſe actum, quamvis diverſis praetoribus eſſent demandatae hae quaeſtiones, cum PITHOEO *b*) et

L 3

x) *Orig. Jur. Civ. L. II. c. 62. in eiusd. Oper. ed. Lipſ* 1717. 4. *T. I. p.* 222.

y) l. c. cf. CRAVINA l. c. *L. III. c.* 103. *Op. T. II p.* 438.

z) *Orat. pro Cluentio c.* 56.

a) *Hiſt. Jur. L. I. c.* 3. *ſ.* 92. *El. Pand. P. VII. ſ.* 198.

b) *ad collat.* LL. *Moſ. et Rom. I.* 2.

et SCHULTINGIO *c)* putat HEINECCIUS *d)* atque auctores allegat, qui varia huius Legis capita nobis ſervaverunt. Hodie tria potiſſimum L. capita de *Sicariis, Veneficis et Incendiariis* ſupereſſe idem auctor ſtatuit *e)*. Quatuor fuiſſe Leges, ſive potius Capita L. Corneliae I. *de ſicariis et veneficis,* II. *de falſis,* III. *de parricidis,* IV. *de injuriis,* totidemque a SULLA praetores creatos, qui has quaeſtiones ſigillatim exercerent, exiſtimat GABRIEL DE BELLIS *f)*. Denique DRYFHOUT *g)* quod capitis *quinti* mentio fiat in *L.* 3. *pr. ff. ad. L. Corn. de ſic.* ad minimum quinque capita fuiſſe ſtatuit, in quorum I. *de ſicariis et homicidis.* II. *de magiſtratu ex propoſito innocuum capitis damnante* III. *de veneficiis.* IV. *de falſo teſte in judicio publico.* V. *de incendiariis* actum ſit. Plura de hac re diſſeruerunt MATTHAEUS *h)*, GRA-

c) ad Pauli Rec. Sent. V. 24. 1. *p.* 513.
d) Antiq. Roman L. IV. T. 18. *ʃ.* 58.
e) El. Pand. P VII. ʃ. 198 *cf. Matthaei de Crim. Lib. XLVIII. Tit. V. c.* 1. *pr.*
f) in Tract. de Delict. in gen. et in ſp. de crim. laeſ. maj. ſicariis, item de veneficiis; in ej. Oper. poſthum. ab ej. fil. ed. Lugd 1645. 4.
g) Diſſ. *de Homic. venef. et mathem. Lugd.* Batav. 1760. *c.* 2. *p.* 28. Idem etiam *de cauſſa impulſiva L. Corn.* mentionem fecit *cap. cit*
h) de Crim. ad Tit. L. Corn. de S. et V. c. 1.

GRAVINA *i)* SIGONIVS *k)* RAMOS *l)* aliique.

Quicquid ſit, varia crimina, inter quae *veneficium* legitur. ſub *Titulo ad L. Corneliam de ſicariis et veneficis* in *Digeſta* relata ſunt, poena, quae ibi ſtatuitur, plectenda. Ad hanc legem, tanquam ſupplementa acceſſerunt plura SCta, quorum non omnium auctoros aut tempora producuntur, et quae legis ſententiam extendunt, reſtringunt atque explicant. Eleganter ea pro more ſuo illuſtravit GRAVINA *m)*.

§. XXXI.

L. Corneliae Poena.

Legis Corneliae poenam ſiſtit PAVLVS *n)* et MARCIANVS *o)* qui ita loquitur: *Legis Corneliae de ſicariis et veneficis poena inſulae deportatio eſt, et omnium bonorum ademtio etc.*

Quum autem deportationis poena tunc temporis nondum recepta fuerit, ſed ſub *Auguſto* demum introducta *p)*; *aquae et ignis interdictionem* deportationi ſubſtituendam eſſe cum

L 4 CVJA-

i) cap. cit.
k) de Judic L. I. c. 31.
l) in *Triboniano ſ erroribus Tribon, de Poena parric. Lugd. Bat.* 1728.
m) l. c.
n) Rec. Sent V. 23. §. 1.
o) in L. 3. *§.* 5. *ff. ad L Corn. de S. et V.*
p) CUJAC. *Obſ. L VI, c.* 39.

CVJACIO *q*) autumat HEINECCIVS *r*) Sub Imperatoribus deinde *deportatio* in locum prioris poenae ſucceſſit ſine diſcrimine, cujus quis eſſet conditionis, uti ex *cit. L.* 3 apparet. Hoc autem poſtea mutatum fuit ita, ut pro perſonarum qualitate modo major, modo minor poena locum haberet: *Sed ſolent hodie* inquit MARCIANVS *s*), *capite puniri; niſi honeſtiore loco poſiti fuerint, ut poenam Legis ſuſtineant: humiliores enim ſolent, vel beſtiis ſubjici, altiores vero deportantur in inſulam.* Cum eo conſpirat MODESTINVS *t*) et CALLISTRATVS *u*)

Ex his LL. patet, jus Digeſtorum diſtinxiſſe inter *honeſtiores* ſ. altiores, i. e. dignitate quadam conſpicuos, atque *humiliores*. Quod ad illos attinet, ſancitum eſt *ut x*) *poenam Legis*, ſcilicet *deportationem ſuſtineant.* Hi autem *ſolent hodie capite puniri et vel beſtiis ſubjici.* Hanc autem poenam non indiſtincte ad omnes, qui *humiliorum* denominatione veniunt, extenderem, quod tamen plures cum Gloſſa feciſſe vi-

q) *Interpret. J. Pauli Rec. Sent. V.* 23 §. 1.

r) *Antiq. Rom.* l. c. *et Hiſt. Jur.* l. c. in nota.

s) *in* L. 3. *cit.*

t) *in* L 16. *eod.*

u) *in* L. 28. §. 9. *ff. de Poenis.*

x) *Vulg. et Hal.* habent *quam ut.* Hanc lectionem ſi admittis, ſub poena L. Corn. *capitis poena*, quae proprie non eſt L. Corn. ſubintel-

videntur, ſed ſolummodo ad viliſſimae conditionis homines. Perſonas autem, qui inter hos et altiores quaſi fluctuant, quas ſub iis, qui in *ſecundo gradu* poſiti ſunt, intelligere videtur MODESTINVS *y*); cum CVJACIO *z*) SCULTINGIO *a*), HEINECIO *b*), ad gladium damnatos fuiſſe putarem. Ut ita ſentiam, me movent non ſolum dicta MODESTINI verba, *in ſecundo gradu*, ſed et quod Idem capitis poenam in Decuriones facilius admittat *c*) qui tamen in ali-

L 5 qua

telligenda erit. *Cod. Flor.* lectio a conſueta dicendi norma paullulum aberrare quidem videtur; ſed ex altera parte planiorem patitur interpretationem.

y) *L.* 16. *ff ad L. Corn. de S. et V.*

z) *Interp. J. Pauli R. S. V.* 23.

a) *ad J. Pauli R S. V.* 23. *ſ.* 1. in *Jprd. vet. Ante-Juſt.* cui tamen non in omnibus conſentio; uti mox videbimus.

b) *Antiq. Rom. L. IV. T.* 18. §. 71.

c) *L.* 16. *cit.* Nec obſtat contorta SCHULTINGII interpretatio *Pauli R. S. V.* 23. §. 1. in *Jrpd. Vet. A. J.* qui τὸ *hoc* refert ad poenam deportationis, quaſi illa *facilius* decurioni infligi poſſit. Dubitatio enim in L. 16. exinde orta eſſe videtur, quod Decuriones minori dignitate gaudebant, et eorum honores onera vix aequabant, adeo, ut aliquando cogendi eſſent municipes ad nomina curiae danda. *L.* 38. *C. de Decur.* ut ad decurionatum aliis deficientibus, etiam admiſſi fuerint ſpurii et ex inceſtu nati, *L.* 3. §. 2, *L.* 6. *ff.* *eod.*

qua dignitate viventes *d*) inſignibus in foro poenali privilegiis gaudebant, vi quorum ad metalla vel ignem vel furcam ſive potius crucem, poenam illi beſtiarum aequalem *e*) tanquam viliſſimorum hominum ſupplicia *f*) damnari non pote-

eod. itemque filii reorum criminis, L. 1. §. 7. *ff. eod.* ut denique tot privilegiis invitandi eſſent municipes ad hancce dignitatem obeundam. Ex quorum numero illud L. 15. *ff. de Poen.* et L. 6. §. 2. *ff. de Interd. et Releg.* Hinc *facilius* capite puniuntur, ſed nonniſi ex reſcripto Principis, quo decurionis privilegium tollitur, ſi ob criminis enormitatem id Principi viſum ſit; niſi forte tumultus aliter ſedari non poſſit; tunc enim reum punire debet deinde ad Imperatorem ſcribere. *L. 6. §. 9. ff. de iniuſto* etc. Huic quoque ſententiae favere videtur *Dionyſ. Gottofred.* in *notis ad L. 16. cit.*

d) L. 6. L. 7. L. 12. *ff. de Decurion et fil. eor.* L. 3. *C eod.*

e) PAVL. *R. S. V.* 23. §. 1. Notum eſt, *Tribonianum* furcam *cruci*, ubi occurrit, fere ſemper ſubſtituiſſe.

f) *Frid. Eſai. Puffendorfii de Culpa Comment. Juris. Nat. et Civ.* Lemgoviae 1741 8. *P. VIII. c.* 2. §. 6. Hinc eſt, quod *Suetonius* in *Galba c.* 9. hunc Imp. in coërcendis delictis vel immodicum appellat, quod tutorem, qui pupillum, cui ſubſtitutus haeres erat, veneno necaverat, cruce affecerit: implorantique leges, et civem Romanum ſe te-

poterant *g*): Immo, quod plus eſt, *Divus* HADRIANVS et *Divi Fratres* eos plane capite puniri prohibuerunt, niſi qui parentem occidiſſent: ſed ut poena L. Corneliae ſc. *deportatione* punirentur, pleniſſime caveunt *h*). His accedit, quod gradus poenae apud humiliores, qui deportationi apud honeſtiores reſpondet, ordinarie ſit gladius *i*) quam poenam quoque libri Βασιλικῶν *k*) habent. Facilius admitterem, diriſſimam iſtam poenam, ob graviora, quae rem circumſtant, momenta, quandoque perſonis in ſecundo gradu conſtitutis dictari poſſe; regulariter vero decollationem obtinere. Inde lucem capiunt, quae memorat PAVLVS *l*) honeſtiores poena capitis plecti, humiliores vero in crucem tolli aut beſtiis objici. Niſi enim hic ſub honeſtioribus cum HEINECCIO *m*) eos intelligas, qui in *ſecundo gradu* ſunt, hunc locum vix alio modo cum ſupra allegatis LL. conciliare poteris. Lubenter tamen meliorem interpretationem ab aliis exſpecto.

Ex

teſtificanti, quaſi ſolatio et honore aliquo poenam levaturus, mutari, multoque praeter ceteras altiorem et dealbatam ſtatui crucem juſſerit.

g) L. 9. §. 11. *ff. de Poenis.*
h) L. 15 *eod.* L. 6. §. 2. *ff. de Interd. et Releg.*
i) *Puffendorf* l. c. §. 28.
k) *ad Tit. L Corn. de Sic. et Ven.*
l) *Rec. Sent. V.* 23. §. 1.
m) *Antiq. Rom. L. IV. T.* 18. §. 61.

Ex his itaque ſequitur, honeſtiores perſonas lenius puniri, quam humiliores, et inter hos durius viliſſimae conditionis homines; quae diſtinctio et in aliis criminibus apud Romanos uſitata fuit. *n*).

§. XXXII.

An diſcrimen perſonarum abrogatum ſit? L. Julia etc.

Denique hoc perſonarum diſcrimen ſublatum, et omnibus tam honeſtioribus, quam humilioribus capitis poenam praeſtitutam eſſe §. 5. *J. de publ. judic.* aſſerunt MATTHAEUS *o*) SCHOEPFFER *p*) LAUTERBACH *q*), CARPZOV *r*) et plurimi veteres juris criminalis DD. ab hoc auctore citati. Verba §. 5 ita ſe habent: *Item lex Cornelia de ſicariis, quae homicidas ultore ferro perſequitur ... Eadem lege et venefici capite damnantur, qui artibus odioſis, tam venenis, quam ſuſurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint*, Rectius tamen ſentire videntur. qui cum HEIN-

n) L. 38. §. 9. ff. *de Poenis*, *Puffendorf cap. cit.*
o) *de Crim.* L. XLVIII. T. V. c. 3 § 1. et c 5. §. 3.
p) *Synopſ Jur priv. Rom. et forenſ. Tit. ad l Corn de Sic. et venef. n* 62.
q) *Compend. Jur. eod. Tit.*
r) *P. I. q. XX. n.* 15. *ſq.*

HEINECIO *s*) atque BOEHMERO *t*) ſtatuunt, *ordinis* perſonarum rationem et jure *Inſtitutionum* habendam eſſe. Ut enim taceam *Inſtitutiones* ex ipſius JUSTINIANI teſtimonio *mediocrem iſagogen* eſſe *u*) *prima tantum legum argumenta* continere *x*) et in ſpecie titulum *de judiciis publicis* eo fine ſcriptum eſſe, ut tironibus poſſibile ſit ſummo digito et quaſi per indicem ea tetigiſſe *y*) adeoque Imperatorem ſolummodo praecipuas poenas indicare voluiſſe, diligentiorem vero delictorum poenarumque ſcientiam ex latioribus Digeſtorum et Codicis libris hauriendam praecepiſſe *z*); perſonarum diſcrimen haud obſcure confirmat §. 7. *J. de publ. jud.* Inſpiciamus ipſa verba: *Ejusque legis* Corneliae de falſis *poena in ſervos, ultimum ſupplicium eſt* (*quod etiam in lege de ſicariis et veneficis ſervatur*); *in liberos vero deportatio.* Num igitur *L. Corn. de falſis* caput fuerit *L. Corn. de Sic.* rimentur alii *a*). Illud tantum volo,

s) *El. Pand. P. VII.* § 199. *Ej. H. J.* L. I. *c.* 3. § 29 *in not.*

t) *ad* CCC. *art* 130. § 4. Aliud tamen legitur Ejuſd. *Elem. Jrp. Crim. S II. c.* 16 § 218. noviſ. recuſ. *Halae* 1774.

u) Conſt. *Dedit.* § 11.

x) Conſt. *Tanta* § 11.

y) § *ult. I de Publ. jud.*

z) § 8. *et ult. eod.*

a) Conferas interim *L* 1. § 13. *L ult. ff. de L. Corn. de Falſ.* L 22. *C eod.*

volo, quod, ſi veneficium absque perſonarum diſcrimine ultimo ſupplicio puniri voluiſſet JUSTINIANUS, tota haec parenthesis absque ulla ratione poſita eſſet atque lectores in errorem duceret.

In alia omnia abit ALOYS CREMANIUS *b*), qui absque fundamento ſtatuit, veneficii poenam primo aquae et ignis interdictionem, poſtea deportationem, tandem ultimum ſupplicium fuiſſe.

Haec de poena ipſa L. Corneliae. Silentio non praetereundem eſt, veneficos ut et alios graviorum criminum reos vel die feriato tormentis ſubjici potuiſſe *c*) iſtos etiam maiorum ſepulchro privatos fuiſſe ex CICERONE *d*) patet. Denique veneficii damnatae mulieris dos publicari ſolebat, ſalvis tamen marito adverſus fiſcum actionibus; quod in paucis modo a reliquis criminibus exceptis obtinet. Alias enim damnatae mulieris dos penes maritum manebat *e*). Illa tamen diſpoſitio poſtea temporis ſublata eſſe videtur *f*).

Veneficia poſt L. Corneliam coercuit quoque *Lex Julia de caede et veneficio*, ad quam al-

b) *de Jur. Crim. T I. S. I. P I c* 5. §. 200.
c) L 3 C. *de Epiſ. Aud.*
d) *Orat. pro Cluentio* C. *ult.*
e) L. 3 *ſqq. ff. de bon damnat.* cf. h Diſſ. § ult.
f) N 134. c. *ult.*

alludit NERO *g*) quod autem in Corpus Juris Juſtinianeum receptum non eſt. De illa legi meretur NOORDKERKIVS *h*) et SCHVBARTVS *i*).

§. XXXIII.

Praxis veterum Germanicae originis gentium.

Veteres Germanicae originis gentes varie de veneficii crimine ſenſiſſe, et pro morum atque temporum ratione a mulcta usque ad poenam *ignis*, immo *vividefoſſionis* aſcendiſſe, docet BOEHMER *k*).

§. XXXIV.

Sententia Juris Carolini.

NEMESIS CAROLINA diſtinguit inter *maſculos et feminas*. Illis *rotam*, his *culeum* dictat. De *modo* crurifragii ſilet. Illud vero ab *inferioribus* partibus inchoare debere, exinde colligo, quod CAROLVS V. ad poenam exaſperandam forcipum inprimis candentium prehenſionem dictaverit, quod probabiliter non feciſſet, ſi in ipſa

g) *Sueton. in eius vita c.* 33.

h) *Diſquiſ. de L Petronia.*

i) *de Fatis Jurispr. Exer. III.* §. 52. *p.* 595.

k) *El. Jrpd Crim. S II. c.* 20 § 237. *et ad* CCC. *art* 130. § 5 cf. *Aloys. Germanius in Epiſtola ad Lampredium Tract. de Jur. Crim. praemiſſa p* 24.

ipſa exſequendi methodo poenam aggravandi medium ſupereſſe voluiſſet. In praxi tamen mitior, quae a *ſuperioribus* partibus fit, executio obtinet, altera ad caſus graviores reſervata *l*). Feminis *culeum*, tanquam mitius ſupplicium, favore ſexus impoſitum eſſe, contra CARPZOVIVM *m*) et WERNHERVM ſtrenue defendit BOEHMER *n*); licet in praxi Saxoniae electoralis etiam feminae *rotae* ſupplicium ſubeant *o*). Quam maxime differt a LL. *Romanis* jus *Carolinum*, quod ſexus, non autem conditionis rationem habeat *p*) adeo, ut etiam Medicum, qui ex propoſito fata aegri medicamentis properavit, eadem, qua veneficium poena plecti jubet CAROLVS V. *C. C. C. art.* 134. Hett aber eyn Artzt ſolche tödtung willigklich gethon, ſo wer er als eyn fürſetzlicher Mörde zu ſtraffen. Cum illis e contrario in eo concordat, quod levior ſors expectanda non ſit illi, qui veneno *lento*, quam qui *acuto* necavit *q*). Immo illum gravius puniendum putat I. F. W. DE NEUMANN *r*)]. Vera ne ſit, hujus

l) *Ludovici art* 130 CCC.

m) *P. I q. XX. n* 22 *ſq.*

n) *Obſ.* II *ad Carpz. q c.*

o) *Carpz. et* BOEHMER *II. ec.* *Leyſer Sp.* 609. *m.* 9.

p) *Beyer ad* CCC. *Poſ. I.*

q) *Wernher P. III. Obſ.* 75.

r) *de delict. et poen. Princ. p.* 178.

jus auctoris ſententia, in dubium vocat PUTTMANN *s)* hujusque quaeſtionis deciſionem aliis relinquit. Liceat mihi aeque ancipiti in utramque partem quaedam diſputare, nulla tamen abſciſſe adiecta deciſione. Ex *altera parte* pro NEUMANNI ſententia afferri poteſt, quod is qui venenum lentum dat, hominem lenta tabe excruciet, adeo, ut ei mors ſit ſolatium. Accedit, quod rei per totum plerumque, quod langueſcenti ſupereſt vitae curriculum, amicitiam ſimulent. Tum etiam exemplo opus eſſe videtur in criminis ſpecie, quae rariſſime detegitur, nihilominus tamen certiſſimam mortem parat. Et quamvis CAROLVS V. poenae exaſperationem inprimis ob perſonarum conjunctionem praeceperit, caſus tamen ſimiles aut plane graviores non excluſiſſe videtur.

Ex *altera parte* opponi poſſet, Imperatorem non diſtinxiſſe inter venenum *acutum et lentum*; ſed ſimpliciter ſcripſiſſe Gift; tum etiam in rubrica *art.* 130. *C. C. C.* verba heymlich vergeben omnia venena comprehendere, quibus uti poſſunt venenarii.

Quicquid ſit, anceps haereo, an non cautum judicem in mitiori potius poena ſubſiſtere deceat, quum interpretatione Legum poenae mol-

s) Elem. Jur. Crim. L. I. c. 22. §. 365.

molliendae ſint potius, quam exaſperandae *t*); niſi et aliae rationes poenam aggravare ſuaſerint, de quibus mox ſermo erit. PÜTTMANN *u*) certe hoc diſcrimen in foro attendi affirmare vix auſit.

Nullum quoque diſcrimen faciendum eſſe, an in veneficio mors ſecuta ſit, an non, ſupra probavimus. In praxi tamen poenam ordinariam, morte non ſecuta, locum non habere, teſtantur BOEHMER *x*) MEISTER *y*) aliique. Silentio hic premendum non eſt, dari caſum, ubi venenum propinatum fuiſſe *dicitur*, et ubi tamen ordinariam poenam ipſae leges non dictant: ſi ſcilicet id quod datum fuit, nociva quidem materia fuerit, quae vulgo *venenum* appellatur, revera autem ratione modi quo datum, et ratione perſonae cui datum eſt, *venenum* non ſit. Hic enim nullum proprie veneficium adeſt.

Nil denique refert, *directe* an *indirecte* quis nocuerit, modo animus necandi adfuerit.

§. XXXV.

t) L. pen. ff. de Poenis.

u) l. c.

x) *El. Jur. Crim. S. 2. c. 20. §. 238 Obſ. IV. ad Carpz. P. I. q. II. et ad CCC. art. 130* §. 6.

y) *Princ. Jur. Crim. S. II. c. 22 §. 3.*

§. XXXV.

De Gallia et ſervis coloniarum Americae.

In Gallia veneficium vi *Edicti* LVDOVICI XIV z) a LVDOVICO XVI. confirmati a) ultimo ſupplicio punitur. Verba huius Legis ita ſe habent. *Art. IV. ſeront punis de* mort *tous ceux, qui ſeront convaincus de s'être ſervis de vénéfices et de poiſon, ſoit que la mort s'en ſoit enſuivie ou non, comme auſſi ceux qui ſeront convaincus d'avoir compoſé ou diſtribué du poiſon pour empoiſonner.* Et *Art. V. Ceux qui ſeront convaincus d'avoir attenté à la vie de quelqu'un par vénéfice et poiſon, en ſorte, qu'il ne'ſt pas tenu à eux que ce crime n'ait été conſommé ſeront punis de mort.* Edictum hoc illuſtrat VOUGLANS *b*) et JOUSSE *c*), qui notabiles quasdam condemnationes affert.

z) *Edit du Roi de* 1682 (v. h. Diſſ. *not* 15) Notum eſt a 1680. jam ſpeciale judicium quod quaeſtionem de veneficio exerceret, conſtitutum eſſe, *chambre ardente* vocatum. Huic curiae occaſionem dedit creſcens veneficorum numerus, inter quos chorum duxit famoſa *d'Aubray de Brinvillier* ad gladium damnata, accedente apparatu quodam externo. v. *les Cauſes célèbres T. I.*

a) *Declaration du Roi de* 1780. (v. h. Diſſ. *not.* 15.)

b) *Inſt. au Dr. crim. Traité des crimes. T IV. ch.* 3.

c) *Traité de la juſtice criminelle de France T. IV. P IV. t.* 42. *p* 41.

Eodem fere modo ſaluti colonorum in America contra eorum ſervos, quorum multi veneficiis dediti ſunt, proſpectum eſt. Nam *Ordinatione Regia* cautum eſt, ut qui venenum hominis necandi cauſſa fecerint, vendiderint, dederint, quamvis irrito conatu, morte punirentur; et illi, qui rei notitiam habuerint, nec Procuratoribus Regiis illud denunciaverint, tanquam criminis fautores et participes tenerentur *d*).

Britanni ſervos veneficos Jamaicae patibulo vel igne plectunt *e*).

§. XXXVI.

Quando poena exaſperatur aut commutatur?

Quandoque ordinaria veneficii poena, ob juſtam cauſſam apparatu quodam externo exaſperatur, aut plane in gravius ſupplicii genus commutatur. Si veneficium concurrit cum parricidio, jure Romano *reus culeo inſutus cum cane et gallo gallinaceo et vipera et ſimia inter ferales anguſtias comprehenſus, ſerpentium contuberniis miſceatur; et ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare vel in amnem projicia-*

d) ORDONNANCE DU ROI *ſur les véneſices et poiſons art.* 1. 2. 1724. *Fevr.* cf. *Ehrlen* Diſſ. *de Servis Aethiopibus Europaeorum in coloniis Americae. Argent.* 1778 *p.* 60.

e) *Idem* l. c. *p.* 61.

jiciatur, ut omni elementorum uſu vivus carere incipiat, et ei coelum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur f). Nec quicquam remittitur, ſi quis emit venenum, ut patri daret, quamvis dare non potuerit *g*). Frater autem eius qui emtionem cognovit tantum nec patri indicavit, relegatur, et Medicus ſupplicio afficitur *h*). Parricidii poena tenentur etiam criminis conſcii, ut et qui ad ſcelus committendum pecuniam crediderunt, aut credendam quaeſiverunt *i*). Hanc culei poenam repetiit *Conſt. Sax.* 3. *P. IV.*

Jure Carolino poena ordinaria veneficii locum habet, accedente trahae impoſitione et forcipum uſtulatione, modo ab *art* 137. *C. C. C.* ad quem verba **eynem vorgeſetzten Mörder gleich**, reſpiciunt, praeſcripto. Augmentum poenae ſuſtinere etiam, qui alios *conſanguineos affines*, ut et *herum*, non autem, qui *adoptivum* necant, docet BOEHMER *i*). Idem dicendum, ſi veneficium concurrit cum aſſaſſinio. Aggravatur quoque poena, ſi crimen iteratum fuerit *k*) aut plures inde perierint. Inde

M 3 etiam

f) L. 9 *ff. de L. Pomp. de Parric.* L. *un. C. de his, qui par. vel lib. occid.*
g) L. 1 *ff. de L Pomp. de Parric.*
h) L. 2. *ff. eod.*
i) L. 6. L. 7. *ff. eod.*
k) *ad* C C C. *art.* 130. *ſ.* 7.
l) Carpzov. *q.* XXX. *in fin.*

etiam videtur ratio petenda, cur antiquum *jus provinciale Saxonicum m*) quod veneficis poenam ignis interminabat, retinuit *Conſt. Elect. Sax.* 18. *P. IV.* quod ad eos, qui paſcua inficiunt; modo damnum homini datum fuerit *n*). Id quod tamen ad quadrupedes reſtringi, nec ad volucres extendendum eſſe, exiſtimat LEYSER *o)*. Curia ſuprema Pariſienſis die 31. Martii 1764. eos, qui globulos venenatos in prata ſparſerunt, relegavit *p*).

An verum ſit, *exaſperationem* ponae ad ſolam necem reſtringendam, non autem ad aliam *laeſionem* extentendam eſſe, quod ex verbo tödtung cum STEINIO *q)* colligit BOEHMER *r)* addubito, quum *laeſio* et *occiſio* pari paſſu ambulent in *art.* 130. et vox tödtung hic ſit nomen genericum, ſub quo veneficium tanquam ſpecies continetur, ut ex rubro eluceſcit, ubi eadem vox occurrit.

In Gallia ſupplicium uſque ad poenam *rotae* diſpo-

m) Landr. *L. II. art.* 13. *verſ.* welcher Chriſtenmann.

n) KRESS *art.* 130. § 5 CCC.

o) *Spec.* 609. *m.* 21. *ſq.*

p) *Arrêt in Journal oeconom. Janvier* 1765. *p.* 27.

q) *ad Jus Lubecenſ. T. III.* §. 422.

r) *ad* CCC. *art.* 130. *§* 7. In conatu tamen poenam aggravari permittit. v. *§ ult in fin.*

aut *ignis* aggravari poteſt. *s*) Hanc ultimam diſpoſitionem nuper quoque ſecutus eſt Senatus Argentoratenſis, in puella, quae fratrem ſuum, ut illius heres exiſteret, veneno necavit, eiusque uxorem et famulam vehementer laeſit; licet ordinarie ſecundum C. C. C. in judiciis criminalibus pronunciet; ea potiſſimum ratione adductus, quod poena aquae, quae in C. C. C. dictatur, jamdudum in noſtra civitate extra uſum ſit.

§. XXXVII.

Quando poena mitigatur.

Nonnunquam ob varias rationes poena ordinaria mitigatur, et vel in gladium vel plane in minorem et extraordinariam commutatur. Sic poenae diminutionem ſperare poteſt reus, qui poenitentia ductus, ſe venenum dediſſe ſtatim confitetur, ut aegroto tempeſtive ſuccurri poſſit; quo in caſu, ſi aeger moriatur aut langueſcente morbo corripiatur, de cuius deſperant cu-

s) DECLARATION DU ROI *conc. les Empl. de* 1780. *cit.* Immo poena ignis in ordinariam fere tranſiiſſe videtur. cf. *Ferriere art. homicide volontaire*, „ l'homicide, qui ſe com„met par le poiſon, eſt puni de feu." Tanquam ordinaria eadem poena obtinet quoque apud Mediolanenſes. *Conſt. Domin. Mediolan.* L. *IV. tit. de Poen. in princ. Al. Cremanius de Jure Crim.* T. *I.* L. *I.* P. *I. c.* 5. *§.* 200.

curatione medici, gravioris mortis genus, non autem mortis poena exulat *t*). Quodſi releve-tur aeger, tunc arbitrariam modo poenam lo-cum habere exiſtimo; non ſolum ob aequitatem erga reum et analogiam juris *u*), ſed et ex ea ratione, ne rei de capitis poena certi maiorem ſpem in celando, quam in confitendo crimine habere coacti fere ſint. Multo magis adhuc il-lud dicendum eſt, ubi factum ſubſtitit in conatu, effectu non ſecuto *x*). Ita quoque ſentire vide-tur eruditus Advocatus ille generalis curiae ſu-premae Gratianopolitanae *y*), dum contra LL. quae hocce principium neglexerint, ita excla-mat: *Eſt-il bien juſte auſſi que le deſſein d'un meurtre, ſoit puni comme l'execution? et pour-quoi nos loix nous ont elles oté, contre le ſcele-rat, la reſource du repentir?* Non tanta qui-dem clementia dignus eſt, qui invitus crimen perficere non potuit *z*); quo et ille referendus eſt, qui paſcua, fontes etc. ſiue damno dato in-fecit

t) cf. *Kreſs ad* CCC. *art.* 178. §. 4.
u) CCC. *art.* 178.
x) *Kreſs* l. c. § *l. ult.*
y) *Diſcours ſur l'adminiſtration de la juſtice cri-minelle, prononcé par Mr. Servan, Avocat-Général au Parlem. de Grenoble.* Dans ſes (*Oeuvres diverſes, II. Vol.* 12. imp. avec per-miſſ. du Roi, *à Lyon* 1774. *T. I. p* 98.
z) CCC. *art.* 178.

fecit; attamen non mortis poenam, ſed extraordinariam pro facti ratione vel maiorem vel minorem ſubire debet. *a*) Indulgentiam porro meretur, qui animo necandi fuerunt deſtituti; licet vel mera *culpa* vel cum nocendi cupidine conjuncta haud abſuerit.

Mitius quoque punitur reus, ſi de *corpore delicti* non plene conſtat, ſive quod Medici juſtas dubitandi rationes circa qualitatem et effectum veneni afferant, ſive quod cadaveris inſpectio non rite facta ſit, ſive quod armis venenatis vulnus per ſe lethale inflictum ſit *b*). Denique ob juſtum dolorem poenam mitigandam eſſe cenſeo, ſi v. g. reus talem occiderit, qui coniunctiſſimam ſibi perſonam veneno interfecit; praeſertim, ſi hic mortem occiſo minatus ſit, et reus eum ſaepius monuerit, ne minas effectui daret *c*). Nec tamen impunitate frui debet, qui crimen crimine vindicavit. Quare nullum applauſum meretur Areopagi judicium, quod neque damnavit, neque abſolvit matrem familias Smyrnaeam, quae maritum et filium interemit, cum ab his optimae indolis juvenem, quem ex priore marito enixa fuerit, comperiſſet occiſum, ſed in-

M 5

a) BOEHMER *ad* CCC. *art.* 130 *ſ.* *ult.*
b) *Idem* l. c. *Kress ad* CCC. *eod art.* 130. § 4.
c) *Arg. Nov.* 117. c. 15.

inſpecta cauſſa, et accuſatorem et ream poſt centum annos adeſſe juſſit *d*).

CAPUT. III.

De effectu civili.

§. XXXVIII.

Supereſt, ut de effectu civili in veneficio pauca commemoremus. Primum illud eſt, quod filii, qui vitae parentum, aut parentes, qui filiorum vitae per venenum inſidiari tentaverint, exheredari poſſint *e*). Porro coniux, alterum coniugem veneficio occupatum eſſe oſtendens, non ſolum cauſſam divortii habet, ſed et dotem nec non antenuptialem donationem lucratur *f*). Confirmatum hoc cum quibusdam limitationibus *Nov.* 117. *c.* 8. *et* 9. Deinde occiſi cognatis ex venefici bonis aliquid pro ſatisfactione adjudicatum fuiſſe ex *Collat. leg. Moſ. et Rom.* exſculpit cum CUJACIO *g*) HEINECCIUS *h*). Hanc ſententiam vero

d) *Valer. Max.* L. *VIII. c.* I. *et* A. GELLIUS *L. XII. c.* 7.

e) v. ſupra §. 24. h. Diſſ.

f) *Nov.* 22. *c.* 15. § 1.

g) *Obſ. XIV.* 4.

h) *Hiſt. Jur. L. I. c.* 3. §. 92. *in not.*

vero fundamento deſtitutam eſſe oſtendere conatur SCHULTINGIUS *i*) atque RITTER *k*)

Quicquid ſit, per veneficium laeſis, poena publice licet reo inflicta, privatim quoque ſuccurrendum eſſe nullus dubito; quum privatam ſatisfactionem, delicto laeſis praeſtandam, ex principiis juris tam naturalis quam civilis fluere ſatis doceant BOEHMER *l*) atque MEISTER *m*). Ita quoque *Curia ſuprema Pariſienſis* contra famoſam veneficam ex nobili genere ortam, in favorem cognatorum pronunciavit *n*). Plura de quaeſtione, quatenus ſatisfactio privata in delictis locum habeat, legi merentur apud QUISTORP *o*), qui illam ex profeſſo pertractavit.

i) *ad Collat. LL. Moſ. et R. in Jrpd.* v. *Ante-Juſt. T. I.* § 11. *p.* 734.

k) *in Not. ad Heinecc.* l. c. cf. NOODT *ad L. Aquil. c.* 2.

l) *El. Jurispr. Crim. S. II. c.* 1. § 30.

m) *Princ. Jur. Crim. S. II. c.* 1 § 38. cf. Frölich *ad* C C C. L. II. T. 20 von Abtrag der beleidigten Freundſchaft.

n) *Arrêt du Parlement de Paris rendu contre Dame Marie Marguerite d'Aubray Epouſe de Sieur Marquis de Brinvillier du* 16 *de Juillet* 1676. dans les *Cauſes célebres T. I.*

o) Beyträge zur Erläuterung verſchiedener mehrentheils unentſchiedener Rechtsmaterien aus der bürgerlichen und peinlichen Rechtsgelehrſamkeit I. Band Roſtock und Leipzig, 1780. 8. 4tes Stück 14te Abhandl.

XVIII.

XVIII.

IOANN. FRANCISCI EHRMANN.

Diſſertatio,

De

Veneficio culpoſo.

Argentorati, 1782.

PRAEMONENDA

De Veneficio culpoſo.

In Genere.

V*eneficium culpoſum* eſt delictum, quo quis culpa hominis vitae vel ſanitati veneno nocet.

Ex hac definitione fluit; I. Veneficium culpoſum eſſe delictum. II. Sine culpa non intelligi. III. Veneno committi. IV. Hominis vitáe vel ſanitati nocere.

Quum itaque Veneficium culpoſum ſit delictum ſive factum contra legem poenalem commiſſum: ſequitur, in ſtatu civili non omnem uſum

uſum veneni nocivum eſſe delictum; ſed illum modo, qui lege poenali eſt prohibitus *a*).

Quum porro ſine culpa non intelligatur: conſequens eſt, in hac potiſſimum differentiam poſitam eſſe inter veneficium *doloſum et culpoſum*.. Quae cum ita ſint, notio *culpae* paullo accuratius explicanda erit

Culpa in genere eſt omiſſio debitae diligentiae. *Diligentia* hic eſt, cura in dirigendis actionibus noſtris adhibenda. Quumque cura vel maior vel minor adhiberi poſſit; hinc orta eſt vulgata illa *culpae* diviſio in *latam*, *levem et leviſſimam b*). Ulteriori huius culpae diviſionis explicationi haud immoror. Illud tantum moneo, re ad unguem ſumta, *culpae gradus* ratione imputationis dari *infinitos*; prouti quis principia, contra quae peccavit, magis aut minus cognoverit, vel cognoſcere potuerit. Ita ſere bene hanc doctrinam paucis verbis explanare videtur IOH. AUG. EBERHARD *c*).

Ut in *dolo*, ita in *culpa* alia contra leges civiles admittitur, et in *negotiis civilibus* occurrit

a) *Meiſter Princip. Jur. Crim. S. II. c. II. §.* 11.

b) cf. *Frid. Eſaj. Puffendorfii de Culpa Comment. Lemgoviae* 1741. 8. *P. II. c.* 4.

c) Neue Apologie des Socrates. Berlin und Stettin I. Band 1776. 8. p. 388.

rit; alia autem contra leges poenales committitur et *culpam in delictis* ſiſtit; et ſicut delictum *dolo* commiſſum vocatur *doloſum*, ita, quod culpa commiſſum eſt, *culpoſum* audit. Haec autem non tam ſtricte capienda ſunt, quaſi ſemper delicta doloſa *mero dolo*, et culpoſa *mera culpa* conſtarent. Dolus enim et culpa ſaepiſſime concurrunt in uno eodemque delicto, ita, ut in genere effectus in *delicto partim* ex dolo, *partim* ex culpa oriri poſſit. In his tamen caſibus, niſi legibus aliud definitum ſit, *a potiori* fieri ſolet denominatio. Huius autem regulae applicatio multum pendet a notione *doli*, an hic *in ſenſu lato* pro *animo nocendi*; an vero *in ſenſu ſtricto Legis Corneliae de Sicariis et Veneficis* pro *animo necandi* ſumatur. Illo caſu delictum aliquod *culpoſum* audit, ſi plus *culpae*, quam *animi nocendi* adeſt; hoc caſu delictum aliquod referri poteſt ad *culpoſa*, licet *animus nocendi* haud abſit, dummodo non adſit *animus necandi*, ſive *Dolus in ſenſu Legis Corneliae*. Exemplum praebet *poculum abortus et amatorium*, de quo, ultimo praecipue, in Diſſ. *de Veneficio doloſo d)* verba feci, et in praeſenti opuſculo quaedam diſputaturus ſum. Hoc delictum, ſecundum JCtorum Romano-

d) quam Praeſide *Job. Dan. Reiſſeiſſen, J. U. D. et Jur. Canon. P. P. O. Capit. Thom. Canon.* defendi *Argentorati d. XI. Sept.* 1781. *§.* 11. *ſqq.*

manorum Stoae plerumque addictorum principia, ad *culpoſa* refertur.; non quod *omnis* plane *dolus* ſemper adſit; ſed quia talis *dolus*, ſive gradus doli, qualis in *Lege Corn.* requiritur, abeſt, ſcilicet *animus necandi*; licet *dolus in ſenſu lato* adeſſe poſſit, qui et *animum nocendi* comprehendit. Haec eſt ratio, cur veneficium culpoſum non inter *quaſi delicta* referam, quippe quae *ſola culpa* abſolvantur, ſed in denominatione *delicti culpoſi* ſubſiſtam, ſub qua omnia delicta, culpa omiſſa, ſive *dolus* concurrat ſive abſit, commode comprehendi poſſunt. Alia quidem principia recentiores agnoſcunt Philoſophi et JCti. Hinc quaedam delicta, quae apud Romanos ad *culpoſa* referebantur, hodie *doloſis* adnumerantur. Mihi autem placuit, ratione diſtributionis delictorum in *doloſa et culpoſa*, ad *Legem Corneliam* magis reſpicere, quam ad hodiernos mores, quia in prima mea Diſſertatione dictam Legem pro fundamento adſumſi.

In tertia propoſitione diximus, *venenum requiri* in veneficiis culpoſis. Quum autem *venenum* vel in *ſenſu ſtricto* ſumi poſſit, pro corpore, quod nunquam alit, ſed naturam animalem mutat et ultra certam quantitatem, experientia determinatam, aſſumtum necat *e*); vel in *ſenſu lato*, quo omnis materia, quae humano

e) v. Diſſ. mea cit, §. 3.

no corpori in data doſi nocet, comprehenditur *f*); veneficium culpoſum quoque haud inepte dividitur in *Veneficium culpoſum ſtricte ſic dictum et V. culpoſ. late ſumtum.*

Denique in Veneficio culpoſo tam ſtrictius quam latius ſumto, *aut vitae aut ſanitatis laeſio requiritur*, ut in veneficio doloſo; quoniam alias nulla plane de qualicunque veneficio quaeſtio eſſe poſſit.

Quemadmodum veneficium *doloſum*, ita et *culpoſum* tam *immediate* quam *mediate* multis modis committi poteſt. Inde varia oriuntur delicta, quae prouti magis aut minus nota ſunt, prout ad veneficium culpoſum in ſenſu ſtricto aut lato pertinent, vel ſpeciali nomine gaudent, vel eo deſtituuntur. De illorum praecipuis diſſerere animus eſt; et quidem primo de veneficii culpoſi reis, qui *immediate* venenis nocent, deinde etiam de iis, qui *mediate* damnum toxicis inferunt.

f) v. ead. Diſſ. cit. §. 2. *fin.* cf. STENZEL Diſſ. *de philtris* §. 17. *p.* 53. *Eſchenbach Medic. Legal. Sect. l.* §. 9. *p.* 25. BOEHMER. *ad* G C C. *art.* 134. §. 1.

SECTIO I.

SECTIO I.

DE VENEFICIO CVLPOSO IMMEDIATE COMMISSO.

CAPUT I.

De poculo abortus.

§. I.

De abortu procurato in genere.

Inter eos, qui *immediate* veneficium culpoſum committunt, primo loco nominamus eos, qui *Poculum abortus* dant vel aſſumunt. Quodſi hoc delictum paullo fuſius pertractare vellem, peculiaris de illo conſcribenda mihi foret diſſertatio. Quod cum a ſcopo alienum ſit: praecipua modo adducam, quae hanc materiam illuſtrare queant.

Procuratio abortus in genere dicitur illud delictum, quo foetus humanus in utero matris contentus dolo vel culpa expellitur g).

Variis modis hoc delictum perpetrari poteſt. De illa modo ſpecie mihi ſermo erit, quae *poculo*

g) *L.* 8. *ff. ad L. Corn. de Sic. et venef. L.* 4. *ff. de extr. crim. L.* 38. *ff. de poen. art.* 133. C. C. C.

culo ſive medicamento abortivo committitur. Ex his ſequitur: I. Procurationem abortus, quae poculo fit, eſſe delictum. II. Et dolo et culpa committi. III. Medicamentis abortivis peragi. IV. Expulſionem foetus requiri.

§. II.

Eſt delictum.

Abortus procurationem, quae poculo fit, *delictum* eſſe dubium non eſt; quia procuratio abortus in genere legibus poenalibus modo citatis eſt prohibita. Huius delicti coërcitionem apud Romanos poſcebant inprimis corrupti mulierum mores, quae ſaepe ob cauſſas leviſſimas partum abigebant; praeſertim, *ne rugis*, ut ait OVIDIUS, *ventrem Lucina notaret h*). Huic pravae conſue-

h) Quorſum alludunt etiam, quae *Idem de Nuce v.* 23. *canit:*

Nunc uterum vitiat, quae vult formoſa videri,
Raraque in hoc aevo eſt, quae velit eſſe parens.

Seneca de Conſol. ad Helv. c. 16. *Nunquam*, inquit, *te foecunditatis tuae, quaſi exprobraret aetatem, puduit: nunquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumeſcentem uterum abſcondiſti, quaſi indecens onus, nec intra viſcera tua conceptas ſpes liberorum eliſiſti. Juvenalis Sat.* 6. *v.* 595. ita loquitur:

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto
Tantum artes hujus, tantum medicamina proſunt

Quae

ſuetudini faviſſe quodammodo videntur Philoſophiae ſtoicae principia, quibus imbuti plerique Romanorum JCti, quod mater intus gerebat, hominem eſſe negarunt *i*). In Germania hoc delictum tunc demum invaluit, poſtquam peregrini maiorum noſtrorum mores corruperant. *k*).

§. III.

Et dolo et culpa committitur.

Quum deinde et *dolo et culpa* delictum hoc committatur; conſequens eſt, illud vel *doloſum* vel *culpoſum* vocari poſſe, prouti vel *dolus*, qui hic *animum nocendi* denotat, vel *culpa* praevalet. Rationem, cur delictum hoc inter *culpoſa* referam, quod ſcilicet id fiat *ratione Legis Cor-*

Quae ſteriles facit, atque homines in ventre necandos.

Quantum humanae naturae repugnent haec facinora, congrue exprimit OVID. *Amor. L. l. Eleg.* 14. ubi graviter in puellas invehitur:

Quae prima inſtituit teneros convellere foetus
Militia fuerat digna perire ſua.

Et paucis intermiſſis:

Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris,
Perdere nec foetus auſa leaena ſuos:
At tenerae faciunt, ſed non impune, puellae;
Saepe, ſuos utero quae necat, ipſa perit;
Ipſa perit, ferturque toro reſoluta capillos,
Et clamant, Merito, qui modo cunque vident.

i) L. 9. §. 1. *ff. ad L.* 1. *de ventr. inſp.* L. *eod. etc.*

k) Engau *Elem. Jur. Crim. L. I. Tit.* 32. f. §. 407. *.

neliae, quae ſub *dolo animum necandi* intelligit, ſupra (*Praem.*) expoſui.

§. IV.

Medicamentis abortivis peragitur.

Quum porro de abortu *medicamentis* procurato ſermo ſit: omnis delicti probatio pendet a quaeſtione: *Num dentur vera medicamenta abortiva*, id eſt, talia, *quae conceptum in utero embryonem tamdiu conſervari haud ſinunt, ut natus inter vivos manere queat, ſed ante lapſum illius temporis ſpatium eundem, ſive vivum, ſive mortuum exturbant? l*). Quaeſtio haec inter eruditos controverſa eſt. Negat illam HOFFMANN *m*) cauſſam foetus expulſi *morboſae* diſpoſitioni corporis et naturae tribuens, graviterque increpat JCtos, quod ſine *corpore delicti* poenam definiant. Illum variis argumentis refutare ſtudet BOEHMER *n*) praeſertim; quod abortiva *cauſſam ſine qua non*, uti in ſchola loquuntur, conſtituant.

Bene diſtinguit ESCHENBACH *o*) inter quaeſtio-

l) *Eſchenbach Medic. legal. S. II.* §. 20. *p.* 42.

m) in Diſſ. *de laeſionib. extern. abortiv. venen. ac philtr. Obſ. XII.* in ejus *Opuſc. Pathol. pract. ſeu Diſſert. ſelectiorib. Halae.* 1738. 4. *Decad. II. Diſſ. V.*

n) *Obſ. V. ad Carpz. P. I. q. XI.*

o) l. c. §. 23. *p.* 47.

ſtionem: *Num dentur medicamenta, abortum ſemper et cum effectu certo procurantia?* et illam: *Num abortus, uſum quorundam medicamentorum, abortum procurandi ſcopo ſubminiſtratorum brevi ſecutus, hiſce medicamentis adſcribi mereatur?* Negat illam aliorum experientia edoctus; hanc vero affirmat, dummodo nulla alia cauſſa ad effectum ſecutum aliquid contribuerit. Hanc diſtinctionem invitus agnoſcere videtur HOFFMANN *p*) dum remedia admittit, quae uterum ad abortiendum diſponant atque reorum votis nonnunquam ſatisfaciant; ibique omnia calidiora *emmenagoga* ac *diuretica*, fortiora *purgantia et emetica* refert.

§. V.

Expulſio foetus requiritur.

Quum denique *expulſio foetus requiratur*, ſequitur, partum revera abactum eſſe debere, et quidem *brevi* poſt aſſumtionem abortivorum *tempore q*); alias enim cum Medico incertus haereret judex, annon alienae forſan cauſſae tribuendus eſſet hicce effectus? adeoque de *corpore delicti* nunquam penitus conſtare poſſet. De delicti huius conſummatione autem certiores nos reddunt vel *inſpectio*, ſi foetus extat,

 vel

p) *Medicin. Syſtemat. T. IV. P. III. c. 9. §.* 16.

q) *Eſchenbach* l. c.

vel *confeſſio* feminae indiciis ſuffulta, aeque ac in infanticidio *r*).

§. VI.

Poena Juris Romani.

Quod ad poenam apud Romanos attinet: SEVERUS et ANTONINUS *s*) reſcripſerunt, eam, quae data opera partum abegit, a Praeſide in temporale exilium dandam eſſe; *indignum enim*, aiunt, *videri poſſe, impune eam maritum liberis fraudaſſe*. Quum itaque *iniuriam marito illatam* pro decidendi ratione allegent Imperatores: facile patet, hanc legem ad exſtirpationem foetus ante contractum matrimonium a muliere ſcienter factam non pertinere. Poſt contractum vero matrimonium poenae dictatae locus eſt; ſive hoc ſubſiſtat, ſive divortium factum fuerit *t*) ſiquidem in utroque caſu maritum liberis fraudet uxor. Dixi *temporale exilium* interminari Imperatores, et ad hoc probandum cum aliis *Legem* 39. *ff. de poenis* allegavi. Huius autem legis verba finalia, quae de *temporali exilio* mentionem faciunt, pugnare videntur cum verbis initalibus eiusdem legis, quae ita poſita ſunt: *Cicero in oratione pro Cluentio Avito ſcripſit, Mileſiam quandam mulierem, cum eſſet in Aſia,* *quod*

r) *Boehmer ad* C. C. C. *art.* 133. §. 4.

s) L. 4. *ff. de extraord. crim.* L. 8. *ff. ad* L. *Corn. de Sic. et venef.* L. 39. *de poenis.*

t) L. 39. *cit.*

quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, REI CAPITALIS *eſſe damnatam.* Quid itaque ſibi vult TRYPHONIUS, ex cuius ſcriptis haec lex deſumta eſt, quod poenam duriorem ab initio dictatam, mox elevet? Num ſibi contradicit? Minime gentium; regulam enim tradit verbis finalibus, exceptionem initialibus. Huius exceptionis rationem ipſe CICERO *u*) in turpiſſimo quaeſtu et avaritia ponit, quae ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiae, deſignatum reipublicae civem ſuſtuliſſet.

Haec de muliere, quae ſua ſponte ſibi ipſi partum abegit. Quodſi alius tale pharmacon mulieri dat: illud vel *ſcienti* ac volenti, vel *ignoranti* et invitae propinat.

Illo caſu citatae leges quod ad mulierem diſponunt, niſi quod forſan, pro ratione momentorum, poena mitigari poſſit. Quod autem ad poenam ejus attinet, qui alii ſcienti propinavit: leges nil diſerte diſponunt. Legum autem analogia ſuadet, talem, ſi femina periit, graviori poena, quam illa *L.* 3. *§.* 2. *ff. ad L. Corn. de S. et V.* mitiori autem illa *L.* 38. *§.* 5. *ff. de poen.* puniendum eſſe. Nam in *L.* 3. *cit.* relegatur ea, quae non quidem malo animo, ſed malo ex-

u) *Orat. pro A. Cluentio C.* 11. *Oper. Vol. II. P. I. p.* 564. *Edit. Hal.* 1756. cf. *Boehmer Obſ.* I. *ad Carpz. P. I. Q.* XI.

exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quae acceperat, deceſſerit; in *L.* 38. *cit.* vero ultimum ſupplicium dictatur ei, qui *ignoranti* poculum abortus dedit, ex quo deceſſerit. Is igitur, qui ſcienti dedit poculum abortus, ex quo deceſſerit mulier, plus fecit, quam femina, quae in *L.* 3. depingitur, minus tamen, quam ille reus, quem *L.* 38. ſiſtit. Multo magis adeo indulgentiae locus eſſe debet, ſi non mortua ſit mulier.

Hoc caſu, quo quis ſcilicet *ignoranti* poculum abortus procuraverit, gravior poena reum manet. Humilior enim in metallum, honeſtior in inſulam amiſſa parte bonorum relegatur *x*). Quodſi

x) *L.* 38. § 5. *ff. de poenis.* Quod Lex haec de eo loquatur, qui feminae *ignoranti*, non de eo, qui *ſcienti* poculum abortus dedit; ex eo conjicio, quod crimen hoc cum amatorio, quale nunquam ſcienti datur, in eadem lege conjungatur et pari paſſu cum eo ambulet.

Citatae *L.* 38. ſpeciem olim jam antiquiori Romanorum aevo, impunem non fuiſſe, licet mulier non perierit, exiſtimat *Aloyſius Cremanius de jure Crim.* L. I. *P. III. c.* 5. *art.* 8. §. 231. *not.* (*ll.*) non quidem ratione foetus, ſed ob iniuriam, quae facta cenſebatur mulieri, quam vix cogere poſſumus, ut intempeſtive pariat, quin uno eodemque tempore, in aliquo vitae periculo eam ponamus. *Idem* auctor l. c. jus Romanum recentius mira ſeveritate interpretatur, dum ſtatuit

Quodſi ex eiuſmodi poculo mulier perierit ſummo ſupplicio afficitur *y*); etſi dolo non faciant, ut dicit PAULUS in dicta *lege* 38. quicquid ſub eo intelligas *z*); ſed *quia res mali exempli eſt.* Haec ſola eſt ratio decidendi, quam diſertis verbis JCtus allegat. Sub *malo* autem *exemplo* non *frequentia delinquendi*, uti nonnullis viſum, intelligenda videtur, neque ſola *pernicies reipublicae*, dum multi in furorem, alii in inſaniam, plerique in vitae periculum incidunt, quod BOEHMERUS *a*) putat; ſed potius eam ob rationem poculum abortus aut amatorium *rem mali* ex-

tuit: et maritum, qui futuram ſuae conjugis prolem quodammodo abhorrens abortum illi procuraverit, et mulierem, quae ſponte et improbo conſilio immaturum foetum expellere tentaverit atque expulerit etiam, in *Legem Pompejam de parricidiis* incidere. Ratio, quam allegat haec eſt; quod homo ſit ac filius etiam ille, qui talis eſt futurus, nec referat, natum quis diſturbet animum, an naſcentem, perfectum jam, an deſignatum civem Reipublicae tollat. Quicquid ſit, ſententia haec in legibus Romanis certe nullum praeſidium invenit.

y) In hoc ipſo diſcrimen poſitum eſt inter huius delicti reum et veneficum doloſum. Nam hic ordinaria poena plectitur, licet mors non ſecuta fuerit. v. Diſſ. mea *de Venef. Doloſ.* §. 21. *ſqq.*

z) cf. Diſſ. mea *de Venef. Doloſ.* §. 11.

a) *ad* C. C. C. *art.* 133. §. 5.

exempli vocaſſe videtur PAULUS, quod in huiusmodi poculo praeſidium facile invenirent, quo contra veneficii *doloſi* inculpationem ſeſe defendere poſſent, dicendo: ſe abortum aut amorem, non vero mortem alicui intentaſſe, adeoque impunitatis, vel ſaltem levioris poenae ſpes propenſum in atrociſſimi criminis animum ad veneficium doloſum committendum alliceret, nedum ab eo repelleret.

§. VII.

Poena Iuris Germanici.

Germani veteres varias poenas in eos, qui partum abigunt, ſtatuerunt; quarum plerasque tamen iis magis, qui mulieri *cauſſam* abortus dederunt, quam ipſi matri delinquenti, decretas fuiſſe obſervat BOEHMER *b*).

Sequitur diſpoſitio NEMESEOS CAROLINAE, quae *Articulo* 133. ita loquitur:

Straff der jhenen ſo ſchwangern Weibſſbilden kinder abtreiben.

Item ſo jemandt eynem Weibßbildt durch bezwang eſſen oder trincken, eyn lebendig Kindt abtreibt, wer auch Mann oder Weib unfruchtbar macht, ſo ſolch übel fürſetzlicher und boßhafftiger weiß beſchicht, ſoll der Mann mit dem Schwert als eyn Todtſchläger, und die Fraw ſo ſie

b) l. c. §. 6.

ſie es auch an ir ſelbs thette, ertrenk oder ſunſt zu todt geſtrafft werden. So aber eyn Kindt, das noch nit lebendig wer, von eynem Weibßbildt getrieben würd, ſollen die Urtheyler der ſtraff halber bei den Rechtverſtendigen oder ſunſt wie zu endt diſer ordnung gemelt, radts pflegen.

Duplex hic articulus ſiſtit crimen, *partus abacti* et *procuratae ſterilitatis*. De hoc inferius, de illo nunc agendum. Monet Imperator, delictum illud *duplici modo* committi, vel *vi externa* durch bezwang e. gr. fuſte uterum percutiendo, ſe fortiter cingendo et aliis eiusmodi factis; vel *abortivorum* propinatione durch eſſen oder trinken. Hunc modum hic praecipue in ſenſum venire, jam ſupra notatum eſt. Diſtinguit porro legislator in abortu inter partum *vivum* eyn lebendig Kindt, et *nondum vivum* eyn Kindt, das noch nit lebendig wer. Diſtinctio haec originem traxiſſe videtur ab illa inter partum *animatum et non animatum*. de cujus fonte et fatis magni nominis egerunt auctores *c*). Quicquid ſit, recepta

a CA-

c) *Juſt. Henning. Boehmer* in nota 82.) ad c. 9. C. 32. q. 2. Corp. Jur. Can. ſuae edit. *Joh. Sam. Frider. de Boehmer* in *Obſ. I. ad Carpz. P. I. Q. XI. Walch de genuino fonte diſtinctionis inter foetum animatum*

a CAROLO V. diſtinctione inter partum *vivum et non vivum*: JCto nil ſupereſt, quam ut ſana interpretatione legislatoris mentem eruat. Verum enim vero heic magna converſio et perturbatio rerum oritur. Quum enim de termino vitae nil diſerte diſponat CONSTITUTIO CRIMINALIS CAROLINA: quilibet interpres pro ſua fere ingenii fertilitate illum definit, ſimulque de vita rei decidit. *Alii* enim hoc tempus conſtituunt in maſculo poſt diem 40mum, in femina vero 90mo a die conceptionis; *alii* poſt diem 30mum in maſculo, 40mum in femina *d*); *alii* cum THEODORICO *e*) diſtinguunt inter partum *formatum*, ubi de ſexu evidenter conſtat, et *non formatum*, ubi id non conſtat, atque illum pro vivo habent; *alii* porro ſecundum praxin *Saxonicam* et *Auſtriacam* dimidii graviditatis temporis exceſſum pro termino agnoſcunt *f*); rurſus

matum et inanimatum. Cum his auctoribus conferri merentur KALTSCHMID Diſſ. *de diſtinct. inter foetum animat. et non animat. ex medicina forenſi eliminanda Jenae* 1747. LANGGUTH Diſſ. *de foetu ab ipſa conceptione animato. Witt.* 1747. LUDWIG *Medic. forenſ. p.* 85.

d) CARPZOV. *P. I. q. XI. no.* 6.

e) *Coll. Crim. p.* 1047. cf. *Seigneux Syſteme de Jurisprud. Crim. ch.* 32.

f) CARPZ. l. c. *no.* 5. *ſq.* KRESS *ad* C. C. C. *art.* 133. §. 5. Nied. Oeſt. Land-Ordn. *art.* 66. §. 6.

rurſus *alii* cum LEYSERO *g*) ad Phyſicorum et Medicorum argumenta *h*) provocant, quae partum a conceptionis momento vivere probant; ideoque omnes, qui abortum qualemcunque procurant, pro homicidis habent.

Infirmitatem harum opinionum agnovit BOEHMER *i*); unde cum BERGERO *k*), ENGAVIO *l*) et aliis ad *motum in utero* recurrit; et quum de hac re vix aliter, quam ex *confeſſione* matris conſtare poſſit: plerumque *purgatorio* vel *tormentis* opus eſſe arbitratur, ſecundum qualitatem indiciorum, ream gravantium.

§. VIII.

Quaenam ſententia admittenda?

Sed etiam hanc BOEHMERI doctrinam graviſſima premunt dubia; quum flatus, ſpaſmos aliasque cauſſas, eosdem in uteri regione effectus producere poſſe, quotidiana doceat experientia *m*). Quam parum itaque mulierum ea in re confeſſioni credendum ſit, quis non videt? Dato etiam, ſed non conceſſo, motum in utero

g) *Spec.* 597. *med.* 24.
h) cf. citati in nota 26) h. Diſſ.
i) ad CARPZ. l. c. *Obſ.* II. *et ad* C. C. C. *art.* 133. *§.* 3.
k) *Elect. crim. p.* 112.
l) *Elem. Jur. Crim.* L. I. T. XXXII. *§.* 408.
m) *Goelike Med. forenſ. Spec.* IV. §. 9.

ro certum eſſe vitae ſignum; attamen minus probabile eſt, CAROLUM V. tam breve tempus, intra quod foetus ſe movere incipit, pro vitae termino agnoſcere voluiſſe. Siquidem crimen abortus homicidio aequiparet verbis als eyn Todtſchläger. Hoc certe non feciſſet, niſi magnam ſimilitudinem inter haec duo crimina inveniſſet. Haec autem ſimilitudo *maxima* eſt in necato foetu, qui in vivis manere potuiſſet, ſi absque poculo abortus eodem tempore natus fuiſſet; *minima* vero, ſi ea aetate abactus eſt foetus, qua ſeſe movere in utero incipit. Quo propior enim huic termino adhuc eſt foetus: eo minus in lucem editus vitam agere poteſt.

Verius itaque videtur, CAROLUM V. ſub voce lebendig partum, quem vocant *vitalem* intellexiſſe, adeoque partum ſeptimeſtrem demum pro *vitali*, immaturiorem vero partum pro *non-dum vitali* agnoviſſe; quum hic in lucem editus inter vivos nunquam fere maneat *n*) illi autem

nato

n) τὸ *fere* adjeci, quia van *Swieten Comment. ad Boerhaave Aphor. T. IV.* §. 1309. *p.* 512. exemplum affert partus minoris adhuc ſeptimeſtri, qui recens natus non ſuperabat palmae manus magnitudinem, et tamen a patre medico fuit ſervatus. Sed talia exempla nimis rara ſunt, quam ut ad illa reſpicere debeat judex.

nato ſaepiſſime vita ſuperſit *o*). Quapropter nonnulli eruditorum nondum vitalem partum *vivum* modo vocarunt, eumque a *vitali* diſtinxerunt *p*).

Haec ſententia cum mente Imperatoris optime conſpirare videtur, qui verba eyn lebendig Kind paullo ante *q*) conjungit cum verbo gliedmeſſig; quod non *membra diſtincta* ſignificare videtur, quum alias quaeſtio moveri poſſit: utrum oculus *naturalis* requiratur, an *armatus* ad hoc indagandum ſufficiat? uti ipſe obſervat BOEHMER *r*); ſed potius partum, cujus

o) HOFFMANN *Med. Syſt. T. IV. P. III. c.* 9. §. 2. *p.* 621. Georg Albrecht Fried Anfangsgründe der Geburts-Hilfe, Straßburg 1769. 8. 5. B. 1. Kap. §. 557.

Diſtinctionem inter partum *vitalem et non vitalem* admittit, optimis rationibus firmat, et modum eruendi corpus delicti indicat *Carpzov. P. I q. XI. no.* 37. *ſqq.* in crimine infanticidii. Ubi autem de abortu verba facit, veterem de partu *animato et inanimato* cantilenam modulatur l. c. *no.* 2. *ſq.*

p) ESCHENBACH *Medico. legal. Sect. XVII.* §. 124. Cum his non confundenda eſt vulgaris illa diviſio partus in *maturum* (zeitige Geburt), quae in fine menſis noni editus eſt, *et immaturum* (unzeitige Geburt), qui ante hoc tempus naſcitur. v. Fried l. c. 3 B. 1. Kap. §. 156. *ſq. p.* 55.

q) C. C. C. *art.* 131.

r) *ad* C. C. C. *art.* 133. §. 3.

jus artus in ea proportione ſunt, ut inter vivos manere queat. Huic interpretationi et illud favet, quod in *C. C. C. art.* 133. ubi verbum **lebendig** nude occurrit, eadem poena, ſcilicet aquae, feminam maneat, quae huic dictatur in *art.* 131. in quo verbum **lebendig** verbo **gliedmeſſig** jungitur *s*).

§. IX.

Poena ordinaria C. C. C.

Qui ex propoſito abortum procurant, poena ordinaria afficiuntur. Diſtinguendum hic inter *virum* et *mulierem.* Illi porrigenti, tanquam homicidae, gladius; huic, vel porrigenti vel ſcienter deglutienti, indiſtincte *aqua* dictatur, cum additamento **oder ſunſt zum Tode.**

Ex his ſequitur, affirmandam eſſe quaeſtionem: *Num pater ſub verbis* **ſo jemandt** et **ſoll der Mann** *comprehendatur?* Verba enim illa generalia ſunt, et non diſtinguente lege, JCti non eſt diſtinguere, nec diſertis legum verbis duriorem eſſe *t*). Conſentit BOEHMER *u*) *analogiae*

s) Cum hac tamen differentia, quod in *art.* 133. poena aquae ſimpliciter dictetur; in *art.* 131. autem cum additamento: **Wo aber ſolche übel offt geſchehen, wöllen wir die gemelten gewohnheyt des vergrabens nun pfälens, umb mher forcht willen -- auch zulaſſen.**

t) C. C. C. *art.* 104. L. *penult. ff. de poenis.*

u) *ad* C. C. C. *art.* 133. §. 8.

logiae tamen *juris* propius accedere fatetur illorum ſententiam, qui patrem non *minori* poena, quam matrem, dignum eſſe exiſtimant. Affirmative etiam reſpondendum eſt quaeſtioni: *Utrum in tertio abigente ſexus circa poenam habeatur ratio?* Quum ſuffocationem in aqua, tanquam poenam feminis *in genere* propriam dictaverit CAROLUS in *art.* 133. Hoc probat verbum auch, ut recte obſervat KOCH *x*), cum quo conſpirant CONST. CRIM. BAMBERGENSIS *y*) et BRANDENBURGICA *z*), ubi: tett es aber eyn Weybsbild an ihr ſelbſt, oder eyner andern, die ſoll ꝛc. „Quicquid ſit " inquit BOEHMER *a*) „ diſpoſitio paullo *durior* „ et ob praevalentem *hodie* in infanticidio, loco ſuffocationis poenam gladii, fere otioſa eſt. "

Quod ad illos attinet, qui feminae abortum *perſuaſerunt*, eos, ſi illecebrae *repetitae* fuerint, ut colligi poſſit, ſine his illam facinus auſuram non fuiſſe; capite damnandos eſſe, cum BERLICHIO *b*) ſtatuit BOEHMER *c*). Alias complices ne

x) *Inſt. Jur. Crim.* §. 482.
y) *art.* 158.
z) *art.* 160.
a) l. c. §. 9.
b) P. III. *concluſ.* VII.
c) l. c.

arbitrarie, pro ratione adjutorii coërceri aſſerit KRESS *d*). Quo fundamento ENGAU *e*) in puniendis hujus delicti ſociis ad cognationem inter eos et foetum abactum intercedentem reſpicere praecipiat, ignoro; quum ne quidem in ordinaria poena conjunctionis rationem habeat Imperator. Solam aequitatem eum ad hanc diſtinctionem impuliſſe ſuſpicor.

A diſerta C. C. C. voluntate abit praxis hodierna, quae absque ſexus differentia et porrigentem et accipientem *ferro* ultore perſequitur. *f*).

§. X.

Quando poena mitigatur?

Finalia legis noſtrae verba de *mitigatione poenae* agunt, et arbitrariam poenam dictant quoties partus *nondum vitalis* abigitur; de quo ex Medicorum conſiliis conſtare debet.

Dentur et alii caſus, in quibus et Romanorum leges et C. C. C. non quidem diſertis verbis, ſed ex illorum rationibus poenam minuere permittunt. Talis eſt, ſi *mera culpa*, nullo intermixto nocendi propoſito peccatum fuerit; e. g. quando quis abortiva ſanandi ſcopo im-

pru-

d) *ad* C. C. C. *art.* 133. *§.* 6.
e) *Elem. Jur. Crim.* L. *I. T.* 32. *§.* 412.
f) *Kreſs* l. c. §. 5.

prudenter propinavit *g*), aut Medicus perſonis ſuſpectis talia petentibus incaute dedit aut formulis praeſcripſit. Statuta tamen *Argentoratenſia* hoc in caſu quandoque ob graviora momenta, quae factum circumſtant, usque ad poenam mortis procedi jubent *h*).

Veniam quoque meretur, quae parentum perſuaſionibus inducta hauſit abortiva; modo minorennis ſit, alias illam gladii poenam non evitare ſtatuit BERLICH *i*). Conſpirat FROELICH, *k*). hancque ſententiam jure *Auſtriaco l*) receptam eſſe monet. Ceſſat quoque poena ordinaria, ſi non foetus, ſed *mola* clam abacta fuerit *m*). Quum denique morbo aeque ac malis artibus foetus exſtirpari queat, adeoque de *vi* abortivorum, ceu cauſſae abortus certo conſtare debeat: poena ordinaria ceſſat, quoties medici de ea re dubitant. Quod, quia ſaepe fit, atque ita de *corpore delicti* plerumque non ſatis conſtat: in crimine abacti partus hodie vix ultra poenam ergaſtuli quatuor per annos ſuſtinendam procedi, adnotat PÜTTMANN *n*).

O 2 §. XI.

g) MOLLER *ad Conſt. Elect. IV.* 4.
h) Bey Leibs- und Lebens-Straffe. v. der *Medicorum* Ordnung § 23. in Strasburgiſchem *Collegio Medico* 1757. *p.* 19.
i) *P. IV. Concluſ.* 8.
k) *ad* CCC. *L. II. T.* 13. *No.* 6.
l) Nied. Oeſtr. L. O. *art.* 66. §. 13.
m) *Froelich ad* CCC. *l. c. No.* 5.
n) *Elem. Jur. Crim. L. I. c.* 21. *§.* 351.

§. XI.

Quando poena exaſperatur?

Quemadmodum poena quandoque mitigatur, ita ob momenta atrociora, veluti criminis *iterationem*, turpiſſimum *lucrum* (§. 6.) coniunctum, *internecionem gravidae* et ſimilia, exaſperatio poenae locum habere poteſt *o)*.

§. XII.

De ſatisfactione privata.

Supereſt, ut de eo quod privatorum intereſt aliquid adjiciam *p)*. Scilicet, eum, cui ſpes fundata commodumque moraliter certum per foetus abactionem eripitur, indemnem praeſtare, et leges poſitivae et naturalis aequitas ſuadent. *q)*.

CAPUT. II.

De Poculo ſterilitatis.

§. XIII.

An talia dentur?

Proxime ſequuntur, qui *pocula ſterilitatis* feminis,

o) *Engau Elem. Jur. crim.* L. I. T. 32. §. 411. BOEHMER *ad* C. C. C. *art.* 133. §. 11.

p) De hoc quaedam in Diſſ. *de Venef. doloſ.* §. *ult.* praeoccupavi.

q) *Kreſs. ad* C. C. C. *art.* 133. §. *ult.*

feminis, aut viris impotentiam medicamentis conciliare dicuntur. Quum autem talia remedia dari praefracte negent HOFFMANN *r*), ESCHENBACH *s*) aliique; et, ſi ejusmodi darentur, de *corpore delicti* non ſatis conſtare poſſet, quoniam probari nequit, hominem, poculo non hauſto, ad ſobolem procreandam aptiorem fuiſſe; medicamenti datio, quod pro tali habetur, vix inter delicta referri meretur.

§. XIV.

Diſpoſitio C. C. C.

CONSTITUTIO *C. C. C. art.* 133. procuratam ſterilitatem crimini abortus exaequat verbis: wer auch Mann oder Weib unfruchtbar macht etc. Sanctionem hanc principiis primis jurisprudentiae criminalis manifeſte contrariam eſſe, adnotat BOEHMER *t*). Quod autem cum BERLICHIO *u*), KRESSIO *x*) aliisque poenam *arbitrariam* concedat, de prava intentione intelligendum eſſe autumo, quam impunem relinquere, quia tale factum mali exempli res eſt, conſultum non foret.

r) Diſſ. *De laeſionib. ext. abortiv. venen. ac philtr. Obſ.* 13.
s) *Medic. legal Sect. XV.* §. 119.
t) *Obſ. IX. ad Carpz. Q. XI.*
u) *P. IV. Concluſ.* 8. *No.* 58.
x) *ad* C. C. C. *art.* 133. §. 4.

Num vero diſpoſitio C. C. C. plane inutilis eſt? Minime gentium; recte enim BEYER *y)* caſtrationem cum hoc crimine coincidere et ab omnibus fere gentibus graviter vindicari teſtatur. Hanc ſententiam confirmant verba *art.* 133. durch Bezwang, generalia et de omni medio violento, quo ſterilitas procurari poteſt, intelligenda. Me tamen in eo haud conſentientem habet idem auctor, quod *ultimo ſupplicio* locum non faciat; Nam *vel* caſtrationis crimen cum crimine ſterilitatis procuratae coincidit, *vel* ab eo differt. Dum prius aſſumit BEYER; absque regularum ſanae interpretationis offenſa, poenam crimini ſterilitatis dictatam, quae illa mortis eſt, tanquam conſequens declinare nequit; praeſertim, ſi invito virilia exſecantur. Immo, et tacente C. C. C. jus Romanum *poenam Legis Corneliae* dictat ei, qui etiam volenti virilia exſecaverit z).

Excipi tamen debet ille, qui juſſu principis maſculum caſtravit *a*). Si modo hodienum adhuc principes dentur, qui effeminatas voces humanae felicitati praeferre cupiunt; poſtquam

y) *h. art. ad* C. C. C.

z) L. 4. §. 2 *ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef.* Illi, qui thlibias faciunt in eadem cauſſa ſunt cum iis, qui caſtrant. *L.* 5. *eod.*

a) *Engau. Elem. Jur. Crim. L. I. T. 33. §* 415.

quam φιλάνθρωπος CLEMENS XIV. Summus Pontifex ſapienti conſilio ſpadones fieri prohibuerat.

CAPUT III.

De philtro, poculo odii etc.

§. XV.

Philtrum.

De *Philtri propinatione* quaedam in priori Diſſertatione *de veneficio doloſo* jam praeoccupavi *b*). Nunc eius naturam et indolem paullo accuratius rimabor.

Philtri propinatio eſt delictum, quo quis medicamento, quod *philtrum* vocant, alteri invito amorem excitare ſtudet, malo eventu ſecuto.

Ex hac definitione ſequentia fluunt: I. Philtri propinatio eſt delictum. II. Dolo vel culpa committitur. III. Conficitur philtro. IV. Effectus philtri requiritur.

§. XVI.

Eſt delictum.

Philtri propinationem *delictum* eſſe, non modo ipſius facinoris natura, ſed etiam leges poenales

b) §. 11.

nales docent, ad illud coercendum latae *c*). Quum delicti hujus indoles ab illa philtrorum pendeat; de ea in ſequentibus demum, quando de his ſermo erit, dicturus ſum.

§. XVII.

Dolo vel culpa committitur.

Quandoquidem non ſolum *dolo*, ſed et *culpa* admittatur hoc delictum: conſequens eſt, vel *meram* culpam, a qua omnis dolus abſit, poenam licet leviorem, mereri. Unde miror, BOEHMERUM *d*) Areopagi iudices excuſaſſe, qui mulierem, quae amatorium poculum marito dediſſe fertur, quo is perierat, penitus abſolverunt, adeoque veneficiis refugium quodam modo aperuerunt. Quod ad *dolum* attinet, eum a ſe declinare nequit vir, qui probare vult, ſe mulierem, cui poculum amatorium dedit, in uxorem ducendi propoſitum habuiſſe; aut vice verſa mulier, quae probare vult, ſe animum nubendi habuiſſe viro, cui philtrum propinavit; quum ille, qui inſcium ac invitum violento remedio in ſui amorem rapere ſtudet, animo nocendi haud vacet.

§. XVIII.

Conficitur philtro.

Philtrum ſ. Poculum amatorium, φίλτρον *e*); Phil-

c) *L.* 38. *§.* 5. *ff. de poen.*
d) *Obſ. III. ad Carpz. Q. XXI.*
e) a φιλεῖν *amare.*

Philtre, Liebestranck in *ſenſu ſtricto* vocatur: remedium, quod ei, cui datur, amorem erga certum alterius ſexus hominem excitare poteſt. *f*).

Philtra dari et veteres *g*) et quidam recentiores *h*) crediderunt, eorumque effectum, modo magiae, modo conſuetis naturae viribus adſcripſerunt. Ad corpora, quibus veteres potiſſimum has virtutes adſcripſerunt, ſpectant *Hippomanes i*), ἴυγξ (*torquilla*) *k*) *ſtel-*

O 5 *lio*

f) *Eſchenbach Med. leg. Sect. III.* §. 24. STENZEL et WOLF Diſſ. *de Philtris rite examinandis Vitembergae* 1726. §. 2. et 8.

g) De Aegyptiacis v. HELIODORUS. *Lib.* 3. *Aethiop.* De Babilonicis v. HERODOTVS *Lib.* I. *Hiſt.* De Theſſalicis v. *Juven. Sat.* *VI.* *v.* 609.

Hic magicos affert cantus, hic Theſſala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

cf. HORAT. *L. I. od.* 27. OVID *L. III. Eleg* 7. *Amor.* Plura de philtris apud graecos praecipue exhibet Potter Griechiſche Archäologie, aus dem Engl. überſ. von Rambach. Halle. 1776. *III. T. VIII. L. IV. c.* 10 *T.* 11 *p.* 545 *ſqq.*

h) cf. *Quercetanus Diaetet Polihiſt. Sect. I. c.* 5.

i) Excreſcentia carnoſa in fronte equi naſcentis, quam equa ſtatim poſt partum devorat. ARISTOT. *Hiſt. Anim L. VI. c.* 17. cf. BAYLE Diſſ. *ſur l'Hippomanes* in calce *Diction.*

k) avicella. SVIDAS h. v. PINDAR *Pythionic. od.* 4. *v.* 384.

lio l), *anguium oſſa m*), *veſpertilionis ſanguis n*), *ſtergethron o*) *mandragora p*) et ſexcenta alia.

Haec tamen omnia ceu aniles fabulas multi derident, quibus facem praefert OVIDIUS *q*), qui ſic canit:

Fallitur, Aemonias ſi quis decurrit ad artes;
Datque, quod a teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbae;
Miſtaque cum magicis merſa venena ſonis.
Phaſias Aeſonidem, Circe tenuiſſet Ulyſſem;
Si modo ſervari carmine poſſit amor.

Hujus poëtae veſtigia preſſerunt fere omnes medici, e quibus HOFMANNUM *r*), HEBENSTREITIUM *s*), et ESCHENBACHIUM *t*) nominaſſe ſufficiat. Quum itaque ex horum ſententia ſequeretur, nullum omnino *corpus delicti* in philtri porrectione adeſſe poſſe, de cujus tamen exiſtentia, tanquam de quaeſtione praejudicali ju-

l) lacertae ſpecies PLIN. *H. N. L. XXX. c.* 10 *S.* 49. *Ed. Hard.*
m) *Propert. L. III. Eleg.* 5.
n) PLIN. l. c.
o) Planta. *Idem L. XXV. c.* 13. *S.* 102. *E. H.*
p) Planta. *Levinus Lemnius c.* 2. *Explic. herb. bibl.*
q) *de Arte amandi L. II v.* 99.
r) Diſſ. *de laeſ. ext. abort. ven. ac philtr Obſ. XVI.*
s) *Anthropol. forenſ. S. II. m.* 2 *c.* 2 § *art.* 5. 17.
t) *Med. leg. S. III.* §. 25.

judex ante omnia certus eſſe debet; factum illud e foro criminali ſtatim eliminandum eſſet. Verum enim vero verbis ludere, qui philtra dari negant, re ipſa non diſſentire ab eis, qui talia dari ſtatuunt, bene obſervat BOEHMER *u*), quum omnes fere in eo conſentiant, quod plura corpora, pro philtris dari ſolita, licet amorem erga *certam perſonam* conciliare non valeant; phantaſiam tamen obnubilare, amores igneos et furorem *x*) excitare, immo ipſam mortem *y*) haud raro afferre poſſint ac ſoleant *z*). Hoc affirmat jam OVIDIVS *a*)

Nec

u) *Obſ. III. ad Carpz. P. I. Q. XXI.*

x) *Caligula* amatorio a Caeſonia uxore in furorem actus fertur. *Sueton. in eius vita c.* 50. *Juven. Sat. VI. v.* 613. Quam infinita mala ex furore oriri poſſunt, experientia docet. Exemplum praebet inter alia Theologus quidam, qui teſte *Petr. Borello Hiſt. Med. Cent. I Ob.* 65. hauſto philtro tanto furore correptus fuit, ut proprium occideret patrem.

y) *Lucullum* Imperatorem clariſſimum amatorio periiſſe tradit PLINIVS *H. N. L. XXV. c* 3. *S.* 7 *Ed. Hard.*

z) Eiusmodi philtra *venenata* vocat *Stenzel* Diſſ. cit. § 9. et 13. Pleraque eorum ad venena narcotica pertinent. Eiusdem farinae ſunt, multa ex *aphrodiſiacis* ſive iſtis corporibus, quae ad venerem languentem reſuſcitandam commendantur, quaeque exinde etiam *philtra* quandoque dicuntur C *f.* *Chriſt. Vateri Phyſiol. Experiment. Append* C. I. Q. 4 *p. m.* 843.

a) *de Art. am. L. II. v.* 105.

Nec data, canit, *profuerint pallentia Philtra Puellis;*
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.

Idem fatentur modo citati HOFFMANN *b*), HEBENSTREIT *c*) et ESCHENBACH *d*).

Concedi itaque poteſt iis, qui philtra dari negant, talia in *ſenſu ſtricto* forſan dari nulla; attamen dubitari nequit, philtra dari in *ſenſu lato*, quo in ſenſu omnia medicamenta nociva pro philtris ſtricte ſic dictis propinata, ſub *Philtri* nomine veniunt.

§. XIX.

Effectus Philtri requiritur.

Effectum denique *requiri*, dubium non eſt; quum alias de *corpore delicti* haud conſtaret. Hinc ad delicti probationem non ſufficit amatori-

b) Diſſ. *de laeſ. ext. Obſ. cit. Medic. Conſult. P. I. Dec. III. Caſ.* 8. *et Med. Syſt. T II. P. II. c.* 2 §. 10. *p.* 178. ubi tradit, amorem inſanum per philtra ex certis materiis parata in aliis excitari poſſe. „*Neque enim*, adiicit, „*ex toto inſuper habendae ſunt illae obſerva*„*tiones, quae de philtrorum noxa nos certio*„*res reddant.*" Immo ipſe, ſibi non conſtans vera philtra dari, aliquo modo concedere hoc loco videtur. cf. *Ejusd.* Diſſ. *de Saliv. et eius morb. p* II.

c) l. c.

d) l. c.

rium propinatum eſſe, ſed vel mortem, furorem, inſaniam, amorem invitum, vel aliam ſanitatis laeſionem ſecutam eſſe oportet. Ex laeſionis genere ac gradu conſtat, an ordinaria, an vero extraordinaria poena locum habeat (§. 21. *ſqq.*). Ut autem judex certo ſciat, an effectus ſecutus dato philtro tribuendus ſit; etiam in hoc delicto Medicorum reſponſis quam maxime indiget.

§. XX.

Poena Juris Romani.

Qui philtrum dant, eadem poena plectuntur, quae iis imminet, qui poculum abortus propinant *e*) Scilicet, ſi nemo ex amatorio perierit: *humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur.* Ut autem ordinaria haec poena locum habeat, non quamvis leviorem ac tranſitoriam laeſionem ſufficere, exiſtimo; ſed graviorem atque ſtabilem quodammodo, furorem e. gr. inſaniam et ſimilia requiri ſentio; partim, quia eiusmodi effectus Romanorum tempore philtris in genere tribuebantur (§. 8.); partim, quod dicta poena adeo gravis ſit, ut parum diſtet ab illa *Veneficii doloſi* *f*).

Quod-

e) L. 38. § 5 *ff. de poen.* cf. § 6. h. Diſſ. et Diſſ. de *Venef. dol.* § 11.

f) v. Diſſ. mea *de Venef. dol.* §. 31. cf. *Frid. Eſai. Puffendorfii de Culpa* Comment. *Lemgoviae* 1741. 8 *P. VIII. c.* 2 §. 8 *et* 23.

Quodſi homo perierit philtro: *ultimum ſupplicium* locum habet *g*). Sub *ultimo* autem *ſupplicio*, cuius mentionem facit citata *L.* 38. §. 5. *ff. de poen.* non inſtincte mortem naturalem, ſed *poenam Legis Corneliae de Sic. et Venef.* intelligendam eſſe videtur, quae altiores ad *deportationem*, eos, qui in ſecundo gradu ſunt, ad *gladium*; viliſſimae autem conditionis homines ad *beſtias* damnat *h*). Sententiam hanc duobus praecipue argumentis firmabo.

I. Non probabile eſt, leges Romanas philtri porrectionem, tanquam veneficium *culpoſum* (*Praem.*) majori poena afficere voluiſſe, ac ipſum veneficium *doloſum*; quod tamen accideret, ſi perſonarum altiori loco poſitarum non haberetur ratio.

II. Cum hac interpretatione egregie concordat *L.* 3. §. 2. *ff. ad L. Corn. de S. et V.* in qua dicitur, amatorium, *quod hominis necandi cauſſam i) habet*, i. e.

i. e.

g) L. 38. *cit.*

h) *L.* 3 §. 5. *ff. ad* L. *Corn. de S. et V.* cf. Diſt. cit. l. c.

i) Sic enim legendum eſſe putat cum *vulgata*. *Codex. Florent.* habet *cauſſa*. Sed minus recte, ut mihi videtur, quum ſenſus contortus reddatur.

i. e. quod *venenum in ſenſu ſtricto* eſt, in Lege Cornelia *notari*. Haec autem verba cum verbis finalibus *L.* 38. *§.* 5. *ff. de poen.* collata, nullum alium ſenſum admittere videntur, quam hunc: „ qui venena (*in ſenſu ſtricto*) pro amatoriis „ propinant, iisque hominem interficiunt: „ poena Legis Corneliae plectendi ſunt. "

Quod ad philtra *magica* in ſpecie attinet, de iis loqui videtur Imp. CONSTANTINUS in *L.* 4. *C. de malef. et math.* ubi ſeveriſſimas poenas hujus legis infractoribus infligi jubet.

§. XXI.

Poena Juris Carolini.

De philtri propinatione nil diſerte diſponit C. C C. BOEHMERUS in *Meditationibus*, quas in illam ſcripſit *k*) gladium cum LEYSERO *l*) dictat ei, qui aliquem amatorio interemit ob *intercedentem*, ut ait *infimum doli gradum m*) Nec LEYSERVS ultimum ſupplicium remittit; quamvis homo poſt aliquot demum annos ex iſto veneno perierit; quod in PETRO LOTICHIO *Secundo* accidiſſe adnotat. BOEHMERI atque LEYSERI ſententia ex jure Romano defendi

k) *ad* C. C. C. *art.* 130. § *ult.*
l) *Med. ad ff.* Sp. 609. *m.* *ſq.*
m) BOEHMERVS ſub *dolo* animum nocendi intelligit.

defendi poteſt *n*); quod toties obtinet, quoties C. C. C. tacet.

In alia omnia abeunt THEODORICUS *o*), CARPZOV *p*) atque KRESS *q*), qui morte licet ſecuta, ultimum ſupplicium exulare ſtatuunt, parum firmis, ut ipſe KRESSIUS fatetur, argumentis ſuffulti.

Quodſi mors ſecuta non fuerit, proximam a gladio poenam recte dictat LEYSER *r*). Cur autem hic auctor damnum irreparabile requirat, non video, quum graviorem laeſionem ſufficere ex prioribus fluat.

Quicquid ſit, hodie in praxi arbitrariam tantum mortis poenam obtinere, teſtatur PÜTTMANN *s*).

§. XXII.

Quando Poena mitigatur?

Quemadmodum in aliis delictis rationes adeſſe poſſunt, quae judicem ad mitigandam vel aggravan-

n) L. 38. §. 5. *ff. de poenis.* Licet poena *gladii* LL. Romanis non ex aſſe conveniat (v. § *praeced.*) Moribus tamen hodiernis adaequata eſt, qui perſonarum diſcrimen in poenis infligendis utplurimum ſuſtulerunt.

o) *Colleg. Crim. Diſp.* 7 *Th.* 7. *Lit. A.*

p) *P. I. q. XXI. no.* 14. *ſqq.*

q) *ad* C. C. C. *art.* 130 *§* 3.

r) *Spec. cit. m.* 25.

s) *El. Jur. Crim. L. I. c.* 22. §. 364.

gravandam poenam movere poſſunt; ita et in his facinoribus quandoque accidit. Sic indulgentiam meretur, tum, qui ob vehementiam amoris, ſummo melancholiae gradu laborat *t*); tum, qui poenitentia ductus tempeſtive, quod fecit, indicaverit, ut auxilium aegroto ferri poſſit *u*); tum etiam conjux, qui conjugi, ad incitandum conjugalem amorem philtrum propinaverit *x*); tum denique, qui laeſionem levioris momenti intulerit.

§. XXIII.

Quando poena exaſperatur?

Aggravatur crimen, ſi reus, infelici ſucceſſu ſecuto, miſere decumbenti non ſubvenerit, rem geſtam enunciando; vel auxilii ferendi occaſionem doloſe praeciderit; ſi philtrum adulterii committendi cauſſa datum fuerit; ſi vilis abjectaeque conditionis homo principis vel alius in majori dignitatis gradu collocati filiae tale remedium praebuerit; ſiquis denique philtrorum prae-

t) *Carpz.* P. *III. q* CXLV. *No.* 53 ZACHIAS *Quaeſt. Med. Legal* L. *II. T. I. q.* 10 *No.* 48 *ſqq.* Amoris effectum pulchre depingit PLAVTVS in *Poen. act. IV Sc.* 2.

u) *Theodoric. Colleg. Crim.* DIO *Th.* 4 *lit.* Q.

x) *Carpz. P. I. q* XXI. *no.* 23.

P

praeparationem ad publicam artem retulerit *y*), et hujus generis alia *z*).

§. XXIV.

Poculum odii et furoris. Philtra enthuſiaſtica.

Quae hucusque de poculo amatorio dicta ſunt, fere omnia quoque locum habent in *poculo odii* ſive tali pharmaco, quod amoris extinguendi atque odii excitandi cauſſa datur; absque diſcrimine, ſive quae pro talibus dantur, revera his vitutibus gaudeant, ſive alio modo noceant. Illorum mentionem faciunt PLINIVS *a*) ORIGENES *b*), QVINCTILIANVS *c*) aliique auctores.

Idem dicendum eſt de *furoris* et *dementiae poculis* qualia dari experientia teſtatur *d*). Hujusmodi medicamentum ideo datum, ne maritus uxorem adulterii poſſet accuſare, memorant *Leges Wiſigothicae e*). Talis poculi propinationem inter cauſſas exheredationum refert JVSTINIANVS *f*). Imp. LEO *g*) maritum, qui uxorem in furorem egit, ut divortium obtineret, at-

y) *Kress ad CCC. art* 130 *ſ*. 3.
z) *Stenzel* Diſſ. cit. § 16 *et* 18.
a) *H. N.* L XXVIII. c. 8 *S*. 27 *f*. *Ed*, *Hard*, 27.
b) *contra Celſum* L VII.
c) *Declam*. 15 *et ſq*.
d) *Zacchiae* l. c. *q*. 17.
e) *Lib*. *III*. *T*. 4 L 13.
f) *Nov*. 115. c. 4 *ſ*. 5.
g) *Nov*, *L* III.

attondere et monaſterio incluſum nequitiae ſuae poenas luere juſſit.

Huc quoque referenda ſunt *Philtra* quae vocant *Enthuſiaſtica*, quibus fanatici homines quandoque non mutuum tantum inter ſe et inter alios, qui non ad illorum claſſem pertinent, amorem conciliare, ſed et Enthuſiasmum in ſe et aliis excitare, dicuntur *h*). Horum naturam, compoſitionem, modum quó agunt, atque diverſas circa illa eruditorum opiniones fuſe pertractat STENZEL *i*), atque ea venenorum inſtar agere, oſtendit.

Varia haec pocula in eo tantum ab amatoriis differunt, quod maior plerumque illis doli gradus adſit, adeoque minorem indulgentiam mereantur.

CAPUT IV.

De porrectione cibi et potus corrupti.

§. XXV.

Cibus et potus per ſe *corruptus.*

Committuntur quotidie facta nociva; quibus

h) Ex ſimilibus medicamentis unguenta et alia remedia parata fuiſſe videntur, quibus ſagae utebantur: atque hoc modo caput obnubilando ſibi perſuadebant, ſe per caminum iter feciſſe, conventum in monte *Bructerorum* Blocksberg egiſſe, atque ſimilia fata habuiſſe. Ex variis ejusmodi pharmacis unicum *ſemen Hyoſciami* nominaſſe ſufficiat.

i) Diſſ. cit. §. 11.

bus magiſtratui quam maxime invigilandum eſt, ne quid reſpublica exinde detrimenti capiat; quaeque in omni bene conſtituta civitate vel ſtatutis prohibita ſunt, vel data occaſione legibus poenalibus interdicuntur. Si prius obtinet, eos, qui talia facta admittunt, delinquere, dubium non eſt; ſi poſterius, proprie quidem non delinquunt; peccant tamen contra regulam generalem, quae cuique civi prohibet vel dolo vel culpa alterius ſanitatem laedere. Quodſi eiusmodi facta *venenis* in ſenſu *ſtricto* vel *lato* ſumtis committantur: quid impedit, quo minus ea ad *Veneficium culpoſum* vel proprie vel improprie ſic dictum referam?

Inter eos, qui tale veneficium culpoſum et quidem immediate commmittunt, refero primo illos, qui cibum aut potum vetuſtate, vitio interno aut ſimili modo corruptum propinant *k*); dummodo ſanitatis laeſio exinde ſecuta ſit et propinantis culpa adfuerit e. gr. ſi lucrum fuerit cauſſa impulſiva.

§. XXVI.

Cibus et potus per vaſa corruptus.

Altero loco huc refero famulos, qui cupri qua-

k) *Hebenſtreit Anthropol. for. S. I c.* 2 § 22 *Leyſer Spec.* 609 *m.* 28. exemplum affert oeconomi, cuius fraude et improbitat a. 1677 duodecim convictores in academia Lipſienſi interierunt, quemque gladio dignum cenſet.

qualitatem norunt, et nihilominus vaſa ex hoc metallo conflata adeo imprudenter ac negligenter tractant, ut illorum venenum, viride aeris puta, ſeſe alimentis immiſceat; quum integrarum familiarum vitam et ſanitatem eo periclitari experientia docuerit *l*).

Severius animadvertendum eſt in caupones, pharmacopolas, diſtillatores *m*) piſtores et ſimiles, qui debitam his rebus diligentiam non adhibuerunt; praecipue, ſi ſtatuta loci vaſorum cupreo-

l) *Hoffmann* in Diſſ. *de caut. et circumſp. venen. dat. accuſ.* § 5 Recentem caſum narrat BVCHHOZ *la nature conſid. ſous ſes différens aſpects II. Ep. no.* 4 *d.* 29. *Fevr.* 1780 *p.* 176 Plura eiusmodi exempla collegit quoque *Hueber* Diſſ. *de aenea culinaria ſuppellectili Argent.* 1766 § 3. eo magis mirandum, quod *Zimmermann* Erfahrung *T. II p.* 282 refert: *Ellerum* Academiae Berolin. oſtendiſſe, vaſa cuprea non tam nociva eſſe, quam vulgo creditur. cf. *Mém. de Berlin a* 1754 *p.* 3 *ſqq.* Tales autem conatus damnat SPIELMANN *Inſt. Mat. Med.* § 41 v. *Cuprum.*

m) Spiritum vini, quo utimur quotidie, cupro ſaepe inquinatum eſſe, et inde varios morbos produci, quorum cauſſa ignoratur, experimentis clare demonſtrat *Plouquet* (Wilh. Gottf.) Warnung an das Publicum für einem in manchen Brantewein enthaltenen Gift ſamt den Mitteln es zu entdecken und auszuſcheiden. Tübingen 1780. 8.

cupreorum uſum vel plane proſcripſerunt, vel in quibusdam tantum permiſerunt, vel ſaltem ſtanno illa voluerunt eſſe obducta. Hoc ultimum *Argentorati n*), *Nanceji o*), aliisque locis obtinet. Talia ſtatuta, ſi non modo feruntur, ſed frequentiori examine et quidem improviſe inſtituto obſervantur, ſanitatem ſatis tueri valent; dummodo perſonae huic examini aſſiſtant, in quos non cadit avaritiae ſuſpicio.

Quod de vaſis cupreis dictum eſt, et de aurichalco valet; nec vulgare illud praejudicium tolerandum eſt, quod, proh dolor! multis inhaeret hominibus, aurichalcum, ſimilesque metallorum compoſitiones, quae ſub nominibus ehern (*bronze*) Tombak aliisque veniunt, innocuas eſſe; ſiquidem cuprum harum omnium baſin

n) Apothecker Ordnung §. 37. Die Waſſerbrenner u. ſ. w. in Strasb. *Collegio medico* 1757. *p.* 34 Verordnung eines Löbl. Policey Gerichts. *d. a.* 1763. 28. *Novembr.* et Extract aus E. Löb. Policey-Gericht memoriali *d. a.* 1764 den 2 April contra H - und L-- bede Paſtetenbeck und Bürgere; quibus vaſa quaedam cuprea confiſcata ſunt et multa impoſita eſt. cf. quoque Obrigkeitl. Verordnung den Kauf und Verkauf des Gifts betreffend *d. a* 1769 *art* 18.

o) BUC'HOZ l. c. *T. I. no.* 1 *d.* 1 *Janv.* 1780 *p.* 27.

baſin conſtituere, notum ſit *p)* licet merum cuprum citius viride aeris producat, quam hae compoſitiones *q)*

CAPUT V.

De Medicamentis nocivis.

§. XXVII.

M. n. ab iis data, qui Medicinam profitentur.

Veneficium culpoſum porro immediate com-

P 4 mit-

p) Multum quoque invigilandum eſt argenteae ſuppellectili, quippe quae ubique fere cupri ſocietatem habeat; tum etiam ſtanneae, cui ſaepe plumbum admiſceri ſolet, quod in acidis, alcalinis et oleoſis ſolutum ad *venena lenta* pertinet. v. Diſſ. noſt. *de Venef. dol.* §. 4. et 6. cf. *Hoffmann* Diſſ. cit. §. 8. *Spielmann Inſt. Chem.* §. 67. *Recherches chimiques ſur l'étain faite et publiées par ordre du gouvernement. p. MM. Bayen et Charlard. Paris* 1781. 8 *p.* 209. 254 *et* 270. Haec ſtanni mixtio etiam in cauſſa eſt, cur non indiſtincte vaſis aeneis ſtanno obductis confidere liceat. Ne dicam, quod fabri aerarii ſaepe cuprum vel plumbum ſtanno addant; ſi metallicam ſuperficiem inducunt. G. A. Hofmann Unterricht in der Chimie, Metallurgie, Oekonomie ꝛc. Gotha 1774. 8. §. 310. *p.* 179.

q) *Hueber* Diſſ. cit. § 11.

mittunt, qui medicamenta nociva, licet ad bonum finem obtinendum dant. De his *in genere* juſto ſeverius ſtatuit jus Romanum antiquius, uti ex PAULO *r)* conſtat; en eius verba: *Si ex medicamine, quod ad ſalutem hominis vel ad remedium datum erat, homo perierit, is, qui dederit, ſi honeſtior fuerit, in inſulam deportatur; humilior autem capite punitur.* Haec autem ſententia in *Corpus Juris Juſtinianaeum* recepta non eſt.

Delictum hoc *ſpeciatim* vel ab iis committitur, qui artem medicam *non profitentur*; vel ab iis, qui *illam profitentur.* Priori loco de *illis* nobis ſermo erit. Huc pertinent, qui poculum ad conceptionem dederunt, ex quo laeſio ſecuta eſt. De his ita diſpoſuit *L.* 3. *§.* 2. *ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef. Sed ex SCto relegari juſſa eſt ea, quae non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quae acceperat, deceſſerit.* Ubi ſub *malo exemplo* refugium, quod veneficio *doloſo* aperitur, uti in *L.* 38. *§.* 5. *de poenis* intelligendum eſſe autumo (§. 6.).

Sequuntur nutrices atque famulae audaces, quae, ſuo indulgentes genio infantibus opiata *s)* doſi magna, inſcientibus parentibus in os illinunt,

r) *Recept. Sent. E. V. T. XXIII. §. ult.*

s) Olim in noſtra civitate quaelibet fere nutrix, quaelibet infantium cuſtos opiata ſecum ge-

nunc, ne illorum quiritatu in ſomnis, negotiis aut amoribus turbentur. Quo facto, infantes ocyus ſerius graviſſimis ſaepe corripiuntur morbis, quos pallida mors haud raro ſequitur *t*). Eo periculoſius hoc delictum eſſe videtur, quod fere nunquam detegatur.

Huius delicti reo, ſi craſſa negligentia concurrit, poenam citatae *L.* 3. *§.* 2. *ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef.* dictari poſſe non invitus concederem. Huic ſententiae favet NEMESIS CAROLINA, quae *art.* 134. medicamentorum abuſum cöercet. Civitatis noſtrae Magiſtratus quoque ſapienti conſilio ſub mulcta prohibuit, ne obſtetrices publice receptae, medicamenta interna absque Medicorum conſilio aegrotis darent *u*). Quanto magis contra Legem hanc poe-

 nalem

geſtabat. *Tryphera magna* praecipue utebantur.

t) De opiatis ita ſentit. Cl. *Spielmann Inſt. Mat. Med. v. Opium. Illud* (Opium) *ſenſuum et motus muſcularis organa ita obtundere, ut eorum functiones imminuantur, immo aucta eius doſi, ſenſus internos turbari, muſculos reſolvi, lethali ſopore opprimi homines, per omnia ſecula annotatum fuit, ipſa hilaritas et audacia, quas levior ejus quantitas aſſumta inducere ſolet, iam ſpecies delirii eſſe videtur* cf. HOFFMANN *Med. Syſt.* IV. *P.* III. *S.* I. c. I *de Epil. §* 5.

u) v. Der *Medicorum* Ordnung § 3. in Straſsb.

nalem peccant nutrices et famulae, quae inſciis Medicis, immo ipſis parentibus, medicamenta nociva temere infantibus praebent?

Optandum foret, ut parentes ipſi de hoc abuſu ſatis inſtructi liberorum ſaluti invigilarent. Utinam Medici et Chirurgi eruditi atque habiles obſtetrices omnia inveterata praejudicia felici ſucceſſu extirpare poſſent.

§. XXVIII.

M. n. ab iis data, qui Medicinam profitentur.

Poſtquam de iis locuti ſumus, qui medicamenta nociva dant neque tamen Medicinam profitentur: nunc poſteriori loco de iis ago, qui medicamentis nocent, licet pro peritis in arte medica haberi velint, et hanc artem profiteantur *x*).

Ut igitur delicta, quae circa ſcientiam ſalutarem committuntur, bene dijudicari queant: qua

v) Strasb. *Colleg. Med.* p 11 Ordnung der Hebammen §. 25. et Ordn vor die in denen unter der Bottmäßigkeit hieſiger Stadt ſtehenden Aemtern ſich befindende Hebammen § 9. in vermehrt und verbeſſerter Ordnung des Hebammen-Meiſters und ſambtlicher Hebammen der Stadt Strasburg 1757. *pag.* 19 et 27.

x) *Zachiae Quaeſt. Med. leg.* L. *VI.* T. I.

quaedam de ſtatu hujus artis in genere praemittemus.

Apud Romanos olim *Medicus* erat, quicunque ſaluti aegrotantium ſuccurrendi artem profitebatur; adeoque haec vox *Chirurgos*, *obſtetrices* et ſimiles *y*) comprehendebat.

Peculiarem Medicorum ſectam conſtituerunt Empirici *z*).

Aliam formam recentiori aevo Medicina induit. Nam Empirici nomen, quod olim honorificum erat, hodie ignominioſum eſt, et nemo *Medici* nomine condecoratur niſi ille, qui ſcientiam ſalutarem neceſſariis theoriae atque Praxeos ſubſidiis fultam didicit, atque ab arte peritis publice ad hoc officium conſtitutis examinatus eſt *a*). Quicunque autem his principiis Medico

y) L. 7 § *ult.* L. 8 *pr.* L. 9 *pr. et §* 1 *ff. ad L. Aquil.* L. 1 §. 2 *et* 3 *ff. de extr cogn.*

z) Ἐμπειρικὴ ſecta in Sicilia coepit et *Acronem Agrigentinum*, *Empedoclis* Phyſici auctoritate commendatum, auctorem agnovit teſte PLINIO *H. N.* L. XXIX. *c.* 1 *S. IV. Ed. Hard.* SUIDAS v. Ἄκρων. PLINIUS l. c. non bene de Empiricis, ut et de Medicina in genere ſentire videtur. Contra *Celſus de Medicina Praefat. p.* 3 *Edit. Lugd. Bat.* 1665. 12. Empiricos *non mediocres viros* appellat. Idem auctor *Serapionem* pro primo Empirico habet cf. *eiusd Praef. p.* 8.

a) Cf. Conſtitutio *Friederici II.* Imp. in *Conſt.*

Medico tanquam artem facere conantur: e Medicorum ordine excluduntur et nominibus *Empiricorum*, *Medicaſtrorum*, *Agyrtarum*, *Uromantium*; Gal. Empiriques, Charlatans; Germ. Pfuſcher, Quackſalber, Marckſchreyer, aliisque notantur *b)*.

Definitio, quam de *Medico* adduxi plana eſſe videtur, et quae nulla explicatione indigeat. Alteram, quam de *Empiricis* dedi, ulteriori examini ſubjiciam; ea potiſſimum ratione adductus, quod nullibi exactam de illis definitionem inveni; a qua tamen omnis deciſio juridica pendet. Ex hac definitione patet: Empiricum I. Medicinam facere. II. Theoreticis et practicis principiis Medico neceſſariis deſtitutum eſſe. III. Medicinam tanquam artem exercere.

§. XXIX.

Conſt. Sicul. L *III. T.* 34 apud Lindenbrogium *Cod.* LL. *Ant.*

De his agit eosque (in *ſenſu lato* ſumtus) in tres claſſes diſpeſcit Koechlin in Diſſ. *de Felicitate empiricorum medicaſtrorum diverſa a felicitate veri medici. Baſileae* 1755. § 9 *ſqq.* cf. Behrens *Selecta medica. Francof.* et *Lipſ.* 1708. 4 *Sect. V.* de *Curationibus Empiricis.*

Diſtinctionem inter *Medicos et Medicaſtros* admittit. C C C. *art.* 134. *Illos* vocat Aerzte, *hos* leichtfertige leut, die ſich Artznei underſtehen, und der mit keynem Grundt gelernet haben

§. XXIX.

Medicinam facit.

Empiricus *Medicinam facit.* Sub voce *Medicina*, quae hic in *ſenſu lato* venit, quo et *Chirurgia* comprehenditur *c*), non ipſam Medicorum ſcientiam intelligendam eſſe, quilibet videt, ab ea quippe longe abſunt empirici; ſed illorum functionem et operationem corporis. Sic Medicorum inſtar aegros vident, vel ab iis viſuntur, eosque de ſtatu morbi interrogant: iis medicamenta praeſcribunt, dant, applicant; vulnera, ulcera, luxationes, obligant, ſecant, reponunt. Qui talia agunt, in ſenſu juridico *Medicinam facere* dicuntur; licet ipſi forſan *Medici* nomen ſibi non tribuant *d*).

§. XXX.

c) *Medicis* autem in *ſenſu ſtrictiſſimo* ſumtis i. e. qui morbis internis curandis operam dant, non licet Chirurgiam, nec *Chirurgis* Medicinam in *ſenſu ſtrictiſſimo* ſumtam pro lubitu exercere; ſi legibus ſeparata ſunt haec munera. Haec ſeparatio in plerisque locis obtinet. Argentorati prohibitum eſt Medicis *externa* et Chirurgis *interna* remedia aegrotis dare *v.* der *Medicorum* Ordnung §. 2. in *Colleg. Med. p.* 10 *et* Erneuerte und verbeſſerte Articel Eines Löbl. *Corps* derer *Chirurgorum* oder Wund-Aertzte der Stadt Straſb. 1757. *art. XV.*

d) Cf. BAYLE *Dict.* art. *XV.*

§. XXX.

Theoreticis et practicis principiis Medico neceſſariis deſtitutus eſt.

Praecipua, quae empiricum a Medico diſtinguit, nota, in eo conſiſtit, quod hic *neceſſariis* ad artem, quam profitetur, *principiis* imbutus ſit, quibus vel in totum, vel magna ex parte *caret empiricus.*

Illud etiam monendum eſt, quemcunque, qui Medicinam exercet, utut eruditiſſimum, in foro ut plurimum praeſumi ſcientia medico neceſſaria deſtitutum; niſi per ſupra dictum (§. 28.) examen probaverit contrarium; quia in arte ſalutari nimis periculoſum eſt, rempublicam eventu demum de ejus, qui medicinam facit, ſcientia, certiorem fieri *e*).

§. XXXI.

Medicinam tanquam artem exercet.

Quum denique empiricus *Medicinam tanquam artem exerceat*, id eſt, gloriam vel opes Medicinae exercitio quaerat: ſequitur, illis adnumerari non poſſe, qui amicis unum alterumve remedium dant ſeu ſuadent, cuius bonum effectum, vel ipſi, vel alii ex eorum amicis experti

e) Inquiſitio in has res vel ad delationem Medicorum aliorumque civium vel ad famam, magiſtratui ex officio, vel procuratori fiſci plerumque incumbit.

perti ſunt, vel quod a medico acceperunt. Multo minus ad empiricos pertinent, qui homini in praeſenti periculo, quod Medici auxilium requirit, conſtituto, pro viribus opem fert, ſi Medici non ſit copia *f*).

Propius ad empiricos accedunt, qui medicamenta quaedam *arcana* absque magiſtratus permiſſu in vulgus vendunt.

Haec de ſtatu Medicinae dicta ſufficiant. Nunc de delictis, quae circa medendi artem a Medicis et medicaſtris committuntur, age diſpiciam.

§. XXXII.

De delictis, quae circa Medicinam a Medicis et medicaſtris committuntur.

Ordo nunc requireret, ut primo de delictis agerem, quae Medicis et medicaſtris in genere *communia* ſunt, et tunc de delictis, quae cuilibet horum in ſpecie *propria* ſunt. Quum vero delicta, quae a medicaſtris committuntur, non niſi *culpae gradu* ab illis Medicorum differant: de horum praecipue delictis ſermo erit.

Medici vel *dolo* vel *culpa* circa artis ſuae exer-

f) In utroque tamen caſu aegrotum, quamprimum fieri poterit, ad Medicum ablegandum eſſe, ſana ratio ſuadet. Niſi ille, qui conſilium dedit, de ejus bono eventu certus ſit; quantum ſcilicet humana fragilitas patitur.

exercitium peccant. Si *dolo*, qualis in Lege Cornelia requiritur, i. e. *animo necandi* delinquunt: incidunt in crimen *Veneficii doloſi*, de quo alio loco verba feci *g*). Si *culpa* delinquunt, tunc eorum delicta graviora vel leviora ſunt, pro diverſo culpae gradu, quem admiſerunt. Duplicis generis culpae mentionem facit *C. C. C. art.* 134. *Negligentiae* Unfleiß et *Imperitiae* Unkunſt. Hanc *latae culpae* adſcribunt JCti *h*) eiusque probatio non valde difficilis eſt. Illa autem, quum in facto conſiſtat et varios gradus habeat, ut *oſcitantiam, impatientiam, temulentiam i) audaciam etc.* difficilius probationem admittit; praeſertim, quod Medici, quorum conſilium CAROLUS V. exigit, in reprobanda morbos curandi methodo quandoque inter ſe diſcrepent.

Haec ad culpam a Medicis admiſſam in genere ſpectant. Nunc praecipuas quaeſtiones rimabor, quae huic materiae lucem afferre queant.

§. XXXIII.

g) v. Diſſ. mea de *Venef. Doloſ.* §. 10. *et* 34.

h) BOEHMER *ad* C. C. C. *art.* 134. *§* 3. cf. *§.* 7. *l. de L. Aquil.*

i) Quam pernicioſa ſit ebrietas in perſonis, quarum curae corpus noſtrum committimus, haud ita pridem vidit civitas noſtra in obſtetrice, cujus temulentia mater una cum partu interiit. Sed meritas luit infelix mulier poenas.

§. XXXIII.

An Medicus poſſit veneno necare volentem?

Maximi momenti haec quaeſtio eſt, quia ab ea pendet deciſio quaeſtionis, *an talis Medicus ad veneficos doloſos, an vero ad culpoſos referendus ſit?*

Secundum principia veterum quarundam gentium, quae mortem miſerae vitae praeferebant *k*), quaeſtio propoſita affirmanda foret. Quodſi ſaniorem jurisprudentiam ſequimur: pro negativa nobis pugnandum eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur. *An vero medicus, qui volentem occidit, ultimo ſupplicio puniendus ſit?* expediti juris non eſt. Affirmativa verior videtur argumento *L.* 4. *§.* 2. *et L.* 5. *ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef.* Vi harum legum ii, qui *etiam volentes caſtrant*, poena Legis Corneliae plectuntur. Quanto magis ergo, qui *vo*len-

k) Quantum priſcae quaedam gentes ea in re induſſerint, patefaciunt exempla *Ceorum*, apud quos conſuetudo infirmos ſenes cicutam (plantam, qua *Socrates* periit) bibere juſſit. *Aelian Var. Hiſt. L. III c.* 37 Νόμος Κείων κατὰ γερόντων. *Maſſilienſis* praeparatum venenum publice cuſtodiebant, quod dabatur ei, *qui cauſas Sexcentis* (*id enim Senatus ejus nomen erat*) *exhibuit, propter quas mors ſit illi expetenda. Valer. Max. L. II. c.* 6. *ex.* 7. 8.

lentes necant, ad Legem Corn. pertinent? Nec aliud evincit *Nov.* 142. in qua JUSTINIANUS poenam talionis in genere dictat iis, qui caſtrant. Nam argumento ex hac Lege ducto, qui occiderunt etiam volentem, occidendi ſunt.

Nullum dubium relinquit NEMESIS CAROLINA, cujus *art.* 134. diſertis verbis praecipit: **hett aber eyn Artzt ſolche tòdtung williglich gethon, ſo wer er als eyn fürſetzlicher Mòrder zu ſtraffen.** Haec verba tamen ob rationes, quae crimen hoc circumſtant, mitigantes, ex *art.* 137. *C. C. C.* verbis: **unn ſonſt auch gemelte entſchuldigung** *l*) **nit hat**, limitanda ſunt, ut ita non rotae, ſed gladio locus ſit. Neque nimis dura eſt haec ſententia; nam, rationibus jam allatis accedit, quod delictum hoc peſſimi exempli ſit, et hoc velamento fere omnia veneficia doloſa a Medico commiſſa tegi poſſint *m*),

Negativam ſententiam tuetur KRESS *n*) atque inter alia minoris momenti argumenta afferit,

l) Quid ſub voce **entſchuldigung** intelligendum ſit, CAROLVS V. in ſequentibus articulis explicat; ex horum articulorum nec verbis, nec rationibus, *excuſationem* pro medico volentem occidente, quis exſculpet. Senſus itaque *art.* 137. hic eſt: „qui non eſt latro, neque ſequentes vel ſimiles excuſationes habet, gladio punitur" Atqui Medicus etc. Ergo.

m) Arg. L. 38. *§* 5. *ff. de poen.*

n) *ad* C C C. *§* 4.

rit, legem criminalem vix adduci poſſe, quae poenam capitalem irroget, in C. C. C. minimum nullam occurrere. Leges, quas ex Jure Romano allegavi, evertere ſtudet illo potiſſimum argumento, quod ratio decidendi harum legum ſit *facinoris*, ut ait, *noxietas et nefandi commercii ſpecies*, quae *ſubeſt*. Sed oleam et operam perdidiſſe videtur; nam magis noxium eſt *occidere*, quam *virilia exſcindere*, et *nefandum commercium* non ratio decidendi principalis eſſe potuit *Legis* 4. *et* 5. *cit.* ut poenam Legis Corneliae dictaret; quoniam ei, qui commercium hoc fecit, levior poena, quam illa L. Corn. dictatur in *L.6. eod.*; reus nempe *pro parte dimidia bonorum multatur.* Veram decidendi rationem indicat JUSTINIANUS *o*), *quod* nempe *ſaepenumero e multis vix pauci evadant incolumes, usque adeo, ut quidam ex his, qui ſervati fuerunt, ſub noſtro aſpectu depoſuerint, e nonaginta aegre tres ſervatos eſſe.* Cur autem KRESSIUS altum in C. C. C. ſilentium de huius delicti poena capitali deprehendat, non video, quum verba *art.* 134. quae allegavi, contrarium clare ante oculos ponant.

Ex dictis patet, multo magis ultimo ſupplicio puniendum eſſe Medicum, qui aegrotum incon-

o) *Nov.* 142 *pr.* Huic rationi favent quoque praecedentia verba *cit. L.* 4 § 1. *ff. ad L. Corn.*

ſultum veneno ex propoſito necavit, quod de eius ſalute deſperaverit.

A quaeſtione tractata de Medico volentem occidente, differt illa quaeſtio: *An Medicus ex voluntate aegroti male curans, culpae reus ſit, eamque ob rem tam civiliter quam criminaliter conveniri queat?* Ejus analyſi ſuperſedere poſſum, quum fuſe ac erudite eam tractaverit BASTINELLER *p*) qui negativae ſententiae impenſe favet. Duo praecipue allegat argumenta, quibus opinionem ſuam probet: alterum, quod jure civili *q*) et canonico *r*) permiſſum ſit virilia exſcindere, ut quis gravi morbo liberetur; alterum, quod volenti, ſive ſcienti conſentientique non fiat injuria *s*) Quicquid ſit, equidem exiſtimo, quaeſtionem hanc verbis generalibus propoſitam, vix exactam deciſionem admittere; ſed in quibusvis caſibus obvenientibus modo affirmandam eſſe, modo negandam, pro variis, quae rem circumſtant, momentis.

§. XXXIV.

p) *Commentatio juridica de Medico ex voluntate aegroti perperam curante.* Recuſa *Vitembergae* 1741. 4.

q) *Nov.* 142. *c.* 2 cf. Comm. cit §. ult.

r) *c.* 5 X. *de corp. vitiat. ordin. vel non* cf. Comm. cit. l. c.

s) *L. I.* § 5. *ff. de Injur. L.* 145 *ff. de R. J. c.* 27. *de R. I. in* 6 cf. Comm. cit. l. c.

§. XXXIV.

Num Medicus, qui veneno tanquam medicamento uſus, occidit, veneficii culpoſi reus ſit?

Quaeſtio propoſita ab illa pendet: *An in genere licitus ſit venenorum in Medicina uſus?* Hanc quaeſtionem hodie, ſi non inutilem, certe tamen nimis ſero inſtitui, putat HAHN *t*); poſtquam uſus ille per multa ſecula viguit; praeſertim, cum idem etiam noſtro aevo admodum ſit frequens, multisque probatus et acceptus. Hinc quaeſtionis formulam mutandam, et potius inquirendum eſſe exiſtimat: *Num ars medica*

Q 3

t) *Oratio de uſu venenorum in Medicina. Traj. ad Rhen.* 1773. 4. recuſ. *Liſ.* 1775 8. *p.* 97. *h. ed.* In hac oratione auctor argumenti huius hiſtoriam ſingulari eruditione atque elegantia tradit atque oſtendit, Sec. XV. XVI XVII. et noſtro, quod ideo *toxicophilum* vocat, atrociſſimorum venenorum in Medicina uſum ſatis familiarem fuiſſe. Magnos, inter alia. patronos *Arſenicum* (cf. Diſſ. noſt. *de Venef. doloſ.* §. 3) habuiſſe, adnotat; omnes autem, qui poſt hominum memoriam de medico venenorum uſu ſcripſerunt, excelluiſſe *Stephanum Weſpremum* Pannonium, qui in *Tract. de inoculanda peſte Londini* 1755. novum plane et inauditum de peſte ipſis hominibus inoculanda conſilium iniit, et cum ſpe utilitatis, publice propoſuit. v. *Orat. cit. p.* 56. 65. 74. 78. 84. 90.

dica venenis carere queat u)? Ad hanc quaeſtionem in calce operis ita reſpondet: *Poſſunt ergo venena prodeſſe, neque illicitus eorum uſus haberi debet; ſed ſcrupulorum et ſuſpicionum et diſcriminis plenus eſt... Ingeſta pharmaca extra poteſtatem medici ſunt. Mirabilis partium, e quibus homo conſtat, conſenſus et ſympathia difficultatem augent... Satius ergo eſt venenis omnino abſtinere, quam frequenter et promiſcue uti.*

De periculoſo venenorum, *Arſenici* potiſſimum, in morborum curatione uſu teſtantur quoque HEBENSTREIT *x*), LEMERY *y*), SPIELMANN *z*) aliique.

Quodſi ergo, quae dicta ſunt, juridica expendamus trutina; propoſitam priori loco quaeſtionem, *Num Medicus, qui veneno tanquam medicamento uſus, occidit, veneficii culpoſi reus ſit?* affirmandam eſſe, vix eſt, quod dubitemus; dummodo ex Medicorum conſiliis conſtet, incertum et vagis principiis innixum medicamentum venenatum adhibitum fuiſſe. Nec aliud pati videntur verba *C. C. C. art.* 134. oder ſich ungegründter unzuleſſiger artznei, die jm nit gezimpt hat underſtanden. Non ideo omnia ex-

u) HAHN l. c. *p.* 97.
x) *Anthropol. forenſ. p.* 510. *et* 515.
y) *Mém. de l'Acad. R. de Sciences* 1734. *p.* 264.
z) *Inſt. Mat. Med. v. Arſenicum, Antimonium etc.*

experimenta cum venenis inſtituenda medicis Imperator penitus interdixit; ſed juſtam requirit cauſſam, quae in ſola neceſſitate quaerenda eſt. Quum autem perdifficile ſit, de neceſſitate certi quid conſtituere, et perquam rari ſint caſus, qui ultimum illud telum exigant *a*): veneficii culpoſi poenam vix effugiet Medicus; niſi doctos Medicos, ſi illorum copia ei fuit, conſultaverit.

Quaeſtioni tractatae quaſi comitem jungo aliam illi affinem: *Num Medicus, qui innocuis aliis et ſalutiferis medicamentis, intempeſtive tamen datis, mortem affert, veneficii culpoſi reus ſit?* Affirmare hanc quaeſtionem videntur verba *cit. art.* C. *C. C.* daß er die Artznei leichtfertiglich und verwegentlich mißbraucht. Hoc autem delictum ad medicaſtros propius ſpectare, quam ad Medicos, ex utriusque indole ſupra (§. 30.), indicata, prono alveo fluit.

§. XXXV.

De poena veneficii culpoſi a Medico vel medicaſtro commiſſi.

Antiquioribus Romanorum temporibus Medicorum imperitia ſumma impunitate gaviſa eſt *b*).

Poſtea

Q 4

a) HAHN l. c. *p.* 101 *ſq.*

b) PLINIVS *H. N. L.* XXIX. *c.* 1. *S.* 8. *Ed. Hard. Nulla*, inquit, *lex, quae puniat inſcitiam: capitale nullum exemplum vindictae. Diſcunt periculis noſtris, et experimenta per* mor-

Poſtea Medicorum delicta *extra ordinem* coërceri coeperunt, uti ex *L. 6. §. 7. ff. de offic. praeſid. L. 3. ff. de extr. cogn. et L. 3. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic et Venef.* patet. Ratio allegatur in *L. 6. de off. praeſ. quia praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium eſſe non debet.* Huic rationi accedit, quod nemo ſe rei immiſcere debeat ad ſe non pertinenti *c*); inprimis ſi ab eius exitu ſalus hominum pendet.

CONSTITUTIO CRIM. CAROL. *art.* 134. Straff ſo eyn Artzt durch ſeine Artznei tödtet, poenam arbitrariam Medico, inprimis autem medicaſtro dictat, qui culpa hominem medicamentis necaverit. Hanc poenam in levioribus culpae gradibus *mulctam* aut *ſuſpenſionem* ab artis exercitio eſſe; in gravioribus autem non ultra *relegationem* extendendam eſſe exiſtimat KRESS *d*). Conſentit BOEHMER *e*) ratione Medicorum, quod dignitas, qua plerumque pollent, et exceptionum copia, qua ſe tueri ſolent *f*), graviorem

mortes agunt, medicoque tantum hominem necaſſe ſumma impunitas eſt. Haec tamen verba accipienda modo eſſe videntur de legibus poenalibus. Etenim de actione civili ad damnum reſarciendum loquitur jam LABEO in *L. 9. 9. ff ad L. Aquil.*

c) *L. 36 ff de R. I. c. 19. de R. I. in 6.*

d) *ad C. C. C. art.* 134. §. 1.

e) *ad C. C. C. eod.* §. 3.

f) De praeſumtionibus medico inſervientibus v. KRESS *ad C. C. C. art.* 134. §. 5.

viorem poenam prohibeant. Contra *medicaſtrum* vero etiam poenam corporis afflictivam admittit, ob evidentiorem culpam, et deficientes rationes de medico allatas, inprimis, ſi non ſemel mors ab iis illata ſit. Ob easdem rationes et difficultatem examinis poſt mortem aegri et de morbi ſtatu inſtituendi, praxin harum poenarum intuitu vulgi frequentiorem eſſe, quam intuitu Medicorum, idem obſervat auctor et terra medicorum culpam tegere dicitur.

Quae de procurata nece ſancivit *cit. art.* ob ſimilitudinem rationis ad *noxiam* quamcunque ſanitati illatam recte extendunt KRESS *g*) et BOEHMER *h*). Prior exemplum adducit Medici, qui adhibitis remediis, quibus peſtis tempore uſus eſſe ſolet, rumorem falſum de peſte graſſante excitaverat. Illum arbitrarie punitum eſſe refert, ſuumque MERITO acclamat. Sed dubito an juſte damnatus ſit, quum ſpecifica contra peſtem remedia inventa non eſſe fateantur magni nominis Medici *i*). Poenam vero meritus eſt *malignus* iſte, qui, teſte KRESSIO, Medici illius formulas pharmacopolae ſurripuerat, aliam in urbem miſerat, et inde dicti rumoris cauſſa fuerat,

 In

g) *ad* C. C. C. *art.* 134. *§.* 2.
h) l. c.
i) HOFFMANN *Med. Syſt.* T. IV. P. I. S. I. c. 12.

In Gallia CAROLUS VI. jam ſeculo XIV. conſtituit; ut Medicorum imperitia juſtis poenis coerceretur *k*).

§. XXXVI.

Cura Magiſtratus circa Medicos.

Ex poſteriori parte *art.* 134. *C. C. C.* Doctores curam exſculpere ſolent, quae magiſtratui circa publicam conſtitutionem Medicorum incumbit *l*). Hoc quidem magiſtratus officium non ex diſertis *C. C. C.* verbis fluit; attamen intentioni legislatoris et principiis bonae politiae ex aſſe reſpondet, quum ita, quod ſeveriſſimis poenis plus valet, ipſa mali ſcaturigo obturetur.

Romanis ab *Auguſti* praeſertim temporibus Medicorum conſtitutionem curae fuiſſe, teſtantur innumera privilegia, quae illis conceſſa erant *m*).

Exemplum hoc et alias gentes ſecutas eſſe; teſtes ſunt, quae paſſim proſtant *Ordinationes medici-*

k) *Ordonançe de Charles VI. du* 17. *Août.* 1390.

l) KRESS l. c. §. 3. *Boehmer* l. c. §. 4.

m) DIO CASSIVS *Hiſt. Rom.* L. XLIII. L. 6 §. 1 *et* 2. *ff. de excuſat.* L. *ult. ff.* §. 5. *de munerib. et honor* L. 6. *et ult.* C. *de Prof. et med* L. 16 C. *Theod. de Med. et Prof.* L. *fin.* C. *Juſt. cod.* JAC. GOTTOFR. *in Comment. ad* L. 1 *ff. de decret. ab ord. fac.* cf. SYMMACHVS L. X. *Ep.* 40.

dicinales, Collegia medica, aliaque ſtatuta, quibus cautum, ut

Tonſor, caupo, coquus, lanius ſua limina ſervent n).

et ne quis in Medicorum ordinem alicujus civitatis admittatur, niſi qui prius publicum eruditionis ſpecimen ediderit, peritorum in arte examini ſe ſubjecerit, atque gradum Doctoris rite obtinuerit *o)*. Utiliſſimam curam circa ſcientiae ſalutaris exercitium longe etiam ultra Europam ex-

n) MART. *L. VII. Ep. 60.*

o) Argentoratenſis civitatis Magiſtratum a multis jam retro temporibus civium ſaluti optime conſuluiſſe teſtantur ſequentia AD. 1384. Meiſter Gutleben der Juden Arzt, erhielt von der Obrigkeit die Freyheit 6. Jahr allhier zu wohnen ſambt Kindern und Geſind, und um daß er unſern Burgern und den Unſrigen mit ſeiner Meiſterſchaft zu Hilfe kommen ſoll, darum ſoll man ihme 300 Gulden geben von unſerer Stådte wegen vor die 6. Jahr in gewiſſen Terminen. vid. Strasb. Ordnung-Buch *ad h. a.* Archiv. Haec tamen, ſi dicendum quod res eſt, ſimul probant, raros illis temporibus in noſtra civitate fuiſſe peritos Medicos. Qui enim niſi urgente neceſſitate, Medicum Judaeum Argentoratenſes Praemiis allicere potuiſſent; quum deploranda Iſraëlis progenies Argentinae civibus adeo exoſa fuerit, ut illam a. 1388. in perpetuum expulerint? *Albertus Argent. Chron. p. 147. Koenigs hov. C. II.*

extenderunt principes. Nam, cum homo libertate naturali privatus, ſaepe illicita conquirat media, quibus ſe a ſervitute liberaret: ſervis Europaeorum in America Medicinae exercitium plerumque eſt interdictum *p*).

Multis

C. II. §. 212 C. V. §. 78. *Schoepflini Alſat. illuſtr.* T. II. § 636. p. 343. cf. Diſſ. noſtr. *de Venef. doloſ.* § 15 *not.* 93. His accedit, quod jus Canonicum ſub graviſſimis poenis prohibeat Chriſtianis, Judaeorum adhibere Medicos. c. 13 C. 28 *q.* 1 *c.* 16 X. *de Judaeis.*

Eidem curae Patrum Patriae adſcribendum eſt, quod a. 1660 *Tarquinium Romam* famoſum agyrtam repulerint; qui ſua contra praeſentiſſimum venenum antidota jactaverat; revera autem fumum civibus vendendo, populari gloria decorari voluerat, v. cit. Straſb. Ord. B. *ad h. a.* Creato poſtea *Collegio medico*, prodiit ſtatutum de medicis, der *Medicorum* Ordnung, recuſum in Straſb. *Colleg. Med. d. a.* 1757. *fol. p.* 10.

De Gallia vid. *Robert rer. judic.* L I. C. 5.

Ordinatione Bleſenſi cautum: *que nul ne pourroit pratiquer en Medicine, qu'il ne fut Docteur en ladite faculté* v. *l'ordonance de Blois de* 1579 *art.* 87 cf. *Code de la Police ou analyſe des Reglemens de Police Troiſ. Edit. Paris* 1761 8 *P. II. Tit. VIII.* § 2 *ſv.*

p) Servis Promontorii Hiſpaniolae, ne ſub ſpecie exercendae artis medicae veneno damnum

Multis quoque malis, quae ab imperitia et audacia oriuntur, obviam iri poteſt, ſi libros, qui de incertis atque periculoſis medicaminibus agunt, lingua vernacula ſcribere aut in eam transferre, non indiſtincte permittitur *q*).

Denique ſilentio praetermittendum non eſt utiliſſimum inſtitutum Clementiſſimi Regis noſtri, SOCIETAS puta, REGIA PARISIENSIS MEDICA anno 1778. Litteris patentibus eum in finem creata, ut obſervationes, quas tum ipſa praeſens et ſtatis temporibus conventus agens ſocietas, tum celebriores regni et exterarum gentium Medici fecerint, ſedulo colligendo, omnium morborum, et praecipue epidemicorum cauſſas diligentiſſime rimaretur. Huic quoque ſocietati medicamentorum, quae vocant, ſpecificorum et aliorum, nec non aquarum minerali-

um

num afferant, medicamenta componere ac diſtribuere, nec non morborum, ſolo viperarum morſu excepto, curam ſuſpicere, ſub poena corporis afflictiva, imo et ultimi ſupplicii interdictum eſt. v. DECLARATION DU ROI *ſur les nègres qui compoſent des remedes* d. 1 Fevr. 1743 DECLARATION *ſur la garde des vénéfices* du. 30 Décembr. 1746 *art. X* cf. EHRLEN Diſſ. *de ſervis Aethiopibus Europaeorum in coloniis Americae Argentorati* 1778 *p.* 61.

q) cf. BUC'HOZ *la Nat. conſid. ſous ſes diff. aſp.* II *Ep. no.* 3 15 *Fevr.* 1780 *p.* 133.

um et medicinalium examen et inſpectionem Rex commiſit *r*). Eum in finem remedia, quae ſuo examini ſubjecta fuerint, quaeque vel approbavit, vel reprobavit, ut et quae ſibi non exhibita fuerint, et tamen cum laudibus venduntur, publice indicat *s*). Ad tollendos denique innumeros, quae in arte medica committuntur abuſus hortatur, ut quivis eorum conſcius eos Societati Regiae indicet *t*).

SECTIO

r) LETTRES PATENTES DU ROI *portant établiſſement d'une ſocieté Royale de Médicine.* Données à Verſailles au mois d'Août 1778. *Regiſtrées en Parlement le* 1. *Sept.* 1778. De interna huius ſocietatis conſtitutione Rex dedit *Lettres Patentes du Roi portant Reglement pour la ſocieté Royale de Médicine.* Données à Verſailles le 1. Fevrier 1780. *Regiſtrées en Parlement le* 25 *Avril, audit an.*

s) AVIS *au public ſur l'examen des Remedes pour leſquels on demande des permiſſion ou brevets. Paris* 1778 *Second Avis au Public concernant les remedes pour leſq. etc. Paris* 1779.

t) *La Societé invite ſes Correſpondants, et an général tous les citoyens zélés pour le bien public, à lui faire connoîtres les abus, qui pourront être commis par les Empyriques, Operateurs et Diſtributeurs de Remedes dans toute l'étendue du Royaume.* v. *Second Avis* v. *la fin.*

Depuis ſon établiſſement, elle a fait tont ce qui a été en elle pour detruire le charlatanif-

me

SECTIO II.

DE VENEFICIO CULPOSO MEDIATE COMMISSO.

CAPUT I.

De iis, qui aëra inficiunt.

§. XXXVII.

Contagia hominibus infeſta.

Veneficia culpoſa multis atque variis modis *mediate* perpetrari poſſunt. Principem locum tenent, qui lanae, pellium et aliarum rerum commercio furtivo, omnium venenorum maximum, funeſtam peſtem in regionem quandam importaverunt; praeſertim, ſi harum mercium advectio, ob peſtem aliquo graſſantem prohibita ſit. Dignus eſt talis, qui ſuo opere pereat. Ejusdem fere commatis eſt, qui a loco contagii ſuſpecto vel terra vel mari adveniens legibus praeſtitutum tem-

me; - - elle prie les Médecine et Chirurgiens des Provinces - - de requérir auprès des Magiſtrats l'xécution de l'art. X. *des Lettres Patentes* (qui remediorum a ſocietate Regia non approbatorum diſtributionem prohibet) - - *à la quelle leur juſtice ne ſe refuſera point.* v. AVIS *ſur la correſpondence de la ſocieté Royale de Médicine, et ſur les objets dont cette compagnie eſt chargée.*

tempus, quod 40 utplurimum diebus abſolvitur (*la quarantaine*) non expectat, ſed magno civium diſcrimine poſita clauſtra tranſcendit, vel merces transmittit. Huius criminis rei pluribus in locis, pro re nata, quandoque morte puniuntur *u*).

Alia quoque contagia, hominibus infeſta, qui contra ſtatuta poenalia inconſulte propagant, puniri debent. Curia Pariſienſis ſuprema a. 1497. omnibus malo venereo laborantibus ſub poena ſuſpendii Pariſiorum urbe interdixit *x*). Noſtris temporibus *Bernenſium*, *Lugdunenſium*, *Audomarenſium et Divionenſium* ſtatutis cautum eſt, ne variolarum inoculationes intra urbem fierent, neve perſonae variolis correptae, ante 40 dies, in locis publicis ambularent, aut ſi extra urbem degant, ne ante dictum tempus urbem ingrederentur, ſub mulcta vel ab ipſo reo, vel a parentibus, tutoribus, heris etc. ſolvenda *y*).

§. XXXVIII.

u) vid. *l'ordonance de Louis XIV. du* 8 *Août* 1713 *et le Reglement du* 20 *Juillet* 1752 *concernant l'admiſſion des vaiſſeaux étrangers*. cf. *Code de la Police. P. 1 T. IV. ſ.* 7.

x) v. *l'Arrêt du Parlement de* 1497.

y) *Extrait de regiſtres de Delibérations de la chambre du Conſeil et de Police de la Ville et Commune de Dijon du* 25 *Septembr.* 1779.

§. XXXVIII.

Lues brutorum.

Eodem fere modo, quo humanum peſtilentiale virus propagatur, brutorum quoque lues regioni cuidam infertur. Unde, ſi quo peſtilentia in gregem incidit, prudentes vicini principes atque magiſtratus; pecorum, lanae, pellium, lactis, butyri et ſimilium rerum commercia, pro re nata, ſub poena reſtringere vel plane interdicere ſolent *z*). Et, quum propagationem hujus mali per canes quoque fieri poſſe docuerit experientia: *Deputatio Senatus Francofurtenſis a*) ſapienter conſtituit, canes extra civitatis moenia absque domino vagantes necandos et eorum dominos, ſi innotuerint, puniendos eſſe.

§. XXXIX.

Recens conclave.

Veneficium culpoſum porro committit caupo, vel alius, qui hoſpiti recens conclave calce viva, gyp-

z) Exemplo ſunt *Concluſa Senatus Francofurtenſis* ad Moenum, *de d.* 30 *Nov.* 1776. *d.* 21 *Oct.* 1777. *d.* 25 *Nov. ejusd. A. d.* 8 *Dec. ejusd. A. d.* 24 *Febr.* 1778.
In Gallia prodiit *Arrêt du Conſeil d'état du* ROI, *portant défenſes de faire entrer dans le Royaume de cuirs en verd ou préparés, venant de Ports de la mer Baltique ou de la Hollande du 7 Avril.* 1780.

a) *d. d.* 21 *Nov.* 1777.

gypſo vel ſimili materia nociva obductum dedit, ex quo ille periit, aut gravi morbo correptus eſt. Ita Imperatorem *Jovianum b)* et *Catulum c)* periiſſe, fertur.

CAPUT II.

De iis, qui aquas, fontes etc. inficiunt.

§. XL.

De Romanorum temporibus,

Veneficium culpoſum ſapiunt et eorum facta, qui publicas aquas, fontes, puteos, fiſtulas, lacus, caſtella quodve aliud uſui oeconomico deſtinatum fimo, coeno, luto aliisque ſpurcant. Quodſi res hae ad privatos ſpectaverint: interdicto *quod vi aut clam* tenentur rei *d*). Si autem publicae fuerint: in illos *extra ordinem* animadverti, leges Romanae jubent *e*).

§. XLI.

b) EVTROP. L. X. c. 18 *Sozomen, Hiſt. Eccleſ.* L VI. c. 6.

c) Q. *Catulus* a C. *Mario* propter civiles diſſenſiones mori juſſus: recenti calce illito, multoque igni percalfacto cubiculo ſe incluſum peremit. VALER. MAX. *L. IX. c.* 12 *Cicero Tuſcul. Quaeſt. L. V. c.* 19. APPIAN. *de bell. civ.* L. *I. p.* 395. *D. ed. Henr. Steph.*

d) L. 11. *pr. ff. quod vi aut clam.*

e) L. 1 §. 1 *ff. de extr. crim.* L. 12. C. *de re militari* L XII.

§. XLI.

De noſtro aevo.

Simili modo delinquunt, qui cannabim in profluenti rigando, non modo piſces necant *f*), ſed et brutis, quae ſiti compulſi ad talem rivum veniunt, quam maxime nocent. Immo ipſis hominibus haud leve periculum minantur virulenta illius aquae effluvia; praeſertim, ſi multos continet putrefactos piſces. Quod adeo verum eſt, ut Peſtem quae a. 1576. Venetiis ſexaginta millia hominum proſtravit, at putredine minutorum piſcium quorundam originem traxiſſe FORESTUS memoret *g*).

f) Huius rei aud ita pridem triſte exemplum in noſtra provincia habuimus, quod multos pauperes piſcatores in magnas rerum anguſtias adduxit.

g) *Obſervationum et Curationum medic. et chirurgic. Op. omn. T. I L. VI. Obſ. IX. No.* 17.
De nocivo aquae putridae effectu jam loquitur GALENVS *de Febr. different. L.* 1. *c.* 4. Apud Graecos certi quidam magiſtratus erant, qui aquaeductuum curam gerebant Ἐπιστάται τῶν ὑδάτων dicti; et alii, quibus puteorum inſpectio commiſſa erat, κληνοφύλακες vocati. Utrosque ſub Ἀστυνομίᾳ comprehendiſſe aſſerit Potter Archäol. 1 Th. 1 B. Kap. 15. p. 173. et citat HARPOCRAT. h. v. Hic locus tamen POTTERI aſſertum haud ex aſſe probat.

Hinc in Alſatia pluribus de hac re Ordinationibus politicis ſaluti civium proſpectum eſt a *Summis Rei Judiciariae, Politicae et Aerariae in Alſatia Praefectis.* g). Noviſſima eſt, quam occaſione damni, de quo modo diximus, a ruſticis dati (*not* 190. tulit, qui hodie ſumma cum laude illo munere fungitur, Illuſtriſſimus DE LA GALAIZIERE *d.* 12. *Julii* 1789. in qua priores ordinationes confirmavit et nova ſanctione poenali munivit.

CAPUT

Zimmermann Erfahrung der Arzeneykunſt 2. Th. *p.* 211. narrat, *Cairi* in Aegypto peſtem haud raro oriri a vaporibus canalis per urbem ducti, in quem ſtagnans Nilus ſeſe exonerat et illius urbis incolae omnis generis quisquilias dejiciunt.

In quantum cura aquarum hodie ad Medicos publicos ſpectat, oſtendit HEBENSTREIT *Anthr. forenſ. S.* I. C. 2 §. 6.

g) Tales dederunt praecipue *Mr. de* BROU *le* 24. *de Juillet.* 1736 *et Ms. de Lucé le* 27. *de Juillet* 1761.

Seculo XIII. jam *Fridericus* II. Imp. conſtituit: *Salubritatem aëris divino judicio reſervatam, ſtudio proviſionis noſtrae in quantum poſſumus, diſponimus conſervare: mandantes, ut nulli a modo liceat in aquis cuiuslibet civitatis vel caſtri vicinis, quantum milliare ad minus protenditur, linum vel cannabum ad maturandum ponere, ne ex eo, prout pro certo didicimus,*

aërſi

CAPUT III.

De iis, qui, dum veneno ad animalia nociva arcenda utuntur, hominibus nocent.

§. XLII.

Animalia per ſe *nociva.*

Ad eos nunc pervenimus, qui dum ad arcenda animalia nociva venenis utuntur, hominum vitae vel ſanitati damnum inferunt. Quaeritur: *An licitum ſit venenis uti ad necanda animalia nociva?* Reſpondeo: *licet*, dummodo illud non fiat cum damno alterius; quod variis modis contingere poteſt.

PRIMO enim toxico utimur ad ea animalia arcenda, quae ab omnibus utplurimum pro nocivis habentur; tales ſunt *mures*, *glires*, *muſtelae*, *muſcae*, et id genus alia. Haec quidem delere, non eſt, cur prohibendum ſit, et qui hoc faciunt, ſuo jure utuntur. Attamen non omnia venena indiſtincte ubique adhibere licet; ſiquidem, quae hominibus etiam, non ſolis animalibus venena ſunt, hinc inde ſapienti conſilio ad hos uſus adhibere legibus poenalibus prohibitum eſt. Nec obſcura eſt ratio hujus interdicti. Quaedam enim venena, *Arſenicum* praecipue, male

 cu-

aëre diſpoſitio corrumpatur: quod ſi fecerit, vel cannabum amittat et curiae applicetur. V. *Conſt. Sicul.* L. III. *Tit.* 35.

cuſtodita, ſaepe pro Sacharo, vel pulvere medicato hominibus propinata ſunt *h*). Saepius etiam haec pharmaca, ab ipſis, quae delere volumus animalibus, poſtquam de iis comederunt, roſtro vel pedibus cibis affricantur et admiſcentur, vel apud piſtores potiſſimum, tota quanta in farinam et ſimilia vertuntur, quarum rerum innumera, proh dolor! funeſta exempla proſtant. His rationibus, haud levis momenti, permotus Civitatis hujus Regiae Senatus cenſuit:

„Jedermänniglichen wird verbotten „Arſenick zur Tödung des Ungeziefers zu „brauchen, mithin weder Muckenpulver, „Rattengift, noch Rattenwürſtlein da„mit anzumachen, indeme die größten Un„glücke daraus entſtehen können; bene„ben deme andere nicht ſo gefährliche „Mittel zur Abtreibung des Ungeziefers „befindlich ſeynd.“ *i*).

Huius ſtatuti transgreſſoribus mulctam, immo poe-

h) HOFFMANN *Medic. conſultat. Tom.* I. *p.* 35. *et* 251.

i) Obrigkeitliche Verordnung den Kauf und Verkauf des Gifts betreffend *d. a.* 1769. *art.* 16. Quodſi venenum contra mures atque glires adhibere neceſſitas, quae perquam rara eſt, ſuadet; *Nuce vomica*, ſacharo, carne aliisve rebus miſta, toxici loco uti poſſumus; de cuius bono effectu certiorem me reddidit Cl. SPIELMANN. Cave autem ne canes aut feles hanc eſcam dovorent.

poenam corporis afflictivam Senatus intermi-nat *k*). Caute etiam noſtrae *Politiae*, ut vocant *Judicium* qualiscunque fere materiae ad delenda animalia nociva venditionem agyrtis et aliis perſonis data occaſione denegat; quum experientia docuerit, iſtos homines ſaepe adeo audaces eſſe; ut corpus quoddam, quod pro innocuo jactant, coram magiſtratu deguſtent, et in ſimilibus chartulis diriſſima hominibus venena in vulgus vendant. Quod eo majus crimen ſapit, quod non ſolum tales homines magiſtratum decipiant, ſed et cives in lethales errores perducant.

§. XLIII.

Animalia ratione loci cujusdam *nociva.*

Altero loco venena quandoque uſurpari ſolent ad animalia necanda, quae non omnes pro nocivis agnoſcunt; ſed quae tantum ratione hujus vel illius civis talia evadunt. e. g. depaſcendo illius agros, ſemina etc. Ubi diſtinguendum eſt inter animantia, quibus veſcimur, et ea, quibus ad cuſtodiam, venationem, delendos incommodos cellarum hoſpites etc. utimur.

§. XLIV.

Animalia quibus veſcimur.

Qui animalia, quibus veſcimur, ſingula vel plura, quadrupeda vel volucria, fera aut manſueta necat, ut eos ab agro, prato, horto, vi-

 nea,

k) cit. Obrigk. Verordn. *art.* 19.

nea, ſilva, horreo, tecto etc. arceat, ſi venenis utitur homini non nocivis merum damnum patrimonio infert, quod actione civili locum facit ad illud reſarciendum, et levi poena pro facti natura et indole plectendus eſt. Huc pertinent e. gr. qui columbis vicini venena ſpargunt, ne coementum a tectis ſuis abradant.

Quodſi vero ſimul animus lucri faciendi acceſſerit tunc ejusmodi factum in aliud delictum, ſcilicet in *furtum*, vel quandoque in crimen *venationis furtivae* (*bracconer*) tranſit.

Quodſi autem toxica adhibita fuerint, quae et hominibus laeſionem minantur: inſignior temeritas adeſt, quae impunis eſſe non debet. Indulgentiae tamen haud leve argumentum adeſt, ſi hominibus haud nocitum, licet plura occiſa fuerint animalia; praeſertim, ſi volucria modo interfecta fuerint, et reus crediderit, ſe corvos, milvos ſimilesque aves necaturum eſſe. Nec in hoc caſu gravius evadit crimen, ſi alii ſervitus paſcendi competierit in tractu, ubi venenum quis ſparſit. Ita judicarunt *Scabini Lipſienſes*, qui in ejusmodi caſu, relegationem ad 4 annos dictarunt, reſarto damno atque refuſis expenſis *l*)

De iis autem, qui non animo animalia arcendi ſed

l) *Leyſer Sp.* 609. *m.* 22.

ſed ſimpliciter nocendi vel plane necandi homines paſcua inficiunt, jam alio loco verba feci *m*).

Magnam quoque audaciam ſpirat, illius factum, qui teſte QUINCTILIANO *n*) veneno tinxit flores ſuos, ut apes alterius occideret; ſiquidem non ſolum animum habuerit alteri damnum inferendi, ſed et ſanitatem, immo vitam hominum gravi periculo expoſuerit, quum redeuntibus apibus, mel infici potuiſſet.

§. XLV.

Animalia quibus non veſcimur.

Quod ad illa animalia attinet, quae alimentis non inſerviunt, inter alia lupi, vulpes, feles atque canes occurrunt; de quibus ſingulis quaedam monenda ſunt.

Et quidem lupos et vulpes, non modo cuilibet in ſua domo veneno occidere licet, quin ratione luporum in multis locis praemia eis conceduntur, qui regionem ab illis liberant. Alia autem quaeſtio eſt: *An his beſtiis, veneno in agris poſito, inſidias ſtruere liceat?* Hanc quaeſtionem non facile affirmarem, immo argumentis ex legibus venationum ductis, illum poenis coërcendum eſſe exiſtimo, qui tale factum commiſerit: quia canibus venaticis et feris, quibus veſcimur, damnum exinde imminet. Niſi talis

R 2 natu-

m) v. Diſſ. mea *de Venef. dol.* §. 15 *et* 36.

n) *Declam.* 16.

rae fit toxicum; quod ſolis fere illis beſtiis nocet, aut aliud expreſſe permiſſum ſit.

Feles et canes, ſi inde nemini injuria fit, qualicunque veneno occidere licet; dummodo in propinatione ejus caute procedamus; ne haec animalia in furorem agantur, et inde infinita mala oriantur. Quodſi homo a furioſo hoc animali morſus fuerit; factum per ſe licitum in delictum incidit. Nemo enim rei ſe immiſcere debet, quam non intelligit, et de cujus exitu ſalus hominum pendet.

CAPUT. IV.

De Veneficio culpoſo animalibus furioſis aut venenatis commiſſo.

§. XLVI.

Negligentia, quae circa animalia in rabiem prona committitur.

Vidimus in praecedenti §pho, Veneficii culpoſi reos eſſe, qui per animalia veneno in furorem acta damnum dant. Eiusdem delicti reatum incurrunt, qui in cuſtodiendis, nutriendis et curandis animalibus, quorum natura in rabiem prona eſt, negligentes ſunt, ſi haec animalia furore correpta hominem vel bruta, quibus veſcimur, momorderint. Nam, ut de terrore taceam, qui ex morſu beſtiae, etiam non furioſae incutitur; periculoſiſſimum venenum animale morſis

a be-

a beſtia rabida infertur, quod immanem hydrophobiam, horrendae mortis praecurſorem, utplurimum producit o; atque multi ſaepe cives in capitis vocantur diſcrimen. Hinc legislatores prudentes omni tempore operam dederunt, ut haec mala praecaverentur.

Leges Moſaicae jam graviter animadvertunt in eos, qui negligentiam in cura et cuſtodia animalium committunt *p*) Idem apud Romanos praeſtabant *Lex Peſulania de Cane q*) et *Edictum Aedilitium r*). Eundem ſcopum ſibi propoſuit CAROLVS V *s*) dum nocentis beſtiae dominum eam removere juſſit, atque pro momentis factum concomitantibus modo leviorem, modo graviorem poenam dictavit, ſi talis beſtia hominem laeſerit, aut plane occiderit.

Hodie etiam vario modo in plerisque locis cautum eſt, ut civium vita ac ſanitas contra animalium noxiorum in genere *t*) et inprimis canum, impetum in tuto eſſet.

Scili-

o) cf. Diſſ. noſt. *de Venef. dol.* §. 3.
p) *Exod.* XXI. *v.* 29.
q) RITTERSHUSIVS et SCHVLTINGIVS in notis ad *Sent. Rec. Julii Pauli* L. I. T. XV. 1. *in Scultingii Jurisp. Ante Juſt. p.* 252.
r) L. 40. L. 41. L. 42. *ff. d. aedil. edict.*
s) *art.* 136. C. C. C.
t) Huc pertinet e. gr. quod ante paucos conſtituit Magiſtratus Argentoratenſis, ne amplius urbem ingrederentur, qui urſorum turpium ſaltatu, panem ſibi comparare ſtudent.

Scilicet, quum rabies canina, multis in locis graſſaretur: Principes atque magiſtratus, edictis atque decretis caverunt, ut ii, quorum culpa canes in furorem acti, aut jam furioſi nocuerunt, juſtis poenis ſubjaceant. Quinimo, ut ſtirpem ac ſemen horum malorum extinguerent atque delerent: varia ſanciverunt, quae partim ad diminuendum canum numerum, eorum cuſtodiam *u*); partim

u) Ordinationi *Curiae ſupremae Manhemienſis*, ut et *Decreto Senatus Argentoratenſis*, nemini; exceptis quibusdam perſonis, quorum conditio canes requirit, licet canes alere; niſi ſignum iis appendeant, heic pro 3 Libris Turonenſibus; illic, pro 10 Imperialibus a magiſtratu conceſſo. Qui tale ſignum Argentorati non petierunt, canes ſuos manu ducere tenentur. Per *Ord. Manh.* porro lanionibus ultra duos canes habere non licet, et quidem in urbe alligatos aut extra eam ductos, praefixis, ſi illis ad agenda bruta utuntur, roſtro capiſtris. Eadem *Ord.* maiores canes (groſe Wind- Hez- und Fanghunde) privatae civilis conditionis hominibus penitus interdicti ſunt. Denique canis furioſi vagantis dominus plectitur v. Verordnung der Kurpfälziſchen Regierung von den Jahr 1759. 1766. renovatae et auctae d. 19. Jul. Manheim 1779. *art.* 1. 2. 4 5 et 14. Verordnung gnädiger Herren Räth und Ein und zwanzig, der Stadt Strasburg. Die nöthigen Anſtalten, ſo wegen denen mit Wuth befallenen Thieren zur allgemeinen Sicherheit vorzukehren ſind betreffend *d. c* 1778. *art.* 3.

Aliis

partim ad furioſorum perſecutionem *x*); partim etiam ad hominum morſorum curam ſpectant. *y*).

§. XLVII.

Aliis locis, in pagis praeſertim, ruſticis iniungitur, ut canibus ſuis fuſtes alligent.

x) *Ord. Manh. cit. art.* 15. *et* 16. cautum, ut, ſi canis furioſus aliquo vagatur: illud ſtatim campanae ſigno civibus indicaretur, quo ſaluti proſpicerent. Quo facto duo equites ſclopetis armati ad perſequendam beſtiam emittuntur.

Argentorati quicunque civitatis aut banni incola de animali furioſo vel ſuſpecto aut de homine a tali beſtia morſo certior factus, illud Conſuli regenti (regierender Ammeiſter) indicare debet, qui pro ratione utilitatis publicae, quae reſpectu perſonae, canis et ſuppellectilis venenatae fieri debent, mandat. Et ſi forſan pauperum ſuppellectilem cremare ſuaſerit prudentia: damnum magiſtratus compenſat. v. *cit.* Straſb. Verord. *art.* 1. *et* 4.

y) Quod ad curam morſorum attinet, Palatinus ille magiſtratus in pluribus civitatibus in den Kurfürſtlichen = Haupt = und ſamtlichen Oberamtsſtädten, certum locum deſignari juſſit, in quo illorum ſanitas ab imminenti periculo liberaretur v. *cit.* Verord. der Curpf. R. *art.* 18

Magiſtratus Argentoratenſis quoque ſapienti conſilio adjacens civium noſocomio aedificium extruere curavit, ubi homines a canibus rabidis morſi Medicorum curae mandantur.

Me-

§. XLVIII.

Negligentia, quae circa animalia venenata committitur.

Ad eos, qui veneno animali mediate nocent, pertinent denique *agyrtae* et *circulatores*, qui venenatis ſerpentibus, ſcorpionibus etc. damnum dant. Hos *extra ordinem* leges Romanae puniunt *z*).

CAPUT V.

De Commercio illicito venenorum.

§. XLVIII.

Venena ſimplicia.

Ad Veneficium culpoſum pertinet quoque commercium incautum venenorum, quae ſua natura talia ſunt, vel *ſimplicium* vel *compoſitorum*. De illis praecipue priori loco dicendum.

Apud Romanos venenorum malorum, *quae nullo modo, adjectione alterius materiae uſu nobis eſſe poſſunt*, non contrahebatur emtio *a*). Porro *SCto effectum eſt, ut pigmentarii, ſi cui* TEMERE *cicutam, ſalamandram, aconitum, pituocampas, aut bubroſtin, mandragoram et id*

Methodus hoſce aegrotos ſanandi publica auctoritate hinc inde prodiit.

z) L. *fin. ff. de extr. crim.* Matthaeus *de crim.* L. *XLVII. T. V. c.* 4. *p.* 195.

a) L. 35. §. 2. *ff. de contr. emt. vend.*

id quod luſtramenti cauſſa dederint canthari-das, poena teneantur Legis Corneliae *b*). Ubi vocem TEMERE non de *animo necandi*, ſed de quovis ſtulto et imprudente commercio intelligendum eſſe, recte obſervat BOEHMER *c*); alias enim SCtum hoc inutile fuiſſet, quum Lex Cornelia jam eos, qui venenum *necandi cauſſa* vendiderint, ordinaria veneficii doloſi poena cöercuerit *d*). Illud tamen temperamentum addendum eſſe exiſtimo, quod ad effectum poenae ordinariae requiratur, ut TEMERARIA venditio mortis cauſſa ſit *e*).

NEMESIS CAROLINA ad promiſcuam veneni venditionem impediendam civitatum rectoribus injunxit, ut eos, qui toxica vendunt, jurejurando obſtringant, ne ignorante magiſtratu venena privatis vendant. En verba Legislatoris: Jtem es ſollen auch alle Oberkeyten an jeden ortten, die Apothecker und ander ſo gifft

b) L. 3. §. 3. *ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef.*

c) *Ob.* 1. *ad Carpz Q. XX.*

d) Arg. L. 38. §. 5. *de poen.* quae lex quoque de *temeraria* actione agit, atque etiam exceptionem a regula ſiſtit. v. Diſſ. mea *de Venef. dol.* §. 11.

e) ll. citt. Hoc itaque Sc. ratione pigmentariorum exceptionem a regula generali ſiſtit, quae *animum necandi* ad effectum poenae ordinariae Legis Corn. requirit.

gifft verkaufen, oder damit handtiern, in glübt und Eydt nemen, das ſie niemandt eynig gift verkauſen noch zuſtellen, ohn anzeygen und vorwiſſen erlaubung derſelben Oberkeyt. *f*).

In Gallia Arreſto Curiae Supremae *Pariſienſis g*), et paullo poſt Edicto Regio *h*), haud ita pridem Declaratione Regia *i*) confirmato, indiſtinctum veneni commercium interdictum eſt. Huius Edicti *Art. VI.* cautum: *Défendons à toutes ſortes des perſonnes, à peine de la vie; même aux Medicins, Apoticaires et Chirurgiens, à peine de punition corporelle, d'avoir et garder de tels poiſons ſimples ou préparés, qui retenant toujours leur qualité de venin, et n'entrant en aucune compoſition ordinai-*

f) C. C. C. *art.* 37. Excuſationes quae pharmacopolis noxia vendentibus praeſto ſunt, affert BAJARDVS *ad Quaeſt.* 68.

g) *Arrêt du Parlement du* 27. *Fevr.* 1677. v. *III. Vol du Journal des Audiences* L. *II. ch.* 9. cf. *l'Arrêt du Parlement du* 3. *Mars.* 1732.

h) EDIT DV ROI *pour la punition de differens crimes de* 1682. *art.* 6. *et ſv.* cf. *Arrêt de Reglement au ſujet des poiſons.* Extrait de regiſtres du Conſeil *S*ouverain d'Alſace, *du* 10. *d'Avril* 1710. et aliud *du* 28. *de Fevr.* 1719. *Receuil d'Ord d'Alſace nouv. édit. T. I. p.* 390. *et p.* 532.

i) DECLARATION DV ROI *concernant les Empoiſonneurs du* 14 *de Mars* 1780.

paire, ne peuvent ſervir qu'à nuire, et ſont de leur nature pernicieux et mortels. Art. VII. A l'égard de l'Arſenic, du Réagale, de l'Orpiment et du Sublimé .. Nous voulons ... q'uil ne ſoit permis qu'aux Marchands qui demeurent dans les villes, d'en vendre, et d'en livrer eux-memes ſeulement aux Médecins, Apoticaires, Chirurgiens, Orfévres, Teinturiers, Maréchaux et autres perſonnes publiques, qui, par leur profeſſions, ſont obligées d'en employer; leſquelle néanmoins écriront, en les prenant, ſur un regître particulier, tenu pour cet effet par leſdit Marchands, leur noms, qualités et demeures, enſemble la quantité qu'ils auront pris deſdits mineraux etc.

Nec deficiunt leges atque ſtatuta particularia, quae inconſultis veneni venditionibus obicem poſuerunt.

Seculo XV *k*) iam Argentoratenſium ſtatutis cautum eſt, ne venena niſi hominibus integrae famae et nemini ad mures delendos venderentur. A. 1558. haec prohibitio renovata eſt *l*) A. 1694. cautum, ne quis, niſi pharmacopola ſit

k) vid. Statutenbücher oder Sammlungen T. XXIV. *fol.* 38. *et* T. XXVIII. *fol.* 244. Strasb. Archiv.

l) v. XXI. Memorial ad h. a. *p.* 14. 15. 50. Ibidem.

ſit, venenum carptim (*en détail*) aere commutaret *m*). Auctius et emendatius ſtatutum prodiit a. 1769. quo omnibus et ſingulis, immo ipſis pharmacopolis ex laudabili eorum conſenſu merorum venenorum inprimis Arſenici commercio in poſterum interdictum eſt; adeo, ut qui contra hoc praeceptum peccat, accuſari atque pro re nata mulcta immo poena corporis afflictiva plecti poſſit. Excepti ſunt duo pigmentarii (Materialiſten), quibus ſub certis conditionibus pharmaci venditio excluſive permiſſa eſt *n*).

Huc quoque pertinent prohibitiones factae, cum in ordinationibus *Norimbergenſi* Medicorum *o*), *Lüneburgica* ad pharmacopolas *p*) directa, et *Magdeburgica* politica *q*); tum in ſtatutis *Francofurtenſibus r*) aliarumque civitatum *s*).

§. XLIX.

m) v. Raths-Protocoll. ad h. a. *p*, 1162. Ibidem.

n) Obrigkeitliche Verordnung den Kauff und Verkauf des Giftes betreffend *Decret.* bey Gnädigen Herren Räth und XXI. den 11. *Decemb.* 1769. *art.* I. II. *et ult.*

o) *d. a.* 1595. *no.* 35

p) Lüneburgiſche Apotheker-Ordnung *d. a.* 1606. *c.* 4.

q) Magdeburgiſche Policei-Ordnung *c.* 4.

r) *d. a.* 1668. *renovat. a* 1718. *et* 1753.

s) cf. VHOMAS. de jure pharmacopol *Beyer ad* C. C. C. *art.* 37. *P.* 35.

s) cf. *Thomas* de iure pharmacopol. *Beyer ad* CCC. *art.* 37. *P* 35.

§. XLIX.

Venena compoſita. Mangonia nociva.

Haec potiſſimum de venenorum ſimplicium commercio. Item dicendum de venenis *compoſitis.* Ab his tamen probe diſcernendae ſunt illae compoſitiones, quibus vera venena corriguntur, atque in utiliſſima medicamina transmutantur *t*). Huc e contrario referendae ſunt illae compoſitiones, quibus res innocuae atque ſalutares venenorum admixtione adeo mutantur, ut ſanitati interitum parent. Huius farinae ſunt praecipue *Mangonia nociva.*

Mangonia ſive mercium adulterationes qualescunque, ſi lucri faciendi cauſſa factae fuerint, illicitas eſſe, nemo facile inficias ibit; quia cum damno alterius locupletiorem fieri, ſine juſta cauſſa non licet. Quodſi haec facta vitae vel ſanitati interitum minantur: ad veneficia culpoſa

t) Sic e. gr. *Mercurius corroſivus*, vehementiſſimum venenum, certo modo compoſitus, innocuum, quin ſaluberrimum medicamentum praebet. Idem de *Opio* ſimilibusque pharmacis dicendum. cf. SPIELMANN *Mat. Med. his vocibus*, *Idem et Ehrmann* Diſſ. *de Hydrargyri praeparatorum internorum uſu. Argent.* 1761. *Tralles Uſus Opii.* Cautelas, quas Leges Gallicae in compoſitione medicamentorum, quibus venena admiſcenda ſunt, requirunt, exhibet *art. IX. cit. Edicti d. a.* 1682.

optimo jure referuntur. *Venenata* eiusmodi *Mangonia* innumera hominum excogitavit avaritia. Ex hoc fonte inexhauſto, quaedam praecipuorum exempli loco in medium proferre liceat.

Quis ignorat, vina mille modis a nequam et improbis oenopolis adulterari *u*)? Carthaginenſes et Romani *Calce* et *Gypſo* vina corrumpebant. Iisdem et hodie Hiſpaniae mercatores atque ſervos Barbariae uti, refert IOH. BEKMANN *x*). Cave autem, ne hocce mangonium, cum illa encheireſi confundas, qua, teſte SPIELMANNO *y*) in regionibus calidioribus uvas contuſas, ante expreſſionem calce viva obtegunt, ut aqua imminuta, fermentationis juſto maior ob fervidum coelum impetus imminuatur. Peſſimum omnium vini mangonium, illud eſt, quod ex Lithargyro aut alio praeparato plumbeo conficitur, atque horrendum colicarum genus, *Colicam Saturninam* producit quam Galli *Colicam Pictonum* (*Colique de Poitu*) *z*) vocant. Morbum hunc ita, ut

u) Qui bella ſcilicet haecce artificia cognoſcere cupit adeat libellos MStos, qui a patre ad filium, tanquam precioſiſſima quandoque arcana, apud multos vini mercatores tranſeunt, quosque vulgo Weinbüchlein vocant.

x) Beyträge zur Geſchichte der Erfindungen. II. St. Leipz. 1781. 8. II. Auff. S. 179.

y) *Inſt. Chem. Exp.* 125.

z) Quia ibidem valde graſſata eſt, ignorata per quod-

ut ſeculo praeterito in Suevia ſaeviit, decripſere GOCKEL *a*), JAEGERSCHMID *b*) aliique. Docimaſiam, ſigna, cauſſas et noxam vinorum ita infectorum ZELLER et WEISSMANN *c*) MATTHISSEN *d*), STRUVE *e*) et haud ita pridem WOLLIN *f*) atque ROZIER *g*) exhibuerunt. Initio Seculi noſtri curia ſuprema Alſatiae poe-

S 3 nam

quoddam temporis ſpatium, vera huius morbi cauſſa; quae in plumbeis inſtrumentis latuit, quibus Pictones vaſa torcularia inſtruebant cf. *Zitteſius de Colica Pictonum.*

a) Curieuſe Beſchreibung des im J. 1694. 1695 und 1696. durch das Silberglett verſüßten ſauren Weins und der daraus entſtandenen und vormals unerhörten Wein-Krankheit. Ulm 1697. 8.

b) *Tr. de Colica Spasmodica et pareſi ex vino, ſive detracta mercurii larva ſub Schemate litargirii* Giengen 1698.

c) Diſſ. ſiſtens *Docimaſiam etc. vini lithargyro mangoniſati variis exper. illuſt.* Altorfii 1721.

d) Diſſ. *de vinis lithargyrio infectis ex colica paretico convulſiva ex hauſtu eorundem oriunda.* 1745.

e) (Heinrich) von der Prüfung der mit Bley verfälſchten Weine. In der erſten Fortſetz. des Hanauiſchen Magazins v. J. 1779. II. Band 2tes St.

f) Von der Verfälſchnng des Weins mit Bleyglett. Altenb. 1778. 8.

g) *Journal de Phyſique T. III. P. I. p.* 114. 133. Eandem rem in compendio exhibet Crell Chemiſches Journal 6. Th. Lemgo 1781. 8. III. no. 16.

nam arbitrariam dictavit ei, qui vino rubro, quod *Solano* (de la Morelle Waldnachtſchatten) adulteraverat homini mortis cauſſam dederat. *h*). Hiſtoriam vini corruptionum tradit BECKMANN *i*); ubi inter alia narrat: antiquiſſimam, quam novimus, Germaniae legem contra Lythargirii mangonium a. 1475. latam eſſe. Sed jam annis 1327 et 1384. in Belgio periculoſiſſima mangonia *Vitriolo, Mercurio et Lapide Calaminari* facta, prohibita eſſe, idem teſtatur auctor, et addit, ſimilem quoque ſanctionem a. 1371. in Gallia prodiiſſe. Num malitia eo uſque jam proceſſerit, ut et *ſpiritus*, quos vocant, *ardentes* plumbeis praeparatis corrumperet, ſeſe ignorare teſtatur PLOUCQUET *k*). Quodſi factum eſſe ſuſpicaretur, ad conſueta plumbum in vino detegendi experimenta recurri jubet.

Illis, qui vina adulterant, non multum abſimiles ſunt, qui, quod in noſtris regionibus ſaepe fit, ut vile vinum dulce atque gratum per

h) *Arrêt de réglement du Conſ. Souv. d'Alſace* du 2 *Sept.* 1718. *Rec. d'Ord. d'Alſ. nouv. éd. T. I. p.* 527.

i) Beyträge zur Geſchich. der Erfind. II. St. II. Auſſ.

k) Warnung an das Publikum. (nota 127. hi Diſſ. p. 41.

per aliquot menſes hoſpitibus propinare poſſint, recens muſtum maiori dolio ita infundunt, ut ſingulis amphoris per intervalla ingeſtis, accenſo more vietorum ſulphure (Faßbrand), fauces obturent, ſicque magno ſanitatis detrimento fermentationem cohibent.

Gravior cenſura vexare debet cereviſiarios et caupones, qui aceſcenti cereviſiae cinerum ſal, quod *Alcali* a chemicis vocatur, nimia quantitate immiſcent; cuius vis tanta eſt, ut, qui talem cereviſiam biberunt, ſanguinem mingant, articulorum doloribus, aliisque morbis corripiantur. *l*).

Mala fraude ſolent etiam herbas temulentas incoquere avari *m*).

Pernicioſa encheireſi, qua praeparatis plumbeis vina venenant pecuniarum accipitres, noſtro aevo varia olea, *lini* potiſſimum et *napi* eo adducere tentarunt; ut oleo olivarum redderent,

l) *Hebenſtreit Anthropolog. for. S. I c.* 2 ∮ 17. cf. *Hoffmann* Diſſ. *de caut. et circum. ſp. venen. dat. accuſ.* ∮ 14: Huc autem non pertinet illa encheireſis, qua paucis guttis ſolutionis alcalinae vina corriguntur.

m) *Hebenſtreit* l. c.

derent, quam ſimillima. Hoc tamen artificium, quo in *Collect. Wratislav.* *n*) laudatur, et Pariſiis quoque in uſum trahi coepit *o*); ob peſſimos, quos edere poſſit, in corpus humanum effectus, cum NEUMANNO *p*), atque REAVMURO *q*) damnat SPIELMANN *r*), cui accedit LEHR *s*) qui etiam methodum tradit, qua fraus iſta detegi queat.

Unius adhuc mangonii mentionem faciam, cuius effectum ipſe vidi. Nimirum ſana atque robuſta puella pulverem crinalem (Puder, *poudre à poudrer*) vulgarem emit; et poſtquam eodem die depurandis ornandisque operoſa capillis, pulvere illo caput inſperſerat:

n) *Tentam.* XXXI. *p.* 208.

o) *Réaumur Mém. de l'Acad. Royale de Science* 1746. *p* 495.

p) *Miſcell. Berolinenſ. T. IV. p.* 321.

q) l. c. *Ce ſecret*, inquit, *a eu de facheuſes ſuites pour ceux, qui avoient cru acheter à bon marché, et qui avoient acheté trop cher ces huiles aducies; les funeſtes effets qu'elles produiſirent ſur quelques-uns de ceux qui en mangerant, ſont rapportés dans les Ephémérides de Curieux de la Nature.*

r) *Inſt. Chem. Exp. XVI. p.* 92.

s) Diſſ. Botan. Med. *de Olea Europaea. Goettingae* 1779. § 41. *ſq. p.* 54.

ſerat: craſtina die illud totum fuit exulceratum. Suſpicatus mangonium, in arte peritos conſului, qui memet certiorem reddiderunt, huncce pulverem quandoque calce viva vel ſimilibus rebus infici. Paullo poſt in manus incidit REUSSII, *t*), libellus, in quo hic auctor idem affirmat, et de perniciosis talium mangoniorum effectibus teſtatur.

Haec de mangoniis nocivis ſufficiant *u*). Quandoque ignoranter rebus innocuis venenum immiſcetur; eaque in vulgus venduntur. Sic e. gr. *Fungis* bonis quandoque virulenti, *Petroſelino* et *Cerefolio Cicuta* immiſcetur. Quum autem hic rarius culpa concurrat, hae actiones a foro poenali fere ſemper abſunt. Nihilominus tamen inſpectoribus harum mercium impenſe commendanda ſunt.

CAPUT

t) Mediciniſch Oekonomiſche Unterſuchung der Eigenſchaften und Würkungen eines ächten und verfälſchten Puders etc. Tübingen 1781.

u) Qui plura mangonia noſcere cupit, adeat librum cui titulus: *Les ſecrets et les fraudes de la chymie et de la pharmacie modernes dévoilés à la Haye* 1759. 8.

CAPUT VI.

De commercio rerum corruptarum morbo, vetuſtate etc.

§. L.

Alimenta.

Ultimo loco de iis dicturi ſumus, qui *alimenta* vel *medicamenta* ſua natura innocua, ſed morbo, vetuſtate, fermentatione aut alio modo corrupta, ſcienter pro bonis vendunt. Hoc *Veneficii culpoſi* genus valde periculoſum eſt, quum et ſani et aegroti, illi, dum vires reficere, hi, dum corpus ſanare cupiant, contrarium plane obtineant. Inter eos, qui corruptis alimentis venenant, eminent, qui annonam, panem, carnem, ſalſamenta, olera, vina, dicto modo corrupta vendunt; de quorum venenata vi teſtantur Medici *x*).

Optimum ad haec mala praecavenda reme-

x) *Thomae Reineſii Schola JCtorum medica L. I Sect. IV. de vitiis eduliorum praecavendis, p.* 124. *ſeq.*

medium eſſe ſollicitam alimentorum inſpectionem ſenſerunt jam olim graeci, qui propterea particularibus quibusdam Magiſtratibus Σιτῶναι et Ἀγορανόμοι *y*) dictis harum rerum curam demandarunt.

Illius gentis exemplum ex parte ſecuti ſunt Romani, dum *Aediles* z) atque *Praefectos urbi* a) his mercibus praepoſuerunt. Optimo jure tamen miratur LEYSER *b*), Romanos juſtum pretium magis curaſſe, quam mercium bonitatem. Parum eſſe putat, quod in *L.* 1. *C. de canone frumentario urbis Romae L. XI.* praefecti frumentum, quod provinciales populo Romano alendo conferebant, eo tempore, quo ad

y) *Theophraſtus de Legibus* cf. Potters Archäol. 1 B. Kap. 15. T. 1. ps 171.

z) *L.* 2 §. 21. *ff. de orig. jur. Varro de lingua Lat. IV.* p. 20 cf. *Heinec. Antiq. Rom.* L. *I. T. II.* ∮ 26.

a) *L.* 1. ∮ 11. *ff de offic. praef. urb. Caſſiod. Var. VI.* 18. *cf. L. Turcii Aproniani,* Praefecti urbis Edictum, *de venditione carnium,* et alterum *de ſuariis et ordinibus, qui ſuariam faciunt,* et *Heineccii* ad illa obſervationes in *Eiusdem Opuſc. poſt. Halae* 1744. 4. *T. I. L. I. c.* 5. §. 6. *ſqq. pag.* 58.

b) *Spec.* 609. *m.* 28.

ad urbis portum pervenit, adſpicere, ne quid in eo ſit vitii, jubeantur; ſi cum immani illo privilegio comparatur, quod fiſco res vitioſas impune vendere permittit in *L.* 1. *§.* 3. *ff. de Aedilit. edict.* quin etiam jubeat in *L.* 1. *C. de conditis in publicis horreis L. X.*

Hodie alimentorum curam ad eos magiſtratus ſpectare, quibus *Politia*, ut vocant, commiſſa eſt, vix eſt quod moneam.

Eum, qui, alimenta vitioſa vendendo, hominis neci cauſſam dedit, ſi ille ſcivit vel ſcire debuit, iſtam rem morbos gignere: argumento *L.* 38. *§.* 5. *de poen. L.* 15. *pr. ff. ad L. Corn. de Sic. et Venef. et c. ult. de homicidio in* 6. ad gladium damnat LEYSER *c*).

Eidem ſententiae adſtipulor ratione eius, qui *ſcivit* alimenti vitioſi effectum; non tam ob leges a LEYSERO citatas, quam quia animus nocendi adeſt, cum improbo lucro coniunctus; adeoque, homine necato, reo non inſervire poteſt excuſatio, quam requirit *C. C. C. art.* 137. *ſqq.* ut homicida a poena gladii abſolvi poſſit. Non idem valet de eo qui modo *ſci-*

c) l. c.

ſcire potuit malum effectum alimenti corrupti; quia hoc in caſu ſola culpa ſubeſt.

Quodſi is, qui alimenta vitioſa vendidit, nemini nocuerit: ad poenam tamen corporis afflictivam quandoque procedi poſſe cenſuerunt *Jenenſes*; dum lanionem, qui ſciens infectas oves mactaverat vendideratque ſed iis nemini nocuerat, ad fuſtigationem damnaverint *d*).

§. LI.

Medicamenta.

Quod ad medicamenta corrupta attinet, in

d) Rohrs Haush. K. P. I. p. 904 In *Codice Politiae* ſupra (not. 175) citato *P. I. T. V. §. 2 no.* 2 ſequentia leguntur: *Les bouchers ne peuvent expoſer en vente aucune béte morte de maladie, ou atteinte de ladrerie, ni en debiter le chairs, non plus que de mouton qui ait le claveau. A cet effet les Jurês loivent leurs viſites, tant dans les tueries, que dans les boucheries, et faire rapport des contraventions aux Juges de Police.* et no 3. *Quand la ladrerie de porcs eſt parvenu à un certain dégré de corruption, il n'y a plus de remede; il faut en ietter les chairs.*

in omnibus bene conſtitutis rebus publicis ſtatutis cautum eſt, ut pharmacopolia ab artis peritis, vel ſtatis temporibus vel improviſo viſitarentur, et quae corrupta ſunt medicamina ſtatim rejicerentur *e*). Quodſi autem vitioſis medicamentis vitae vel ſanitati hominum ſua culpa nocuerit, pharmacopola; veneficii culpoſi reus eſt, et pro re nata punitur.

e) cf. de civitate Argentoratenſi, die Apothecker Ordnung *ſ.* 24. *ſqq.* in Straſb. *Colleg. Med. p.* 31.

COLLECTIO OPVSCVLORVM SELECTORVM AD MEDICINAM FORENSEM SPECTANTIVM

CVRANTE

DR. IOAN. CHRIST. TRAVGOTT SCHLEGEL

CELS. COMIT. REGN. DE SCHOENBVRG-WALDENBVRG CONSIL. ET ARCHIATRO, DYNASTIARVM WALDENBVRG ET LICHTENSTEIN &C. PHYSICO ORDINAR.

VOL. IV.

LIPSIAE

IMPENSIS CAR. FRIDER. SCHNEIDER.

1789.

EX LIBRIS
G: IORDAN

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO

CELEBERRIMO

IOANNI EHRENFRIED

P O H L

PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE

DOCTORI

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE

CONSILIARIO AVLICO ATQVE ARCHIATRO,

BOTANICES IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI, FACVLTATIS MEDICAE ASSESSORI SOCIETATIS NATVRAE CVRIOSORVM ET OECONOMICAE LIPSIENSIS MEMBRO &C.

HOCCE VOLVMEN QVARTVM

D. D. D.

VNAQVE

SE RESQVE SVAS DE MELIORI NOTA

COMMENDAT

E D I T O R.

CONSPECTVS
Contentorum
Voluminis Quarti.

XIX.

Dr. *Ern. Gottl. Boſe*, Progr. de diagnoſi veneni ingeſti et ſponte in corpore geniti. Lipſi. 1774. - - Pag. 1.

XX.

Dr. *I. Dan. Metzger*, Progr. de veneficio caute diiudicando Regiomonti, 1785. 17.

XXI.

XXI.

Dr. *Ern. Gottl. Boſe.* diſſ. de vulnere per ſe lethali homicidam non excuſante. Lipſ. 1758. Reſp. *Ioann. Chriſt. Müller.* . . Pag. 26.

XXII.

Dr. *Ern. Gottl. Boſe*, Progr. de ſugillatione in foro caute diiudicanda. Lipſ. 1773. 67.

XXIII.

Dr. *Phil. Conr. Fabricii*, Progr. quo cauſſae infrequentiae vulnerum lethalium prae minus lethiferis ex fabrica corporis humani anatomica et ſitu partium praecipue eruuntur. Helmſt. 1753. 79.

XXIV.

Dr. *Ioan. Ern. Hebenſtreit*, Progr. de corpore delicti, medici ſecantis culpa, incerto. Lipſ. 1773. 97.

XXV.

Dr. *Chriſt. Gottfried. Gruneri*, diſſ. de cauſſis me-

melancholiae et maniae dubiis in medicina foренſi caute admittendis. Iena. 1783. Reſp. *Martin. Ludov. Wittwerk.* Pag. 110.

XXVI.

Dr. *Burchard. Dav. Mauchart,* diſſ. de lethalitate per accidens. Tubing. 1750. Reſp. *Sigism. Palm.* 140.

XXVII.

Dr. *Ioan. Guilielm. Werner,* diſſ. qua evincitur, medicinam forenſem praeter differentiam, vulnera in abſolute lethalia et per accidens diſtinguentem, nullam prorſus agnoſcere. Regiomonti, 1750. Reſp. *Dav. Schulz.* 172.

XXVIII.

Dr. *Ioan. Torkos,* diſſ. de renuntiatione lethalitatis vulnerum ad certum tempus haud adſtringenda. Gottingae, 1756. 200.

XXIX.

Dr. *Ioan. Bernard. Schnobel,* diſſ. de partu

ſero-

rotino in medicina forenſi temere nec affirmando nec negando. Ienae, 1786. Pag. 232.

XXX.

Dr. *Ant. Guilielm. Plaz.* Progr de ſoſtris. Lipſiae 1768. 268.

XIX. DR.

XIX.

DR. ERNESTI GOTTLOB BOSE

Progr.

De

Diagnoſi veneni ingeſti et ſponte in corpore geniti.

Lipſiae, 1774.

Multa ſunt et grauia ſaepe, quae corpus humanum vehementer adfligunt, incommoda, et ex iis haud pauca, quae deſtructionem eius et mortem moliuntur atque producunt. Maximum itaque crimen illud cenſendum eſt, quod doloſe, ſani alias corporis, integritatem et praemeditato quidem convellere ſtudet conſilio, eo quidem modo, vt de vita illud periclitetur. Hinc in veneficos etiam antiquis iam temporibus animaduerſum eſt, noſtrisque pariter legibus ſeue-

ris cauetur, ne quis impune culpae talis reus exiſtat. Eo maiorem hinc medicis curam adhibendam eſſe apparet, vt certis conſtet notis, cauſſam mortis in veneni vim coniiciendam eſſe. Etſi vero manifeſta eſſe creduntur indicia, quae veneficium praegreſſum declarant, ſtudioſior tamen eorum perueſtigatio non parum ambiguitatis relinquit, quae magna demum cum difficultate tollatur. In primis, quod plenior obſeruatio docuit, aeque in ipſo corpore naſci poſſe mutationes, quae ex omni parte ſimiles ſint iis, quae poſt venenum datum aut adſumtum ſequi deprehenduntur. Qua propter haec nobiſcum perpendentes, in data hac ſcribendi opportunitate non incongruum eſſe duximus, diagnoſin, ſi fieri poteſt, certam efficere, qua veneni accepti aut intus ſponte geniti differentia pateſcat.

Multiplex quidem vis venenorum eſſe deprehenditur, multiplex etiam, quae ex diuerſitate indolis eorum naſcitur corporis corruptio, omne tamen id, quod corpori noſtro applicatum, in exigua admodum mole pernicioſos producit et letales effectus, hac denominatione ſignificatur. Accedit etiam, vt diu in corpore nec lateat nec quieſcat, ſed protinus inuſitatas quasdam turbas, easque vehementes excitet. Illorum namque venenorum, quae lenta dicuntur, quamuis deleteria ſua virtute vitae certo inimica ſunt, agendi ratio et obſcura eſt, et in foro quoque ex effectibus ſolis, in cadauere obſer-

uan-

uandis, obſcure illa eluceſcunt. Etenim morbos inde chronicos produci videmus, quibus tamen et aliae variae cauſſae dant originem, aegre enucleandae et ex praegreſſis demum conditionibus, collectis atque inter ſe comparatis intelligendae, inter quas malitioſi rei propriam confeſſionem praecipuam eſſe futuram opinamur.

Etſi itaque in celerrima et nocentiſſima actione, cui nulla alia praediſponens anteceſſerit, ſignum euidens haberi dicitur, quod certitudinem aecepti veneni faciat, ita tamen parum convenire naturae rei hanc opinionem demonſtrabimus, vt pro vniuerſali adſumi nequeat: quod vero adeo eſt neceſſarium, vt in foro, ex ambigua conditione de dolo aut culpa tum peregrini, tum illius,, qui pro autochiro habetur, certi quid, alias decerni non poſſit. Interim complicatae admodum cauſſae ſunt, quae corpus humanum infeſtant, quae ſingulae ſatis efficaces, coniunctae eo maiorem vim exercent, talem ſcilicet, quae a ſimplici quadam vel plane non, vel eo certe modo non produceretur, quo pro ratione factae coniunctionis furere deprehenduntur. Omnes eas noſſe decet medicum, trutinare ſingulas et coniunctas rimari atque aeſtimare, quo conſtet, num effectus obſeruati illis adſcribi poſſint, nec ne. Sunt deinceps conſpicuae quaedam et luculentae ſequelae, quarum cauſſam

et originem inuenire difficillimum, quam ignari et deſidioſi ſcrutatores magicis artibus adſcribere potius, ſcindentes magis ac ſoluentes nodum, malunt, quam indefeſſa cura de vero conuinci. Ea tandemcorpora naturalia, quae per ſe venenaeſſe iudicantur, non raro ſalutarem edunt effectum, dummodo cum aliqua prudentiore ſollicitudine adhibeantur, vt exinde relativam eorum, vt dicunt, potentiam eſſe appareat, ſiquidem peculiaris etiam corporis diſpoſitio aliquando ad augendam dati pharmacifacultatem non parum contribuat. Cuncta quidem haec momenta ita comparata ſunt, vt moleſtam non ſolum, ſed laboris etiam plenam reddant diſquiſitionem, quum ipſa denſo ſub velo abſcondatur veritas. Quibus ſi addiderimus ſubtilem et penetrantem nonnullorum venenorum vim haud raro in neruos agere eosque ſubito adficere, denuo nouum difficillimae indagationis fontem detegimus. Latentia porro grauium nonnunquam morborum miaſmata diu in corpore oberrare ſine luculento effectu conſtat; quae excitata demum fauente occaſione multum agitantur et ſuo reniſu morbos vix praeuiſos et inopinatos progenerant, qui ex tyrannide, quam exercent, pro talibus habentur, quae ex veneno prouenerint. Tot ergo tantaeque rationes tum in facienda medicina occupatum medicum adhibendam ſummam ſolertiam ſollicitant, tum in foro etiam verſantem, qui ad iudicem, adminiſtrandae

dae iuſtitiae ſacerdotem, referre eumque de certitudine corporis delicti inſtruere debet.

Si vero de accepto vel ſumto veneno ſuſpicio enaſcitur, non ea ſolum bene ſcrutanda ſunt, quae conditionem ſtatus antecedentis manifeſtant, id eſt eam, in qua ante veneni vſum offendebatur illo adfectus, ſed etiam, quae protinus veneni adſumtionem ſequuntur et quae tandem, ſi idoneis remediis antidotisque a periculo vitae liberari non potuerit, in cadauere, ceu luculentiora documenta, occurrunt. In his autem momentis pluribus, praecipue, ſi eorum efficacia vnita conſideratur, eam arbitrantur ineſſe veritatis probandae vim, vt omnis pene dubitationis error eripiatur. Niſi tamen me omnia fallunt, facta curioſiore perſcrutatione et collata cum experientia omnem nihilo ſecius ambiguitatem non deleri conſtabit. Volunt itaque, ſi quis ſanus viribusque integer fuerit, quod ex facili functionum quarumcunque exercitio concluditur, ſubitoque aſſumta aliqua re male ſe habeat, inde veneni accepti deſumere notam *a*). Sed, niſi omne virne ge-

a) Haec et alia, quae ſequuntur, ſigna ad determinandam veneni certitudinem ſufficere adfirmant. MICH. ERN. ETTMÜLLER in Progr. de Venenis Lipſ. 1729. FRID. HOFFMANN in Diſſ. de cauta et circumſpecta veneni dati accuſatione Halae 1734. Item plerique medicinae forenſis ſcriptores v. c. TEICHMEYER. Inſtitt. med. legal. edit. FASELII Ienae

genus, omnis rerum non naturalium vſus, ideo conſtiterit, quem praecipiti curſu morbus inuadit, niſi de vitiis diaetae tutiſſimus ſit, niſi in corpore cauſſam nullam fuiſſe ſciamus, quae morbo opportuna fuerit, fallax et ieiuna erit praeſumtio, quod multi vulgo inter ſanos referuntur, quibus iam interior labes viſcera rodere coepit. Attamen, quoniam ex effectu deinceps noſcitur veneni praeſentia, ſymptomatum omnium concomitantium rationem habendam eſſe ſapienter praecipiunt, praeſertim, ſi mox, poſtquam aliquid ingeſtum eſt, tanquam ex cauſſa ſua exoriuntur. Augetur etiam metus et ſuſpicio, ſi ea ſit ſymptomatum grauitas, quae non vnam alteramque ſed omnes propemodum corporis actiones adficiat atque turbet, libertatem earum non impediendo ſolum, ſed peruerſitatem etiam inducendo, quae vniuerſae machinae interitum minetur. Protinus ſcilicet inducitur febris cum pulſus duritie, ſenſim magis ingraveſcens et in inflamatoriam tendens, qua reſpiratio citatior redditur, ſanguis in atriis cordis accumulatur et anxietas haud leuis in praecordiis excitatur, quae difficultatem ſpirandi continuo grauiorem reddit. Actionum etiam animalium ſequitur euidens admodum mutatio

nae 1762. 4. p. 176. ipſe FASELIVS. Elem. med. forenſ. édit. RICKMANNI Ienae 1767. p. 56. cet. Cum limitatione autem diiudicanda eſſe docet HEBENSTREIT Anthropolog. med. et LVDWIG Inſtitt. med. forenſ.

tatio, quippe quae ſolent febris vehementiae ſemper accomodari: vertiginem, aurium tinnitum, deliria, lenia ab initio, mox atrociora reddita, lipothymiam, ſenſuum abolitionem, ſpaſmos, conuulſiones, quod cauſſa quaedam non deprehenditur adeſſe, quae in ſano ante corpore tam cito et vehementer agat, ex veneficio proficiſci iudicantur. Deinde, quae vtique primario loco conſiderandae ſunt actiones, quas naturales vocare adſolent, conſtantiora et certiora praebere putantur criteria, quae ſcilicet ex applicatione toxici, vtpote quod ad ea loca vt plurimum primo defertur, graviſſime adficiuntur. Hinc in faucibus ardorem, ſitim ingentem, deinde cardialgiam, ſingultum, nauſeam, vomendi conatum, ipſum vomitum, dolorem colicum, ventris inflationem magnam, cum dolore coniunctam, alui copioſam et cruentam deiectionem, aut choleram, cui enormis accedit per oeſophagum et inteſtinum rectum euacuatio, vtrinque mucoſa et ſanguinolenta, frigus tandem extremorum, ſudores totius corporis ſub his laboribus magnos et frigidos, non niſi cum ingruente debilitate ſumma et morte ceſſantes, animaduertimus, eaque mala manifeſtam ſanae cauſae agentis et pertinacis culpam arguere concludimus *b*), Diffiteri vtique non poſſumus, ineſſe his conditioni-

b) *S*tudioſe collecta haec ſymptomata occurrunt penes TEICHMEYERVM lib. cit. cap. XX. qu. 7. p. 176.

tionibus, praeſertim, ſi plures concurrant, pondus, quod etiam dubitatione carebit omni, ſi velis, in quo eae eueniunt, ſe venenum ſumſiſſe, aut pet alia documenta, illum tale accepiſſe, liquidum reddatur. Num vero, deficientibus ſimilibus indiciis iure praeſumatur, ob praeſentiam grauiſſimorum ſymptomatum tentatum fuiſſe per veneni applicationem homicidium, alia profecto quaeſtio eſt, quam optime demum ſoluere poteſt id, quod ad euincendam veritatem ex cadaueris ſectione noſcitur. Hoc enim ſolito citius putredine corrumpitur, quae, ab omni licet defuncto non abeſt, in veneno enecatis tamen breuiſſimo intercedente temporis ſpatio ocyſſime perſentiſcitur, atque facillima cuticulae ſeceſſione, foetore faciei, ventris praecipue, deinde totius corporis intumeſcentia manifeſtatur. In interioribus porro locis, ſi oris fauciumque inflammatio, eroſio, nec non ventriculi et canalis inteſtinorum ſimilis deſtructio, liuor, gangraena, ſphacelusque occurrunt, ſi in his etiam partibus et in ſuperficie corporis externa liuidae ſugillataeque maculae et ſtigmata conſpiciuntur. Inde quidem, veneni natura licet declarari non poſſit, eius tamen praeſentem vim et noxam ſtabiliri, cum fiducia adſeueratur. Haec itaque et ſimillima phaenomena tanti aeſtimantur, quae nec medicum quidem, iuſta lance ponderantem omnia, fallere creduntur.

Vtut autem nos non latet, venenorum indolem

lem diuerſam in producendis quoque ſymptomatibus diſcrepare, et multa ex his, quae a nobis tradita ſunt, iis, quorum omnis potentia in neruos conuertitur, vel quae lentam admodum minimorum vaſculorum conſtrictionem producunt, ſenſimque corpus emaciant, non reſpondere: ſiquidem in his obſtructiones viſcerum lentae, ſcirrhoſae calculoſaeque potius, quam calidae inflammationes naſcantur: haec tamen omnia illam ſane ob rationem pathognomonica dici nequeunt, quod ſponte a cauſſis morborum, corpori ii haerentibus eadem poſſint gigni. Quod enim ad ſanitatem attinet, quae ſine labe eſſe putatur, ſubito eam corrumpi quotidiana experientia comprobatur. Nec non contagiorum et miaſmatum morboſorum eam obſeruamus fraudem eſſe, quae ſubdole in corpus ingreſſa, illud celerrime deuaſtent. Id, quod epidemice graſſantes morbi maligni et peſtilentiales confirmant, quare, num tales morbi regnent, aut num ille, in quo ob repentinam ſanitatis deprauationem venenum accuſatur, cum iis, qui eius modi morbis decumbunt, commercium habuerit, ante perueſtigandum eſt. Ipſi vero hi morbi, propter actionis ἐνεργίαν vtrum venena dici mereantur, nulli quidem dubitamus, in foro autem, vbi de veneni dati aut adſumti certitudine quaeritur, haec vtique λογομαχία locum non inuenit, quum alias miſera medicorum ſors, qui iubente id officio, contagia euitare non poſſunt, deter-

rima euaderet. Deinde acutiſſimorum morborum violentia animaduertenda eſt, quae, vti in apoplexia et catarrho ſuffocatiuo idem valet ad mortem concitandam celerem; itidem polypus ſubito ſede ſua excuſſus. Amicum vidi ex conuiuio aliorum amicorum, ex quo nec cibis nec potu repletus, hilaris autem et ſanus abierat, vix domum reuerſum, repente ſub anxiis moliminibus et vomituritionibus extinctum fuiſſe, quis venenum eum accepiſſe vel ſolo hoc ſigno coniicere auderet? Verum quidem eſt, incongruos et copioſos adſumtos cibos ſtomachum aeque onerare ac omnem labefactare digeſtionis officinam, illi vero, ſi omni carent venenata acrimonia, ſola corruptione putrida phaenomena produnt, quae venenis tribuuntur. Ex quibus ſane id effici velimus, vt ſanitatis mutationem inopinatam et vix credibilem ad diagnoſin veneni non pertinere pateat. Quandoquidem idem nobis iudicandum videtur ſiue vna alteraue, ſiue omnes ſimul corporis actiones impetu quodam afficiantur. Quis enim morborum etiam malignorum, quos vocant, neruoſorum, putridorumque aſtutiam neſcit? qui eo quidem modo laceſſunt vniuerſum nervorum ſyſtema, vt nulla pene pars intacta maneat, promtiſſime potius imbecillitas inducatur, cum inordinato et febrili ſanguinis motu. Tamen ipſa haec debilitas plerumque imminutam cordis et arteriarum vim ſecum habere ſolet, hinc pulſum paruum et depreſſum magis quam

magnum

magnum aut durum producet, vt in pulſu forte cauſſae ſignificatio occurrat? Sic arguitur. Verum eſt, dummodo tempora morbi diſtinguantur. Ab initio enim validis adhuc corporis viribus, omnis etiam adhibetur feruor et naturae quaſi reniſus ad expellendum hoſtem, aeque, ac vbi venenum ingeſtum eſt, deinde vero, aucta et accumulata materiae morboſae virtute pertinaciter vires ſupprimuntur, idque eo magis, ſi iam ante praedisponentes quaedam cauſſae adfuerint. Hae autem in ſuccorum aeque mixtione ac ſolidarum partium tenore continentur. Succi boni et elaborati, copioſiores in plethora facile corrumpuntur, quod aegre mouentur: mali et peregrinis ſcatentes moleculis in quacunque cacochymia, ſpontanea in peius ruunt, procliuitate. Quodſi ergo perdurauerit cauſſa, quoniam cito expelli nequit, et aegrius, ſi in corpore intus naſcitur ac ſi ingeritur, cum acre libenter vomitus cieat, in eam euehitur ſubtilitatem, quae neruorum principiis infenſa, eorum turbulentos motus atque furores, ſpaſmos conuulſionesque producat, aut obtundat et ſupprimat, ſeu lipothymias ſyncopesque prouocet, quod perinde in iam adnotatis morbis malignis ex deliriis et corruptionibus euidentibus ſuccorum dignoſcitur. Sed quia in omni pene morbo, locus, quo incipiat aut primum prodeat, certo determinari nequit, primos etiam virulentae eiusmodi geneſeos effectus ſtabili cuidam loco adſcribere impoſſibile eſt, et,

quod

quod in aliis ſolenne eſt, morborum materiis, vt quandoque per metaſtaſin huc illucque deferantur, id cum ſpontaneo illo venenato miaſmate eadem fieri ratione conſueuit. Quare, vbi ad ventriculum et inteſtinorum canalem delatum eſt, in primis viis ſimillima naſci poſſe ſymptomata, qualia intus datum venenum excitat, mirum non ſolum videri non debet, ſed per variorum quoque morborum probatur euentus. Rodens illa bilis acrimonia in febribus bilioſis, ſumma in dyſenteria, eam ſane moleſtiam infert abdominis viſceribus, vt praeter alia vomitus, ventris cruciatus, diarrhoea, maximis doloribus ſtipata, eroſio et inflammatio faucium, inteſtinorum, nec non ſpasmi, frigus extremorum et aliquando mors conſequantur. Id enim quod GALENVS *c*) iam olim adfirmarat, eosdem naſci adfectus, tum a veneno epoto, tum a corruptione humorum, quae ad eum vehementiae gradum adſcendat ni-

c) de loc. adfect. Lib. VI. c. 5. edit. Baſil. 1538. fol. P. III. p. 315. 44. Διαφθορά τίς ἐν ζώοις δύναται γενέσθαι τηλικαύτη τὸ μέγεθος, ὡς ἰῷ θηρίου παραπλησίαν ἔχειν ποιότητα τε καὶ δύναμιν: et paullo poſt etiam de medicis, ea de re dubitantibus affirmat, concedere, τὰ μὲν αὐτὰ γενέσθαι πάθη συγχωροῦσι, κατά τε τὰς τῶν θανασίμων φαρμάκων δόσεις καὶ τὰς ἐκ τοῦ σώματος ἡμῶν ὁρμωμένας διαφθοράς.

nonnunquam, vt vim, animali veneno ſimilem adſequatur, id nuper, vt exemplo vtar, egregie peritiſſimus declarauit MORGAGNIVS *d).* Refert nimirum *filiolum Franciſci Ridolfi, pictoris Foroliuienſis, tertiana febre maceratum, extenuatumue nouiſſime diris conuulſionibus ingruentibus confectum fuiſſe. Abdomine inciſo, apparuiſſe inteſtina ad contractum meſenterium retracta - - - - - quae, vt ventriculus quoque, multam continuerint aeruginoſam bilem, cuius attactu ſcalpellum violaceo colore fuerit infectum. Scalpellum, eadem bile ſtillans, in carnem vnius et alterius columbi leuiter impreſſum fuiſſe ſic, vt bilis intra vulnus remaneret, haud multa poſt vtrumque trementem et conuulſum periiſſe: quin etiam micam panis illa admiſta bile, a gallo deuoratam, hic quoque parem habuiſſe exitum.* Apparebit inde, tam vehementem futuram eſſe corruptionem internam, quae breui interficiat hominem. Memini viri cuiusdam non inhoneſti, ſubito extincti, et, quum ſolus habitaret, mortui inuenti, in quo, quod pridie, etſi leuiter aegrotaſſe viſus fuerit, ſuis defungebatur officiis et extra domum verſabatur, deinde quod cadauer abdomine praetumido cum aliis ſignis putredinis iam factae deprehendebatur, aliqua veneni accepti ſuſpicio excitabatur. In cadauere tamen, ſtudioſius licet omnia peruestigarem, praeter interio-

d) De ſedibus et cauſſis morborum, Lib. IV. Epiſt. LIX. art. 18.

riorum humorum corruptionem, quod veneni praeſentiam manifeſtaret, obſeruatum eſt nihil. Vacuus etiam erat ventriculus et acceleratae putredinis rationem feruens eo tempore aeſtus continebat. Difficilius autem iudicium fit, ſi non improbabile eſt, adhibitum fuiſſe aut propinatum pharmacum, a quo, ob ſubſequentes varias, venenis analogas perturbationes motusque metus venenatae virtutis non abſit, praecipue, ſi aeger adhuc ſeruetur, et poſt demum alio lentoque morbo pereat. Etenim tunc ea adhibenda eſt cura, quae morbi inhaerentis et dati veneni probe diſcernat effectus. Liceat breuiter, quod mihi obuenit, referre documentum, in quo vtrumque videbatur coniungi. Vir mediae aetatis, animo agitatus ex imbecillitate valetudinis, ſubito doloribus colicis adficitur vehementibus, febri vomituque adiunctis, quorum cauſſa in refrigerium et iracundiam antegreſſam coniicitur. Leuamen a remediis, contra hunc impetum datis, quidem oritur, eadem tamen ſcena, doloris pleniſſima, ſaepe redit, ita, vt omnibus denuo tranquillis et ablatis cruciatibus, idem morbus decimo ab initio die iterum recrudeſceret, tanta quidem vi, vt ob frequentiſſimos materiae virideſcentis viſcidaeque vomitus, nec non ob copioſas in ore faucibusque comparentes aphthas et virium proſtrationem ſummam de vita periclitaretur. Altero vero ſubſequente die aeger profundo admodum ſomno oppreſſus inueniebatur, illo-

illoque in diem protracto, ex quo etiam tunc aegre excitabatur, quaſi ebrius, copioſiſſimo ſudore perfuſus. Etſi vero colicae adfectioni non iniuſte haec adſcribi poterant ſymptomata, ob remiſſionem tamen et exacerbationem, cito ſe excipientem, vero videbatur ſimillimum, incongrua quaedam et nociua fuiſſe adhibita medicamenta, quae demum, ad fatendum coacta, quae in ſuſpicionem venerat, conjuge, in emetica et opiata medicina conſtiterant. Obuiam itur aliis conuenientibus remediis, reſtitutus ſeruatur aeger in tertium menſem, quo tandem emaciatus placide obiit. In cadaueris diſſectione abſceſſus, in imo ventre, inteſtinorum inter ſe et cum peritonaeo coalitus, meſenterii ſcirrhi, coli anguſtatio, recti exulceratio, ſphacelus, foramina minora, pariter ſiderata, intus autem non eroſa erant inteſtina, nec oeſophagus, pulmones tamen accreti, pectus latere dextro hydropicum, pericardium magna aquae copia diſtentum obſeruabatur. Non quidem vera venena hoc in caſu fuerant data, in debili tamen corpore talia, quae in actione ſua multum roboris poſſident, illis aequiparanda. Interim dubitationi ſupererat locus, num triſtes illi effectus ab exhibito intempeſtiue noxio remedio prouenerint, quum, quae in corpore manifeſta erant acrimoniae indicia iam ante multum corrupiſſent valetudinem, nec ſigna ſupereſſent ſequelae veneni accepti, qualia in eroſione ventriculi inueniens aliquando

MOR-

MORGAGNIVS *e*) noluit ſine ambiguitate eſſe, vt, quod SALAE eueniſſe, ſcribit IDEM *f*) mihi quoque accidiſſe fatear, vt num venenum exhibitum fuerit, pro certo noluerim reſpondere.

Tandem nec ea, quae in cadauere occurrunt, phaenomena, ſubita ſcilicet putredo, gangraena ſphacelus, maculaeque, ſuffuſiones, reſolutionis ſanguinis teſtes, adeo certum reddere valent animum, vt ingeſti veneni ſignificationem faciant, quum ex iam adductis cognoſcatur, interiorum morborum aeque virulentos effectus eſſe.

Quare, vt medicum penes conuictio ſit, nullum eſt criterium, quod minus fallat, niſi ipſiús in faucibus, oeſophago vel ventriculo reperti veneni molecula, quae et ſtudioſiſſime indaganda eſt, et ſecundum ſuam naturam cum iis, quae in aegrotantibus aut toxico interfectis inueniuntur, conferenda. Reliqua enim ſuperius notata momenta, ſi dolus acceſſiſſe praeſumatur, ſi plures ſimul vno eodemque tempore, alias recte valere viſi, ab vna eademque cauſſa adficiantur v. c. a cibo ſumto peſſime ſe habeant, vero quidem aliquam ſpeciem addunt, in primis ſi plura inter ſe phaenomena fuerint iuncta, nec conuincunt. Inter haec autem aliqua continentur, quae ſeruidiori iudicis potius ſcrutinio quam ſoli medici indagationi relinquenda ſunt

e) l. c. art. 21. et Lib. III. epiſt. XXIX. art. 20.
f) Epiſt. LIX. art. 19.

XX.

DR. JOANN DANIEL METZGER

Progr.

De Veneficio caute diiudicando.

Regiomonti, 1785.

Veneficium eſt crimen publicum (ita Cel. BOEHMER in *Elem. Iuriſpr. Crim.* Sect. II. Cap. XX. §. 234.) quo quia alteri dolo malo, materia venoneſa, quoad vitam, vel ſanitatem, membrorumque integritatem nocet — quod cum ſiue dolo ſiue culpa fieri poſſit, veneficium in *doloſum* aut *culpoſum* diſtinguere ſolent Iure Conſulti.

Huius criminis atrocitas etiam maior a Legislatoribus habita eſt, quam homicidii violenti — „Plus eſt hominem extinguere veneno, quam gladio" ita ſonat Lex 1ma et 3tia Codicis ad legem Corn. *de Sicariis et veneficiis*: ita et *Conſtitutio Criminalis Carolina* ſtatuit, vt venifici mares rotae contuſione, foeminae immerſione facinus luant, praegreſſa etiam ante mortem tenaculorum ignitorum poena.

Neque facinoris huius plane antiqua memoria eſt. Romae diu incognitum fuerat, cum A. V. C. 422. ſeruis rei conſcius denunciaret, ab vxoribus quibusdam pocula venenata maritis propinatum iri, quae exhaurienda ab ipſis foeminis iudicarunt Patres conſcripti, Ducentos demum poſt annos legem Corneliam dedit CORN. SYLLA.

Recentioribus temporibus in Gallia potiſſimum et Italia nefanda veneficiorum exempla memoriae prodita fuerunt. Quis neſcit famoſam illam BRINVILLIERS, quae *aqua* quadam *mirabili*, et *puluere* ſic dicto *ſucceſſionis* complures homines interfecit, neque ipſi patri ſuo pepercit; a 1676. vltimo ſupplicio affecta; huius foeminae tam multi fuere complices, vt Rex LVDOVICVS XIV. curiam, inquirendis veneficiis vnice dicatam ſub *Camerae ardentis* denominationē erigeret. Quis neſcit TOPHANAM illam Neapolitanam, cuius nomen eheu! execrabili illa *aqua della Toffana* ſiue *Toffanina* ſiue *aquetta di Napoli* celebre factum eſt? cuius funeſta poteſtas, docente Cel. MÖHSEN (vid. *Mag. d. ger. A. K. und med. Pol.* B. II. St. 3. p. 477.) in arſenico, ſuo modo parato, latet.

Paucula haec hiſtorica B. L. praemiſiſſe iuuabit, ſaltem eo fine, vt pateat, quo atrocius crimen eſt veneficium (*toxicationem* non ſatis eleganter vocat Cel. PLENCKIVS *Elem. Med. For.* p. 32.) eo diligentius verſandum eſſe in conſti-

ſti-

ſtituendo hoc facinore Medico Forenſi, in cuius fide atque ac experientia fiduciam ſuam ponere ſolet iudex in re tanti momenti.

Venenorum haud vnum genus eſſe, nec Medicinae tyro ignorat. Non tamen conveniunt Autores in conſtituendis toxicorum generibus; quam autem litem meam nunc facere neque limites tractationis permittunt, neque ſcopus, quem mihi praefixi, poſtulat *a*) Sufficiat, nunc de venenis corrodentibus, et quidem ſpeciatim de arſenico dixiſſe, ac demonſtraſſe exemplis, cautiſſime eſſe procedendum in renunciatione de morte a veneno. Exempla praebeant binae ſectionum legalium ob veneficii ſuſpicionem inſtitutarum, obſeruationes. Priorem ex actis Facultatis noſtrae in Epitomen contraham; altera ex meis collectaneis deſumta eſt,

Foemina 30 forte annorum poſt captum edulium ex anſere, embammate nigro conditum, eadem nocte vomitu, capitis intumeſcentia, aliisque ſymptomatibus corripitur, quae poſtquam per 9 dies perdurauerant, mors ſub motibus epilepticis inſecuta eſt. Maculae lividae frequentes mox defunctae cadauer defoedaverant. Quibus auditis ex rumore publico maritum veneficii incuſante Medicus forenſis mox ſepulturam inhibet, ſectionemque legalem apud iudicem vrget.

 Fruſtra

a) Videant, qui de nouiſſimis venenorum diuiſionibus edoceri cupiunt HALLERS *Vorl. über die ger.* A. W. 2ten Bandes erſt. Th. p. 198 et ſqq.

Fruſtra mater regerebat, filiam diu ante illud edulium iisdem fere decubuiſſe ſymptomatibus; eiusdem ſororem natu minorem ex eodem prandio ne minime quidem aegrotaſſe. Fruſtra Chirurgus, qui defunctae curam geſſerat, affirmabat, a binis iamiam menſibus cephalaea, eruptione ſcorbutica in facie, et vomitu aſſumtorum pertinaci eam laboraſſe, vltimis ſeptimanis lecto vt plurimum fuiſſe affixam, morbumque ex iſto edulio, cui nimis inhiauerat, fuiſſe exaſperatum.

Nihilo minus conſilio ſuo inſiſtit Medicus, et Obductionis, vt aiunt, actum obtinet.

Sectio autem ſequentia patefecit. In corporis ſuperficie ſugillationes erant multae, magnaeque. Pilorum facile defluuium. Foetor maior, quam ferret anni tempeſtas — (menſe haec agebantur Nouembri): Dura mater, vt et pia hinc inde inflammata: Magis vero ſubſtrata iſtis (ſi Diis placet) arachnoidea: Aër pulmones inter et pleuram: Pulmones in ſanguine (aqua forte ſanguinolenta) natantes: cor ſanguine vacuum: Erumpens ex aperto abdomine aër: Veſicula fellea bile ſpiſſa fuſcaque repleta: Maculae liuidae in ventriculi ſuperficie (an externa an interna? haud dictum) quae ſi ſpongia abſtergerentur, muſculoſas illa denudaret fibras: In vtero nihil.

Ex his tuto ſe colligere poſſe affirmabat Medicus forenſis; ſiue arſenico ſiue Cobalto periiſſe defunctam.

Acta vero Criminalia cum ex ſtatutis delata

eſſent

eſſent ad Curiam ſupremam Regiminis, ſtatuit illa, relationem medici forenſem Facultatis Medicae examini eſſe ſubiiciendam, vt de certitudine facti Medica eo magis conſtaret.

Perpenſis igitur omnibus ſequentis fere argumenti Reſponſum dedit Facultas.

Negabat ſcilicet dati acceptiue ueneni ſigna adeſſe vlla ſiue in ſectionis momentis ſive in morbi hiſtoria: Vix ac ne vix quidem per nouem dies aegrotare, qui arſenico perierunt. Relationem contra anatomen peccare ideoque iam ſuſpectae eſſe autoritatis: Nihil probare maculas liuidas, nihil aquam ſanguinolentam in pectore; quin potius haec omnia facile deriuari a ſcorbutica humorum labe, quam tota morbi hiſtoria indicet, et a loco calido, in quo repoſitum fuerat cadauer iam aliquot ante ſectionem diebus emortuum: De ventriculi contentis plane ſilere Medicum, quae tamen ſola veneni reliquias continere, adeoque indubitata veneficii teſtimonia exhibere ſoleant.

Atque ſic ab omni ſuſpicione liberatus maritus.

Hoc exemplo edoctus cautius procedendum eſſe duxi in caſu, cuius hiſtoriam ſic habeto.

Repetina morte obierat menſe Februario a. c. Vir ſexagenarius rure degens in praedio ſuo, ſeptima abhinc leuca diſtante. Vxoris conſortio vſus fuerat non ſatis amico. Mortis igitur violentae in viciniis orta ſuſpicio ad Curiam vsque Regiminis delata eſt, quae facti indaginem Offi-

cio Fiſci (vt aiunt) commiſit. Conſtitutus igitur ex eius ordine Iudex inquirens, me cum Chirurgo forenſi comites ſibi adiungit. Ad locum delati terrae iam ex octiduo mandatum eſſe cadauer comperimus, poſtquam per decem dies a morte dilata fuerat ſepultura. Eximi igitur e tumulo iuſſum eſt, vt ſectio legalis fieri poſſet, cuius antequam momenta proferam, morbi hiſtoria erit praemittenda.

Pridie ante obitum defunctus ex breui itinere ab oppido duas inde leucas diſſito ſub veſperam redux, coena haud vſus, poſt hauſtum aquae lecto ſe commiſerat. Poſtridie ſurrexerat, pro more circa ſeptimam, decoctum Coffeae, non tamen tanta, quanta conſueuerat doſi, atque poſt illud cyathum iterum aquae hauſerat, veſtibusque circumfuſis peregre ſe iterum abiturum ſimulauerat, vt vxori (abſens enim haec erat) obuiam fieret. Interim in aula obambulans, leipothimia corripitur, domum reportatur, vomitu corripitur pertinaci, diarrhoea vehementi, doloribus colicis atrocibus; materia ſurſum deorſumque deiecta viſcida, aquoſa, viridiuſcula erat; verſus primam tandem a meridie horam conuulſus obiit, per totum hoc tempus animo conſtans, deque inſtante morte perſuaſiſſimus.

Cadauer, quod mireris, ſine vllo foetore aut putredinis ſigno erat, vt et absque maculis liuidis, ſi digitorum apices excipias. Aperto thorace ſimul cum abdomine cuncta vtriusque cauitatis viſce-

viſcera ſine vlla labe chronica. Pulmones autem flaccidi liuidisque maculis obſeſſi, cor flaccidum, atro fluidoque ſanguine repletum. Ventriculus tandem cum canali inteſtinali vehementer inflammatus, hinc inde ita coarctatus, vt ſpasmodice contractum dixeris.

Ventriculus, in quo fluitantis humoris indicia percipiebamus, caute exemtus ſex fere vnciis aquae ſanguinolentae repletus inuentus eſt, cuius etiam pars ad duodenum tranſierat.

Superficies interna gangraenoſis maculis obſeſſa carnoſior tamen ac condenſata eius ſubſtantia: rugae in craſſiores quaſi chordas transmutatae.

Aqua tandem illa ſanguinolenta puluere diluto ſpiſſa, glebas etiam continebat friabiles. Pauculum huius ſubſtantiae carbonibus ignitis iniectum, tetrum auii odorem totam fere domum ſpargebat. Harum glebarum tertiam forte partem mecum abſtuli, quae periculis chemicis tentaretur.

Inſtituit haec, me rogante, amiciſſimus meus Hagen. Maſſae pondus ℥j. gr. XXXV. aequabat. Pars eius in aqua ſoluta materiam, caſeoſam quaſi, dimittebat. Caeterum

Ex gr. XX. cum gr. V. flor. Sulf. ſublimatis arſenicum natum eſt rubrum parietibus vitri adhaerens. Regulus arſenici ſub forma pulveris nigri, inflammabili ſanguineo reducti apparebat.

Ex gr. XX. cum cupri puluerilati gr. IV. fuſis granula cupri candidi nata ſunt.

Ex gr. XX. cum carbonum puluere et oleo lini in paſtam reductis ſublimatum eſt arſenicum ſub forma metallica.

Quibus experimentis confiſus haud dubitaui aſſerere in relatione mea, ſymptomata morbi mortemque defuncti haud exiguae arſenici doſi cum ientaculo aſſumtae iure tribuendam eſſe.

Suſpicione praeterea examine iudiciali liberata eſt vxor omnesque domeſtici. Saepius agitauerat arſenicum defunctus in curandis equorum ſtrumis, illudque fere nullus pharmacopola ei concredere dubitabat.

Binae hae obſeruationes B. L. ſatis ſuperque docebunt, caute diiudicandum eſſe veneficium in foro. Mihi vero liceat ex obſeruatione mea, cui ſimillimam habet Cel. Pyl (*Auff. und Beob. aus der ger. A. W.* Samml. 1. p. 53. ſeq.) corollaria quaedam deducere.

1. Macularum liuidarum in ſuperficie corporis nulla eſt conſideratio inter ſigna mortis ex veneficio. Poſſunt enim adeſſe aut abeſſe ſine vlla ſuſpicione accepti aut non accepti veneni.

2. Neque odor alliaceus ex carbonibus ſurgens arſenici indubitatum ſignum eſt. Accedant oportet, experimenta chemica, vt certi quid in hac re ſtatui poſſit, niſi aliunde conſtet rei veritas. Erudite de his diſputauit amiciſſimus Pyl

(l. c.

(l. c. vt et *Mag der ger. A. K.* B. II. p. 473. et ſq.)

3. Mortis a viſcerum inflammatione non tam confirmata, quam incipiens gangraena, potiſſimum vero neruoſum ſyſtema in perniciei communionem tractum, cauſſa eſſe videtur. Mireris praeterea, ſpasmorum in canali inteſtinali tantam vim eſſe, vt etiam poſt mortem eius diameter hinc inde contractus ſit.

4. Cum vix credibile ſit, foeminam apud Cel. Pyl (l. c.) Virumque in mea obſeruatione arſenico interfectum integra arſenici fruſtra, ſed puluerem potius deuoraſſe, quaerere poſſes, vnde glebae illae arſenicales in vtroque caſu. Nonne forte a ventriculi ſpaſmis, interpoſitoque huius viſceris muco?

5. Vnde incraſſatio illa tunicarum ventriculi olim iam a me (*ger. med. Beob. Iahrg. I.* p. 33. et ſeq.) et a Cel. Pyl (l. c.) quoque obſeruata? An a vaſorum intumeſcentia? An non potius ab eadem cauſa, quae partem quamcunque inflammatam in tumorem agit vi ſcilicet vitali?

XXI.

DR. ERNESTI GOTTLOB BOSE

Diſſertatio,

De

Vulnere per ſe lethali homicidam non excuſante.

Lipſiae, 1758.

Reſpond.

JOANN. CHRISTIAN. MUELLER.

§. I.

Cauſa diſcriminis inter vulnerum lethalitatem.

Diſcrimen, quod inter vulnera minusne an plus lethalia fuerint, occurrit, occiſorum reſpectu nullum eſt, perierunt enim ac priuati ſunt ſumma felicitate ac bono, quod in commercii vſu ac perceptione cum ſodalibus, parentibus, amicis, conjugibus liberisque conſiſtit. Parum lucri faciunt,

ciunt, nihil immo illos adiuuant diſputationes, de vulneris, quo tamen extincti ſunt, diuerſo nocendi modo deque mortis incerta forma, quas cauſarum patroni in foro ad occiſorem defendendum ac ſeruandum inſtituunt ac agitant, ſi qua, illarum intuitu, percuſſoribus poena irroganda exiſteret, vel in homicidam compenſationis cauſa ſupplicium vltimum eſſet ſtatuendum. Vita enim, quia rependenda foret vita, vix ſane conſtat, excuſandus ne ſit aggreſſor animo in mortem intento vulnus ſi fecerit inſtrumento, nocendi facultate ditato, eiusque defendendi vim cognitam ac optime perſpectam habente, vnde mors quouis demum modo conſecuta eſt. Aequum vero vitae amiſſae pretium confici cum nequeat, nec occiſoris interitu redimi illa poſſit, ita, vt relatione ad occiſum habita ea propter poena capitalis nulla ſtatuenda ſit, cumque duabus ſaltim de cauſſis illa locum inueniat, quarum prior in diuinae legis, de occidentis homicidium committentibus rigore, poſterior vero in ſecuritate publica vindicanda ac tuenda fundatur, quando tamen de aequitate inter crimen et poenam, quanto fieri poteſt ſtudio, conſtituenda quaeſtio mouetur, cum patrati homicidii gratia mortis ſuffragium eſt ferendum, ſapientes et miſericordes iudices ideo inter factam ab inuaſore moriendi neceſſitatem, et ſuppeditatam ſaltim ab illo occaſionem, diſcrimen quoddam quouis tempore ſibi decernendum eſſe, arbitrati ſunt. Diuerſi-

tas vulnerum omniumque laeſionum, in foro criminali ſolemni vſu recepta, ſuam abhinc traxit originem, qua quis interfecit alioue modo laeſionem cuidam intulit, vel abſolute et ita mortem feciſſe feratur, vt alia nulla mihi ex ipſo actu lethifero cauſa fluens adſit, vel ita enecaſſe dicatur, vt aliud quid praeter mortiferum actum acceſſerit, vnde mors tanquam ex ſua cauſa prouenerit.

§. II.

Ipſorum vulnerum diſcrimina reſpectu mortis exde conſequutae.

Ex duplici hacce vulnerum, de quibus, alia quauis poſthabita laeſione, ſermonem ſum facturus, ad mortem exinde conſecutam relatione, ſecundum quam aliae vitae leges vniuerſas, aliae vitae ſaltem conditiones quasdam, ad eius formam neceſſario haud omnino ſpectantes, turbant, intercurrens autem peregrina cauſa reconualeſcentiam acquirendi ſubſidia ac modos aufert, ſponte ſua ſequitur, duo ſumma non niſi eorum capita exiſtere poſſe. Horum vnum vulnera in ſe comprehendit abſolute lethalia, quae adynamiam curandi coniunctam habent, etiamſi artis magiſter peritiſſimus, Podalirio Machaone ipſoque Aeſculapio praeſtantior, curam aegroti in ſe ſuſcepiſſet; *a)* ad alterum autem, vulnera, quae di-

a) Plurimi quidem et veterum et recentiorum ſcriptores

dicuntur per accidens mortem intuliſſe, referuntur, quando aliena res ex ipſo actu mortifero haud orta ſed inſperſa aliunde ita acceſſit, vt ſua hacce acceſſione vulneris, caeteroquin ſanationem haud reſpuentis viſi, conſuetum ac ordinatum ad ſalutem reditum intercepiſſe ac penitus deſtruxiſſe, nec non vere aliena eſſe profiteatur; homicidium nulla ratione ſpectans, nec ad eius cauſam referenda, illique haud imputanda, vndecunque demum orta ſit, ſiue medentes deliquerint, ſiue adſtantes peccauerint, ſiue nouus quidam morbus ſuperuenerit, qui ex vulnere, vt cauſa ſua, natus eiusque ſymptomata inſeparabile eſſe nequeat, ſiue ipſe aeger erga ſe quid commiſerit, ex quo redintegrationi obſtaculum poni ac obuenire potuerit, *b*) Quae cum ita ſeſe habeant

ſcriptores in eo conſentiunt, vt vulnus abſolute lethale, coniunctum ſit cum ſanandi impotentia vberius tamen de his egit, RVDOLPH WILLHELM CRAVSIVS in Diſſ. de vulneribus per ſe lethalibus Ienae 1684. nec non IVST. HEINRIC. MANGOLD, in Diſſ. de vulnere lethali, Rintelii 1701. Conferatur quoque MICH. ALBERTI ſyſtem. Iurisprud. Medic. Halae 1725. Tom. I. cap. 14. de homicidio malitioſo per manum, et inſtrumentum violento, §. 5. et plures alii.

b) Quorum vulnerum naturam fuſius declarauit, BVRCH. DAV. MAUCHART. in Diſſ. de lethalitate per accidens, Tubingae 1750. 4to.

habeant, vt praeter hos ſummos, reſpectu mortis, vulnerum modos alium dari haud poſſibile ſit, ſponte ſua conſpicimus, diſcrimen illud, quod explicatur termino per ſe, potiusque in ſcholis quam in foro recipitur, nullum eſſe, et friuolum magis ingenioſiusque quam verius appellari oportere.

§. III.

De abſoluta vulnerum lethalitate, quantum ad praeſens inſtitutum.

Licet autem ex inſtituto neutiquam pertractanda ſint vulnera, quae vitae actiones, ſiue celeri ſine lento aliquo effectu, ita immutant, vt lethi ſequela nullatenus impediri queat, cumque a ſummis ac doctiſſimis viris quaeſtio illa ſatis iamiam diſcuſſa inueniatur, et a praeſenti inſtituto hocce prorſus remotum ſit, iſtam late patentem doctrinam ſub examen iterum reuocare; attamen quo conſtet, id, quod per ſe lethale in vulneribus dicitur, nouum nihil inuoluere, ſed ad abſolutam lethalitatem merito eſſe referendum, opus omnino erit moriendi neceſſitatem, quae ex quodam vulnere fluit, antea exponere, quam propoſita, de valore quaeſitae et in dubium vocandae diſtinctionis huius inſolitae et obſoletae, quaeſtio ad limam vocari poſſit. Eſt ergo vulneris abſoluta lethalitas iſta laeſionis, mollio-

ribus

ribus corporis partibus vel his atque duris, oſſibus videlicet, ſimul illatae, conditio, qua impedimentum cauſis vitam efficientibus, vt agere porro neſciant, inſuperabile ſtruitur, per inſtrumentum deſtruendi facultate praeditum. Haud aſſeri potuit in definitione, abſolutam lethalitatem in viſcerum, quorum actio vitae formam ſtatuit, conſiſtere deſtructione, nulla arte reſarcienda, ſi quidem paruae laeſiones aſt frequentes illaeque partibus inflictae, immediatam ad vitam relationem haud habentibus, *c)* ob obſtaculum cordis motui irreſolubile poſitum, mortem etiam neceſſario procreare poſſint ac ſoleant. Neceſſarium inde neque fuit, omnes laeſiones, quae cauſae mortis haud euitandae fuerunt, appellare cruentas, *d)* ſi de omni violenta deſtructione, vt necis proxima cauſa, agere animo conſtituiſſemus;

c) PAVL. AMMANNVS in medicin. critic. pag. 282. Edit. ſtad. 1677 4to ita diſſerit: Lethalitas vulnerum non ſolum ex laeſione vnius partis principalis, verum etiam ex laeſione plurium et minus principalium aeſtimari debet, atque eodem modo enuntiat ALBERTI loc. cit. §. II, p. 285.

d) Significationem hanc vulneris, qua non continui laeſio ſolum, ſed aliae etiam effectu vere ſimiles comprehenduntur adducit CARPZOVIVS Deciſ. Sax. deciſ. 197. no. 18. 19. cum quo facit IOANN BOHNIVS de renunciatione vulnerum cap. I. pag. 9. nec non MICH. ALBERTI, libr. cit. §. 2. pag. 276.

mus; cum demum de vulnerum lethifero euentu eiusque limitatione me ſermonem inſtiturum profeſſus ſim, omnino definitioni demum cruentae laeſionis ideam me oportet ſubiungere. Dantur enim quaedam laeſiones, ab inſtrumenti applicatione, vaſa ſanguifera haud deſtruentis, ortae, quorum numero venena ſtupefacientia et quiuis mechanicus impetus adnumerantur, quo vitam proxime conſtituentium organorum facultas actioque tali modo ſufflaminatur, vt impediendi effectum adiuuamen adfuerit nullum, vti nimirum hoc apparet, quando cerebro commoto, vaſis vero illud perreptantibus ceteroqnin integerrimis, ſpirituum vitalium iter ſubito intercipitur, vel ingreſſuro ad pulmones aëri aditus obſeratur, de quibus tamen aliisque ſimilibus noxis, vitam indubitato euentu deſtruentibus, in primis quando effectus harum incruentarum et abſolute lethalium laeſionum citiſſimo accelerat pede, agere ſi vellem, a ſcriptione breui academica, et ab hocce quoque praeſenti inſtituto longiſſime aberrare viderer; de illis autem vulneribus, quae quod etiamſi periculoſiſſima ſanationem haud reſpuiſſe dicuntur, quoniamque in exemplis quibusdam ſanata fuiſſe perhibentur, moram aliquam temporis habere debent, agere nunc mihi animus eſt. Quod quando innuo, nolo ille haberi, qui vulnera, quorum ad mortem acceſſus lentus eſt, ex abſolute lethalium catalogo delere vellem, ſiquidem lethalitas abſoluta ad tempus,

ſeu

ſeu ad virtutis vitalis ſuperſtitis reſiſtentiam nullum reſpectum habet, et dummodo ſub optimorum ac praeſtantiſſimorum auxiliorum applicatione ac vſu, ſanationis poſſibilitas adfuerit nulla, quantum etiam illud, quod vulneri et morti intercedit, interuallum ſit, alieni dummodo nihil acceſſerit, moriendi neceſſitas fuiſſe perhibetur. *e*)

§. IV.

De limitata vulnerum lethalitate, quantum ad ſcopum.

A debitore autem, quoniam, niſi quam debet, poena vlterius exigi nequeat, nullique peregrina peccata imputari debeant, juſtitiae ideo, cui ubique moris eſt, debita cum ſolutione aequa lance ponderare, multum intereſt, vt poenae homicidis irrogandae fundamenta iaciantur ex eius cognitione, quid ad vulnerati mortem per-

e) Multi quidem ea demum vulnera abſolute lethalia eſſe aſſumunt, quae breui temporis intercedentis ſpatio hominem interfecerunt, temporis tamen rationem ſolum habendam non eſſe, ſed aliarum quoque conditionum, multorum ſui temporis ſcriptorum aſſenſu probat, PAVLVS ZACCHIA in quaeſt. medico. legalib.. Lib. V. Tit. 2. quaeſt. 2. pag. 413. Edit. Francof. 1688. fol.

percuſſor contulerit, vtque conſtet, an ſerie perpetua & haud interrupta, an neceſſaria aliqua ſequela, ex cauſarum rigoroſiſſimo nexu aeſtimata, effectus mortifer ex illato vulnere prouenerit, ſitque eadem inter hoc & illum indubitata relatio, quae inter patrem & filium, inter ignem & calorem eſt, an vero euentus quidam contigens peraegre accedens, conualeſcendi negotio ſeſe immiſcuerit, illique obfuerit ita, vt eo quidem abſente vulnus, vel ad perfectam, vel ad ſufficientem certe pro vita, ſanitatem perducendum, nunc ad ſperatum finem nec tendere, nec in vado eſſe poſſit. Verum enim vero, ex rigoroſiſſimis etiam ſanguinis humani vindicibus nemo eſt, quin arbitretur, homicidii poenam, ordinarie ſancitam, ceſſare ſtatim oportere, ſi ex accidentium interuentu alienetur, ſi ab intercurrente vitio, quod complicem aggreſſorem haud reddit, mutaretur, aut in maiorem perniciem rueret vulnus, eousque recte progreſſum, vt ſanitatem pius, quam interitum, ex medentium teſtimonio, atque ſecundum ea, quae in cadauere, ſub oculis iudicum cultro anatomico perluſtrato, viſa & reperta fuere, promitteret, ſique laeſa quaedam pars fuit, quam reſtitui poſſe nihil impediebat, niſi error, niſi caſus aliquis, nullatenus ab actu lethifero dependens, interueniſſet, cuius nocendi facultas tam ſponte ſua natura eluceſcit, vel mutationibus euenientibus poſtea, neutiquam caeteroquin futuris, eius ſtatum

opti-

optimum corrumpentibus, comprobatur. *f*) Quae quanto eiusmodi tenoris ſunt, vt necis cauſa a peregrino quodam ſanationi ſtructo impedimento prouenerit, tunc vulnus per accidens lethale fuiſſe adfirmatur, cuius deinde ſequela vulnus infligendi porro haud adſcribitur, neque alio nomine hic puniendus tunc venit, niſi quod morti occaſionem porrexerit, eiusque cauſa procatarctica fuerit.

§. V.

De Vulneris per ſe lethalis dubia exiſtentia.

Quae cum ita ſint, vt omne vulnus mortiferum vel ſua natura et indole in exitium tendat, vel ex contingentibus ſuam acquirat lethalitatem, neminem ſane inficias iturum reor, vulnera iſta, per ſe lethalia dicta, tertiam aliquam, illamque nouam & a prioribus diſtinctam lethalitatis claſſem, conſtituere haud poſſe. *g*) Quibus enim

 ſigni-

f) Cauſſas vulnus aliquod lethiferum reddentes, ſeu, vt vocant, per accidens copioſe recenſitas inuenies, in ALBERTI Syſtem. Iurisprud. medic. loc. cit. pag. 290. ſeq. errorem tamen commiſſum reum a poena ordinaria liberare, praeter alios explicavit, FRED. AVG. HOMMELIVS in Diſſ. de Lethalitate vulner. et inſpection. cadau. poſt occiſum hominem, Lipſiae 1749. §. IV. ſeq.

g) Nobiscum facit IOAN. BOHNIVS. de renunciatione vulnerum, Cap. 2. p. 21.

ſignificatus hicce ac notio vſu venit, tales vulnerum effectus intelligi amant, qui plus ad interitum quam ad ſanitatem inclinant, qui tamen viam ad ſalutem omnem prorſus haud excludunt; quid quaeſo aliud ſibi fingunt, niſi vulneris per accidens lethalis ſpeciem, in quo conualeſcendi non omnino nulla eſt fiducia, oportetque mortem fortuito cuidam caſui tribui, qui interueniendo minimam iſtam ſanationis ſpem extinxit. *h*) Volunt enim iſtius diſtinctionis reſpectu, poenam mitiorem mereri, homicidis autem ſupplicium abolere, quod alia ratione fieri haud poſſibile eſt, niſi euictum ac demonſtratum detur, adeſſe peregrinum factum, quod pro ſuo agnoſcere, pro illoque corpore et vita ſua luere non debeat aggreſſor. Id quando accidit, vt et excuſationis cauſa iſthaec diſtinctio offeratur, quid aliud ſane inuoluere poteſt, quam accidentis praeſentiam, pro quo et pro cuius effectu reus reſpondere haud tenetur. Si qui autem medio hocce, inter abſolutam et contingentem lethalitatem, termino vtuntur, nec hoc quidem reſpectu vel noui quid attuliſſe, vel pro reo efficaciter peroraſſe

h) Magnam hanc invulnerum diuiſione apud auctores varios occurrentem controuerſiam componere tentauit, IOAN. GUILIEM WERNER in Diſſ. Medicam forenſem praeter differentiam, vulnera, in abſolute lethalia et per accidens diſtinguentem, nullam prorſus agnoſcere, Regiomonti, 1750. 4to.

raſſe videbuntur, cum quoduis, quod ex violento actu, quem homicida commiſit, ineuitabili ſequela fluit, non poſſit non abſolute lethale dici. Quid hujus diſtinctionis patroni ſibi velint, cum neutrum hunc terminum, qui nec abſolutam, nec contingentem lethalitatem prae ſe fert, in foro adhibent, facile in aprico eſt. Illis animus ſcilicet eſt, vt demonſtrent, vulneratum ex propria quadam debilitate vel diſpoſitione occubuiſſe, dediſſe enim, tacite aſſerunt, fortiores, vel quoad partium ſuarum compagem et texturam comparatos, quibus ſimile, de quo nunc diſceptatur, vulnus vitam auferre haud potens fuit, potueritque ſanationem plus vulnere valuiſſe, ex qua exemplis confirmata poſſibilitate concludendum ſit, vulneratum quoque conualeſcere potuiſſe.

§. VI.

Lethalitatis per ſe dictae definitio.

Quodſi itaque aliquid in iſta voce deprehendatur, quod ſignificandi quandam vim exſerere poteſt, in alio quodam conceptu latet, quam qui ad indiuiduorum, et virium vitalium aliarumque corporearum circumſtantiarum in certis quibusdam indiuiduis ſimilium, analogiam reuertitur, ita vt, quoniam illi, de quo celebris quis autor tradidit, ex magno vulnere quodam incolumem abire licuiſſe, hic quoque, qui in quaeſtione nunc eſt, cuiusque cauſa criminalis proceſ-

ſus motus fuit, ſanationem accipere potuiſſe dicatur, debeatque percuſſos ea propter mitius haberi, quia, per ſe graue licet et plurimis ſit hoc vulnus exitioſum, ſanitatem tamen conſequendi media et poſſibilitas adfuerit, per vnum alterumue exemplum euicta, eo luculentius vero futura, plura eorum ex hocce vulnere ſanatorum exempla in medium produci ſi poſſent. Secundam iſtam ideam eſt itaque vulneris lethalitas, per ſe dictae, ea laeſionis conditio, qua hominis ſtatus aliquis per ſe mortifer, a circumſtantiis indiuidui ita mutatur, vt, qui ſecundum conſuetum tramitem emergere ſolet euentus, haud conſequatur ordinarius. Sit v. c. in exemplo, arteria meſaraica vulnerata, etiamſi haec coërcibilem haemorrhagiam haud habeat comitem, in caſu tamen quaeſtionis abſolutam lethalitatem in ſe habere haud dicitur, quoniam eiusmodi arteriae traiectu globuli plumbei, medium ventrem transuerſim peruadentis, mortem, alicui haud attulerunt aliquando, cuius felicis euentus cauſſa, in hominis ſingulari conditione, copioſa ſcilicet meſenterii pinguitudine conſtiterit, qua deficiente, oportuerit mori macilentum, cum materies, qua farciri obſtruique vulnus poterat, illi abfuerit, aggreſſorem vero circumſtantiarum ad conualeſcentiam requiſitarum defectum luere non poſſe. *i*)

§. VII.

i) Reliqua enim meſenterii vulnera, ſiquidem cum hoc vel inteſtina ſimul laeſa fuerint, vel arte.

§. VII.

De Synonymia huius lethalitatis, cum illa vt plurimum talis eſſe dicatur.

Clarior omnino eſt notio vulneris ut plurimum lethalis dicti, deprehenditurque antiquior, vtpote qua veteres graeci, ad vulnerum varios euentus exitiales ſignificandos vſi fuerunt. Eſt enim vulnus vt plurimum lethale, ea vulnerati conditio ac ſtatus, ex quo ille non abſoluta neceſſitate, ſed limitata propter cauſae, vulneris euentum ordinarium impediturae abſentiam, defunctus eſt, quandoquidem ex obſeruatis fuerunt, qui ſub praeſentia cauſarum, lethales vulnerum effectus cohibentium, conualeſcere potuerunt. Vel diſpar eſt euentus vulnerum ſimilium, penes plures in mortem, penes aliquot in ſanitatem, in quorum numero defunctus, cuius ergo quaeſtio criminalis nunc mota fuit, eſſe potuiſſe, et quo minus eſſet, per cauſas haud ſufficienter definiendas

arteriae meſaraicae ramus aliquis maior, aut ipſius arteriae truncus disruptus fuerit, indubitatam mortis cauſam continere, plerique auctorum adfirmant. Confer. AMMANNVS loc. cit. pag. 334. BOHNIVS loc. cit. pag. 148. ALBERT. loc. cit. pag. 334. nec non b. IOAN. ERNEST. HEBENSTREIT, Anthropol. forenſ. Sect. II. membr. II. cap. 2. §. 35. p. 554.

das, impeditus fuiſſe fertur, vt mortifero actui tribuendum haud ſit, quod ſingularis caſus vulnerati ſcilicet, quoad corporis partium ſitum, earum volumen ſingulare, virium defectus, ſecum attulit. Hoc termino, vt plurimum lethalis, plerique recentiores vſi ſunt, ſed et plerique illum confutarunt et ex foro proſcribendum eſſe arbitrati ſunt. *k*)

§. VIII.

De diſtinctionis vulnerum per ſe lethalium dictorum praxi dubia.

Cum autem haud pauci ſint, qui hanc diſtinctionem naturae conſentaneam eſſe arbitrantur, poſſunt defenſores experiri, an hac excuſatione, vulnus, ſuper quod decernitur, per ſe lethale nec abſolute lethiferum eſſe, aliquid efficere, et iudicis

k) vide AMMANNI praxin vulner. lethal. in prolegomenis no. 12. IOANN. FRIDERIC. ZITTMANN medicin. forenſ. caſ. XLIII. pag. 702. HERMANN FRIDERIC. TEICHMEIERI Inſtitut. medico legal. cap. 21. pag. 189. I. E. HEBENSTREIT, libr. cit. pag. 346. Conuenientem magis vulnerum diuiſionem feciſſe ſibi videtur, THOMAS REINESIVS in Schola Iureconſultor. medic. Libr. IV. Sect. II. cap. 2. nempe in vulnera lethalia, tuta, atque pericuIoſa, qua vltima tamen voce, idem, ac quod vtplurimum lethale aliis dicitur, intellexit.

iudicis animum in mitiorem partem flectere valeant. Vereor tamen, vt nihil omnino effecturi ſint. Hujus exceptionis enim vis dubia omnino eſt et anceps, quando hoc vulnere, in quo ſanando cognitae probitatis ac dexteritatis artifices omni ſtudio allaborarunt, hominem vero ſeruare haud potuerunt, alius tamen aliquando conualuiſſe fertur, et autorum fide dignorum aſſerto comprobatur. Illius enim et praeſentis caſus incerta eſt ſimilitudo, illiusque, qui vulneri ſuperuixit, laeſionem nemo penitus inſpexit, in hoc vero caſu, vaſa maiora diſciſſa ac ſoluta, ſanguinis vim magnam in caua effuſam eſſe, igiturque vulnus ſanationem plane reſpuens adeſſe, quod ſi viſum ac repertum fuit, quid vtilitatis, ab argumentatione hacce, a ſimili caſu deſumta, pro inquiſito incolumi reddendo ſit habiturus defenſor, haud apparet, cum curandi adynamia, ex iis, quae in cadauere cultro anatomico ſubiecto deprehenſa ſunt, declaretur ſufficienter & omnino comprobetur. Hominem, cui cerebri ſubſtantia ex laeſionis hiatu effluxit, ſanatum ex probatiſſimis fontibus adducat cauſarum patronus, *l*) allegei per thoracem vel abdomen globulum

l) Magnam exemplorum cateruam collectam inuenimus penes ſcriptores medicinae forenſis, ex quibus nunc excitaſſe ſufficiat BOHNIVM, lib. cit. pag. 22. AMMANNVM loc. cit. p. 296. SCHENKIVM obſeru. medicin. Lib. I. obſeru. XL. XLVII. MAN-

bulum bombarda exploſum tranſiiſſe, *m*) profe-rat ferrum per ilia adactum in iisque penitus reconditum, arguatque quoniam illi hocce perpeſſi, viuere ac ſeruari potuerunt, hunc quoque ſanum euadere, ac a mortis periculo liberari potuiſſe. Nemini tamen vnquam perſuadebit, omnibus his, qui ſeruati fuerunt, eundem laeſionis gradum fuiſſe, vtpote quorum viuentium viſcera rimari nulli licuit, nihilque inductio a ſimili valebit, ſi tale vas, tale organon, ſectione legali mutatum deprehenditur ac deſtructum, quo laeſo per rerum naturam vita ſtare haud potuit.

§. IX.

De pondere huius exceptionis, ſi Tò per ſe, vulnus periculoſum notat.

Congrua vero ac idonea huius vocis interpretatio, quae non nullis ita videtur, ſi accedit, haud leuem

MANGOLDUM diſſ. cit. §. 10. f. G. WEDELIVM Diſſer. de fundam. lethal. vulner Jenae 1695. 4.

m) Ipſe vidi duo, quae notari merentur exempla, alterum militis, qui in praelio vulnus per globulum ſclopetarium ita acceperat, vt per regionem intrans vmbilicalem ſiniſtri lateris, circa ſpinam dorſi globulus exiuerit, nunc adhuc, tredecim iamiam annis elapſis, feliciter perſanatus ſuperſtes. Alterum nuper demum in caſtrenſi, quod hic loci eſt, occurrit noſo-

leuem in defendenda ſanguinis cauſa, iudicem fauentem ſemper inueniente, poteſt illa producere effectum, ſi videlicet τὸ per ſe, vitae ſummum diſcrimen, ſummamque difficultatem curandi denotat. Factu difficile enim quod eſt, factu praeterea haud impoſſibile fuiſſe perhibetur. Ad vitam ex orci faucibus haud penitus reditus praecluditur, nec omnes naufragi mari merguntur, ex illisque viribus ditiores quidam, in offerendis aſſequendae ſalutis mediis, fauentiorem fortunam nacti, licet ſemianimes eluctantur, ideoque negandum non eſt, ſaepius ex magnis ac momentoſis vulneribus euadere haud paucos, quos omne ſpe deiectos ac conclamatos eſſe artifices arbitrati ſunt. Curandi potentia limitibus ſuis eſt circumſcripta, et ſuos habet modos, eſt minima poſſibilitas, aliqua tamen eſt. Cum ergo mortuus quis eſt, ex vulnere, ex quo euadere poſſe nullam contradictionem inuoluit, praeiudicium pro inquiſito valebit ſemper, ſub optima curatione, ſub ſanitatis optimis praeſidiis, aliquid tamen interueniſſe, quod ſanitati recuperandae impedimentum inſuperabile ponere potuit

noſocomio, vbi cum admiratione aliqua conſpicere licuit militem, cui dextri lateris tempora globulus ſclopeti perfoderat, vt transuerſim ſub palato decurrens per tempora ſiniſtri lateris exitum quaeſiuiſſet, homine tamen nihilo ſecius per plures adhuc hebdomadas viuente.

tuit, cuius quidem praeſentia, dummodo ex actu mortifero tanquam cauſa ſua proxima id haud fluat, non poteſt non reo defenſionis quoddam argumentum parere. Quotusquisque vero eſt, quin manfieſte perſpiciat, hoc in caſu vulnus periculoſum nouum haud ſiſtere genus, ſed poſſibilis ſanationis minimam ſaltim ſpeciem eſſe, ideoque ad vulnera per accidens lethalia referendum eſſe, *n*) cum, ſi excuſandus aggreſſor ſit, interuenientem cauſſam adeſſe oporteat, quae in praeſenti caſu fieri haud ſiuerit, quod in alio tamen accidere potuit. *o*)

§. X.

De Veterum auctoritate, in definienda vulnerum lethalitate, dubia.

In momentis vitam humanam attinentibus, niſi cum effectu phaenomena conſpirant, ſummo-

n) Eodem modo facultas medica Lipſienſis de vulnere aliquo cerebri periculoſum nec lethale fuiſſe, indicauit, apud AMMANNVM lib. cit. p 299. qui hoc vulnus ad ea, quae per accidens mortem inferunt, referendum eſſe ſtatuit.

o) Huc pertinet inter alia exemplum apud BONETVM in Anatomia practica. lib. IV. Sect. 3. vbi refertur de vulnere thoraci inflicto, et lethali facto, ex ea tamen ratione, quod forte ex

morum virorum auctoritates nihil valent. Hominem, quem ſola condemnant praeiudicia, ad ſupplicium ducere, ſumma eſt impietas omneque humanitatis faſtigium excedit. In vulnerum lethalitate definienda, veteres ſane aliquantum praecociores fuiſſe videntur, quando, quod ſaltim periculoſum eſt id quoque lethale eſſe, perhibuerunt. Saepius vero accidit, dum a legentibus euoluuntur, vix ſatis ab iisdem capiuntur, vulnusque, quod ſaltim in diſcrimine verſabatur, lethale dixiſſe, cenſentur. Certe non eſt, cur aliquis inuehat in HIPPOCRATEM *p*) quando ille integumentorum capitis vulnera periculoſa appellauit, ſiquidem ex illius oraculo nihil quicquam minus, quam quos lethale θανάσιμον apellauerit, eluceſcit! Nullum ſane capitis vulnus leuiter contemni debet, ſaepe enim cutis ſola ferro aut alia re contuſa, ſi non diligenter et cum quadam cautione curetur, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quicpium negligatur, vulnus incrudeſcens non parum moleſtiae creat, et aliquando febrim inducit, et medico quidem negotia, aegroto vero periculum non leue adfert. Verum enim vero,

ex animi commotione protinus vomica pulmonis, diu latens, nunc ſuffocationem funeſtam produxit.

p) HIPPOCRAT. lib. cit. de capitis vulneribus edit. Foeſ. Sect. VI. p. 901. Lit. G.

ro, neminem forte futurum eſſe arbitror, quin facile perſpiciat, ſub conditionibus a Coo adductis, externa capitis vulnera periculo haud carere, et inflammari poſſe duram meningem vna cum pericranio interuenientibus futuris, et recte quidem clariſſimus vir, ex eiusmodi vulneribus moriendi neceſſitatem aliquam eſſe negauit, ſi quid vero eorum, quae in textu leguntur, fiat, occaſionem moriendi exinde porrigi poſſe, nullus facile inficias ibit. Nec nimis largos in vulnerum lethalitate deſignanda veteres fuiſſe, conqueſtus eſt IOHANNES DOLAEVS: *q*) Plura olim lethalia vulnera appellitantur quam hodie, ubi dies diem docuit, et vulnera quaedam tot retro ſeculis pro lethiferis habita, nunc nonniſi poſitis certis circumſtantiis mortifera fiunt; et medicorum Lipſienſium fulgidum quondam ſidus, IOANNES BOHNIVS, *r*) plurima vulnera veteribus lethalia dicta, ex mortiferorum catalogo deleuit, et eorum exempla excitat, qui de vulneribus euaſerunt, quibus praeſentibus hominis vita durare vlterius poſſe haud videbatur.

§. XI.

q) Encyclopaed. chirurg. rational. lib. VI. cap. V. p. 549. de vulneribus edit. Venet. 1695. fol.

r) In eleganti et ſaepius laudato libr. de renunciatione vulnerum paſſim, praecipue Sect. II. cap. I.

§. XI.

De HIPPOCRATIS *mente, circa lethalitatem abſolutam recte capienda.*

Veteres ideo plerumque taxamus, quod illorum mentem recte haud aſſequimur; HIPPOCRATES *s)* de vulnerum lethalitate ita ait; Veſicam concidi, aut cerebrum, aut cor, aut diaphragma, aut inteſtinorum tenuium quoddam, aut ventriculum, aut hepar lethale; et cous plus ex obſeruatorum collectione, quam rationibus ſuos aphorismos conſcripſiſſe videtur, vt praeterea omnino aſſeri nequeat, quae in vno alteroque exemplo lethifera fuerunt vulnera, eadem quoque in omnibus effectum mortiferum edere debere, ſi quidem, ex quodam accidente interueniente laeſiones mortis cauſa fiunt, quae ſibi relictae ſi fuiſſent, ad ſanitatem iter ſuum abſoluiſſent. Verum enim vero, ſi rationes etiam audias, perſpicies omnino HIPPOCRATEM ſine illis ſuas de lethalitate ſententias haud promulgaſſe, et demonſtrationibus anatomicis euentum reſpondere. Veſica, niſi illa vrinis plena ſit,

s) Aphoriſm. XVIII. lib. VI. κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

ſit, et ſuper oſſis pubis ſynchondróſin promineat, ſola vulnus accipere nequit; in perinaeo ad veſicae collum inque eius muſculoſa parte, vulnus forte innocens eſſe poſſet, quale illud eſt, quod veſicae vrinariae calculi de illa extrahendi cauſa infligitur; Quodſi vero in fundo, ſeu parte ſua ſuperiore, telo, vel alio laedendi vi donato, inſtrumento dilaceratur veſica, quod impediri poſſet ſane nihil eſt, quo minus lotium inter peritonaei cellulas longe lateque diffuſum, gangraenae ineuitabilis cauſa fiat, cum ob perpetuum, quo ſcatet, madorem, vulnus ipſum claudi nequeat, & veſica prae dolore in ſe contracta, non poſſit non vel minimam vrinae portionem continuo ſtillicidio in pinguedinem ſubſtratam propellere. Quae cauſa etiam fuit, quod illam calculi ſectionem, quae ſupra pubem iuſtituitur, quis celebrari ſi cupiat: nunc omnino ſit nulla. Proinde etiamſi non reſpectu vulneris, attamen ſymptomatis huius, a vulnere inſeparabilis adynamiamque curandi in ſe comprehendentis reſpectu, veſicae laeſionem lethalem eſſe, medicinae parens pronunciavit. *t*) Quod cerebri vulnera attinet, ipſe HIPPOCRATES ex HIPPOCRATE interpretandus eſt. Ille enim in libro de ca-

t) Veſicae vulnera qua ratione impune inferenda, et quaenam periculum ſecum habeant, vberius hinc inde demonſtrauit IVST. GODOFRED. GVNZIVS in lib. obſeru. chirurg. de calcul. curandi viis, Lipſiae 1740. 8.

capitis vulneribus, varios cerebri laeſionum lethalitatis gradus conſtituit. Vulnera ait: quae prope caluae os, quod bregma dicitur, facta ſunt, ſi deprimitur magis quam rumpitur, ſi intus deprimitur, et lethalia magis ſunt et curatu difficiliora: *u*) vnde euidenter liquet, omnia cerebri vulnera, antiquis in vniuerſum lethalia dicta haud fuiſſe, ſed ea tantum pro talibus cenſuiſſe, quae in profundum deſcenderent, et alte cerebri ſubſtantiam diuiderent, penitusque diſcinderent, veluti vox *διακοπτέειν* *x*) non poteſt non alti vulneris, quo tota viſceris compages dirimitur, ſignificare. Veteres igitur nemo criminabitur, quod eiusmodi laeſiones *μάλιστα θανασίμοις* maxime lethalibus annumerauerint, atque illorum ordini ſubſcripſerint vulnera medullae quoque ſpinalis, quae ſerius licet occidant, occidunt tamen neceſſario, ſi quidem omnibus his impoſſibilitas curandi per naturam ineſt. Et quotusquisque eſt, qui non arbitretur, recte HIPPOCRATEM ſenſiſſe, cum diaphragmatis et hepa-

u) Τὸ ὀστέον ταύτῃ τῆς κεφαλῆς φλᾶται, τὲ μᾶλλον καὶ ῥήγνυται, καὶ ἔσω ἐφλᾶται καὶ θανασιμώτερά ἐστι καὶ χαλεπώτερα ἰητρεύεσθαί τε καὶ ἐκφυγγάνειν τὸν θάνατον. Edit. Foeſ. pag. 698. lit. H.

x) Conſentientem inuenimus IOANN de GORTER, in medicin. Hippocrat. p. 703.

patis vulnus lethalibus adnumeravit; toto ſcilicet viſcere illud ſi acceptum eſt, quippe cum τὰς φρένας, totum diaphragma, in textu legimus; et compertum comprobatumque eſt, qui ſepti tendine transfoſſi ſunt, vivere non potuiſſe, quoniam talis laeſio et ex ſe ipſa, et ideo, quod non poſſunt non vicinae partes inſimul tactae eſſe, curandi poſſibilitatem irritam reddit. Quodcunque inteſtinorum tenuium toto canali abciſſorum vulnus, de quibus in textu ſermo eſt Coo, et quod ventriculum ſimiliter transfoſſum attinet, cum horum inquinamenta in abdominis cauum, cum certiſſimo putrefactionis metu non poſſint non depluere, ſane haud liquet, an et qua ratione, quibus vulnus tale factum eſt, ſanari potuerint. *y*)

§. XII.

De vulnerum horum lethalium, certo reſpectu dictorum, determinata ſanationis poſſibilitate.

Ex omnibus hiſce vulneribus tamen, hoc, quem adduxi, reſpectu lethalibus, haud dubitanter plures euadere potuerunt. Vulnus retro caput habentes, id eſt cerebello ſauciatos, incolumes reddi poſſe ipſe HIPPOCRATES teſtis eſt, peneſque obſeruatores exempla bene multa eorum, qui-

y) Horum vulnerum variam naturam optime expoſitam tradit de GORTER loc. cit.

quibus cerebri ſubſtantia e vulnere foras deſcendit, attamen viuere et ſanari potuerunt, legere poteris, ea quae apud IOANNEM BOHNIVM extant hanc in rem ſufficere poſſunt; *z*) Liceat tamen mihi ſuper eiusmodi caſu ex HILDANO *a*) elegans excitare Poema

Non audita loquor, narranti credite, vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu,
Acer erat iuuenis, medio cui vulnus adactum
Eſt capiti, cerebri pars quoque caeſa fuit.
Ille tamen viui, ſi credas, arte melampi
Hoc factum, peccas; hic medicina ſilet.

Hic cerebri pars medullaris *b*) intacta procul dubio manſit, et quamuis arduum omnino ſit, comprehendere, qua ratione haemorrhagia, ſanguinisque inter cerebrum ac piam meningem

z) Lib. cit. Sect. I. p. 21. ſeq. plura collegit, IO. CHRIST. TEVBE[illegible]R in diſſ. de vulner. cerebri, non ſemper let[illegible] alibus, Halae 1750. ſub praeſidio Illuſt. BVCHNERI habita.

a) HILDAN. obſeru. chirurg. centur. I. obſeru. XIII. exempl. 3. p. 22, auctore ANTONIO FAYO.

b) Cerebri enim partem medullarem nunquam ſine dolore ſubſequente laedi recentiorum quoque teſtantur obſeruata; Confer imprimis IOAN. GOTTOFRED. ZINNII diſſ. ſiſtens experimenta quaedam circa corpus calloſum, cerebellum, duram meningem, in viuis animalibus inſtituta. Sub praeſidio Illuſtr. HALLERI Gotting. 1749. defenſa.

effuſio incoercibilis ac omnino lethalis futura ab-igi potuerit, ſi quidem niſi arteriis venisque, quae in pia matre ſana reperiuntur copioſiſſimae, laeſis cerebrum attingi nequit, attamen, vti vul-nera mirabili caſu aliquando eueniunt, ita fieri potuit, ſi tamen eiusmodi obſeruata fabulis ac-cenſere haud eſt animus, ſique autores fidei pro-batae audiendi ſunt, vt cerebri ſubſtantia corti-cali ablata, arteriae carotidis ramos, cerebri am-bages profundius perreptantes, vulnus praeteri-uerit, in uenis vero diſſectis, cum illae ſanguinem retro haud fundant, periculum ideo eſt nullum. Eadem caſus felicitas, in reliquis ab auctoribus recenſitis euentibus eſſe potuit, ut vulnus alte etiamſi in viſcus demerſum, vaſa maiora, quo-rum ſanguinis extra vaſa miſſio ſiſtenda non eſt, euitare potuit, adfueritque quaedam conditio, ſub qua laeſio vitae leges penitus abolere nequi-verit. Eſto cui pulmones pleurae preſſe adhae-rent, illique intimo nexu iunguntur, id quod baiulis, modo aliquo inter morbum et ſanitatem medio, accidere ſolet: vulnus toti pulmoni ſit inflictum, in illo ipſo adhaeſionis loco: adhaeſio ipſa, ſanguinis in pectoris cauitatem prohibebit profuſionem, ſanabitur ſub hac conditione vul-neratus, quando quidem ſanguinis vis tota de de vulnere effluere potuit, ſubque minima reſpi-ratione, euitato empyemate, pulmonum vulnus conglutinari potuit, Simili modo curabitur, cui patente vulnere ventris inteſtinum laeſum eſt, quo

quo educi canalis alimentoſi portio ſauciata conſuique poſſit, e contrario vero, inteſtini vulnerati particula abſcondita ſi iacet, inque vulnus externum nec duci, nec acu linum trahente traiici valuit, neutiquam id continget. Vix vereor ex ventriculi vulnere quendam reſtitui poſſe, ſi inſtrumentum laedens, in illum ipſum locum adigitur, quo cultriuoro pruſſico per vulnus, arte inflictum, extracto, ſanatus fuit, interque lobum hepatis ſiniſtrum, lienem atque colon deſcendit. Si HEISTERVS renis vulneri optime medicatus eſt, *c*) ſuperficiale illud fuiſſe videtur, et tubulos renales, vaſaque renum maiora intacta praeteriit. Sub his conditionibus ad ſanitatem vulnere aegrotanti datur regreſſus, licet cum periculo, ſique in exemplo forenſi conditiones adductae, quae ſanationi fauent adfuerunt, et ſauciatus diem ſuum obiit, nihil eſt, quod cauſam accidentalem, ſanitatem recuperandi haud permittentem, ſupponere impedit.

§. XIII.

De exemplorum, quibus graue vulnus ſanatum fuiſſe ſcribitur, diſcrepantia ab exemplo quaeſtionis.

Verum enim vero, omni eiusmodi exemplorum recitatione nihil effecturus eſt cauſae patronus, vt

 pro-

c) In Chirurg. Part. II. ſect. cap. 140. §. 14. p. 903.

probet hoc vulnus, quod nunc in quaeſtione eſt, etiamſi cum periculo fiat, ſanari potuiſſe, et ea propter vulnus per ſe, ſeu vt plurimum lethale adeſſe, cuius vis in cauſa dubia nonnulla eſſe poſſit. In eo enim quaeſtionis cardo vertitur, vt appareat, an conditiones, ſub quibus vulnus perfecte coire potuerit, in cadauere reperiatur; ſi oſſis fragmenta ad cerebri intimam ſtructuram haud peruenerunt, ſi ſanguis in grumos concretus inter cerebri anfractus, aut in eius ventriculis, atque in caluariae baſi, vel circa oblongatam medullam haud reperitur, ſi in loco quem adire nefas eſt, calua fiſſa haud eſt, *d*) ſane nihil obſtat HIPPOCRATIS ſtylo vulnus equidem χαλεπώτερον ἰητρεύεσθαι, ſanatu difficile, attamen ſanationis nullatenus expers, propalare; maxime, ſi quod facta opus erat, intermiſſum fuit, nec ſanguinis grumoſi portio, durae matri incumbens, aut illi atque piae meningi interfuſa, educta fuit, quae tamen admoto modiolo foras facile depromenda erat. Etenim, ubi de hominis nondum conuicti culpa quaeſtio occurrit, minima etiam defenſionis momenta, pondus quoddam in ſe recondiunt. Eodem modo ſi de vulneribus periculoſis, et aliis plerumque lethalibus, in foro criminali mentio occurrit agiturque, non tam

d) Illa enim ſigna ſi praeſentia fuerint, vulnus lethale efficere probat HEBENSTREIT Anthropol. Sect. II. membr. II. cap. II. §. 40. p. 426. edit. 2da.

tam quid illi euenit, qui ſimili laeſione conualuit, dicitur, quam quod in praeſentis interempti cadauere reperitur, quaerendum ac inueſtigandum eſt, vtque exemplorum prolatae ſeriei inhaeream, ſi cruoris copia immanis in interfecti pectore deprehenditur, ſi vulnus totum pulmonum viſcus penetrauit, ſi venter faecibus aluinis fartus, ſi ſanguinis vis ingens illuc deſcendit, totus ren ſi transfoſſus eſt, et vrina cruori immixta inter peritonaei pinguetudinem fluctuat, ſi ex ventriculi vulnere cibus, quo ſaturatus erat, in abdominis cauum effluxit, multo magis, ſi iecoris lobus, ſub quo omnis fere, maxime cum vacuus eſt, deliteſcit, transfoſſus fuit, ſane quid ex exemplorum inductione conſequi poſſit, nos fugit, cum illa alias conditiones, quam quae nunc praeſto ſunt comprehenderint.

§. XIV.

De licitis defenſorum, ad ſeruandos inquiſitos, argutiis.

Quandoquidem cauſarum patroni, occiſorem ſcriptione forenſi defendentes, commiſſum ſibique publico nomine a iudice traditum inquiſitum acceperunt, nihil omnino argumentorum illos oportet intermittere, quibus princeps vel moueatur ad miſericordiam, vel dubius haereat ambigatque inter mortis vel gratiae praeoptandam

ſententiam, et ita flecti malit in mitiorem partem, quam grauius et ſeuerius cum erroris periculo in ſanguinis fauorem ſemper promerentis cauſa eligere ſuffragium. Cum pro roſtris ſtarent veteres cauſamque perorarent, ita ſibi agendum eſſe exiſtimauerunt, vt quo quis, in nocentiſſimis etiam hominibus excuſandis, ingenioſior eſſet, eo quoque maior, ſapientior, ac excellentior eſſe videretur. Noui ego, ait CICERO: *e*) vos magnos cauſae patronos, hominem occidat oportet, qui opera veſtra vti cupiat. Vitio vertendum proinde oratoribus haud eſt, arte quando ſupplere ſtudent quod cauſae bonitati decedit, mox cum violentia externa tempus mortis naturalis coincidiſſe, ſi laeſio incruenta et vulneris effectus haud ſenſibilis eſt, veluti, commoto per ictum cerebro praetendunt, mox ſi duo colluctati ſunt, atque lien alteri ruptus eſt, ſuae quam perpeſſus eſt occiſus noxae cauſam, quoniam actus mortifer mixtus fuerit, allegant, aliquando cum vulneratus rueret, plus ex lapſu, quam ex aggreſſoris violentia ac impetu, organi deſtructionem ſubſecutam eſſe affirmant, hinc ex iracundia aut ebrietate, ſanguinis orgasmum excitante, ac vaſa tumefaciente, illa in cerebro rupta fuiſſe indigitant, illud non raro efficere audent, vt iudici perſuadeant, non tam ex vulnere, quam ex conualeſcendi, quae vulnerato propria eſſet ineptitu-

e) Epiſtol. ad familiares lib. 2. 14.

titudine, mortem ingruiſſe, illamque non tam factam, quam cum proxime immineret, acceleratam tantum fuiſſe docent. Quando etiam delicti corpus incertum arguunt, quod haud recte ſecuerit medicus, diſerte vix ſcripſerit, nec cognoſcendae abſolutae lethalitatis media, aut inſtrumentorum laedentium effectus, clare expoſuerit, quod ſub iudice incompetente, vel perſonis ad iudicium requiſitis abſentibus, quos adeſſe tamen oportebat, peracta ſit cadaueris inſpectio, quod iudicis ſcriptio, medici relationi haud reſpondeat, medicus auctoritate ſecandi haud praeditus, cultro anatomico cadauer ſubiecerit, chirurgusque ſolus, cui fides neutiquam habenda eſt *f*) hoc tantum perfecerit, quod defuncti corpus ad inſpectionem legalem, et ad eruendae exinde veritatis momenta, ineptum putredo reddiderit, et ſi quae aliae ſunt artes, quibus defenſorum foecunda calliditas, ſententiarum arbitros contundere, illosque vt poenam ordinariam haud decernere audeant, incertos dubios ac haeſitantes efficere allaborat. *g*) In his vero omnibus

D 5 defen-

f) Vid. MICH. ALBERTI, lib. cit. cap. 17. p. 378.

g) Plura ad hunc ſcopum facientia expoſuit MICH. ALBERTI loc. cit. cap. 18. p. 390. ſeq. de iniquis advocatorum ſtratagematibus in caſibus medicis legalibus, et HEBENSTREIT Anthrop. Sect. II. membr. II. cap. V. p. 611.

defenſionum adminiculis, eo minus cauſarum antiſtites peccare videntur, quo plus, vel vera conſcientiae incertitudine, vel ratione officii, publice ſibi iniuncti, inducuntur, vt hoc ſibi ita efficiendum eſſe arbitrentur. Vita enim ſceleratiſſimi etiam hominis alicuius eſt pretii, de qua in ambiguitate cauſarum etiam minima, Deo decernendum eſt ſoli, poſſuntque iudices, dum ſeuerius decernunt, peccatum committere, qui, ſi mitius ſentiunt, in errorem ſaltim incidunt, et datur vindicta ſuppletoria, ſupplicio haud inferior; qua vti quiuis iudices ſapientiſſimi ſecurius eſſe exiſtimant, quam caedere, percutere, laniare.

§. XV.

De paradoxis autorum obſeruatis ad defenſionem ineptis.

Omnibus nobis ita euenit, atque ita natura comparata eſt, vt harum rerum, quae narrantur admirationis gratia, plurimae audiantur pauciſſimae videantur ipſae; et ſane dici nequit, quanta ubiuis tempore fuerit, vigeatque adhuc ad ſuper-

p. 611. de excuſationum momentis medicis, nec non FRID. LEBRECHT STOLZE, diſſ. de eo quod iuſtum eſt in defenſione inquiſiti ex capite imbecillitatis mentis, et quaeſtione quousque excuſet, Lipſiae 1743. 4.

perſtitionem vsque procedens multorum credudulitas, qua inducti, narratiunculas, quibus natura rei haud reſpondet, pro veris euentibus habuerint. Ceruum ex cordis vulnere, in cuius ſubſtantia longo poſt tempore ſagitta reperta fuit, ſanatum habet THOMAS AVEIGA, *h*). alii experimenta cum canibus inſtituta referunt, qui, poſt quam illis trans caluam et cerebrum clauus actus eſſet, ſuperfuerint. *i*) Vt alia commenta quorum apud obſeruatores larga meſſis eſt, nunc ſilentio praeteream, quibus forte, ad vulneris lethalitatem dubiam reddendam, ſapiens defenſor uti recuſat.

§. XVI.

h) Commentar. in GALENI libr. de loc. affect.

i) Pertinet etiam huc exemplum cordis porcini, cui bacillus acutus ante ſemeſtre transfixus inhaerebat, quod penes PLATERVM ſe vidiſſe HENRICVS ab HEER obſeru. medic. obſeru. II. affirmat, citante BOHNIO lib. cit. cap. 10. p. 128. Eiusmodi tamen experimenta, ſi cum aliqua cura inſtituuntur, non protinus exitioſa fieri comprobant recentiorum exempla, ex quibus huc referre liceat, quae IO. GOTTFR. ZINN in diſſ. cit. ſtudioſe expoſuit, hic enim v. c. cani per anteriorem capitis partem, ſupra ſinum longitudinalem per omne cerebrum traiecit clauum triquetrum, vt oſſibus baſeos cranii inhaereret, altero demum die extincto. experim. I. p. 4. etc.

§. XVI.

De ſera morte vulnere graui afflictorum, poſſibilitatem ſanationis haud teſtante.

Saepius etiam in vulneribus dies numerari ſolent, atque ex eorum decurſu de eiusdem lethalitate decerni. Videri ideo poterat, vulnus ſaltim periculoſum neutiquam autem abſolute lethale fuiſſe, quandoquidem ſero diem ſupremum obiit vulneratus, diuque ſuperuixerit, *k)* ſi quidem ex illa, erga mortiferam cauſam vegeta reſiſtentia, concludi poterat, aliquid peregrini acceſſiſſe, quod ex actu caedem producente et ipſo vulnere haud prouenerit, ſanationique iam inchoatae obſtaculum inferre potuerit mortemque per accidens accerſere quo reſpectu laeſio quaedam grauis, per ſe lethalis, id eſt ſumme equidem periculoſa et plerumque occidens, aſt aliquo gradu minus lethalis caeteris dici viderique queat, ob aliquam minimam licet ſanationis poſſibilitatem in ſe comprehenſam. In illo caſu VATERI. *l)* cum cerebri vulnus poſt ſeptimam demum ſeptimanam vitae finem poneret, quaedam ſanandi potentia, quam intercurrentes cauſae infirmare potuerint omni-

k) Vid. ſupra §. 3. not, c)

l) Vid. ejus diſſ. de vulnere cerebri ſclopetario, ſeptima demum hebdomade abſolute lethali, Wittebergae 1722. 4to.

no adfuiſſe videbatur, ſed docet clariſſimus au-ctor, ex eorum natura, quae in cadauer, ſectione contemplato, apparuerunt, conualeſcendi opem adfuiſſe nullam. Quis affirmaret, eum ſanari potuiſſe, qui vulnus in cordis ſubſtantia ſubſiſtens accepit, *m)* quandoquidem dies aliquot vitam traxerit, videreturque vulnus equidem per ſe et in plurimis lethale, in hoc autem minus lethale fuiſſe, quoniam ſuperfueris. Veluti GALENVS *n*) refert: Si ad ventrem cordis vulnus aliquando peruenit, protinus magno cum ſanguinis fluore homines mori neceſſum eſt, idque praecipue, ſi ſiniſtrae partis venter fuit vulneratus; Si vero non ad ventrem vsque pertingat, ſed in cordis ſubſtantia vulnus eſt, ex ita affectis aliqui, non ſolum eadem die qua vulnerati fuerunt, ſed et ſequenti quoque nocte viuere potuerunt. Atque ita eſt in reliquis quoque vulneribus, quibus ad vitam neceſſaria pars deſtructa eſt, quaeque ſanandi adynamiam per ſectionem legalem in ſe habuiſſe cognoſcuntur, vt etiam ſi ſerius

m) Eiusmodi vulnerum exempla, in plerisque medicinae forenſis ſcriptoribus adducta deprehendimus. Vid. SCHENCKIVS libr. II. de cordis vulneribus, obſeru. I. BLEGNY Zodiacus Gallicus anno 1681. menſe Junio obſeru. 23. p. 139. BOHNIVS libr. cit. p. 127.

n) De locis affect. Libr. V. cap. II. ſub lit. A. Tom. VII. p. 481. edition. RENAT. CHARTER. Lutet. Pariſior. 1679. fol.

ſerius occiderint, non minus tamen tanquam abſolute lethalia occidiſſe feruntur, poſſunt enim mortem differre varia incidentia, pinguedo nec non cruoris congelati thrombus ad tempus vulnus claudens. Inteſtinum ſauciatum ad tempus collapſum eſt, cibis vero aegro repleto et ablegatis iisdem, vigente digeſtione, ad inteſtinorum tractum, vulneris aperitur hiatus. fex in abdominis cauum fertur, aeger etiamſi ſero, perpetuo tamen cum actu violento nexu cauſali ſatis cedit. Quodſi ergo terminorum peremtoriorum, poſt quorum effluxum neutiquam vulnus, ſed caſus tantum interfecit, quaedam eſt efficacia, eam non tam ex rei natura, quam ex lege et legislatoris indulgentia tantum et vnice habebunt. *o*)

§. XVII.

De lethalitate relatiua ad imbecillitatem indiuidui, an ſit ſaltim per ſe lethalis appellanda.

Quaeſtio ſingularis eſt, quam vero iuris interpretibus ſolis derelinquunt medici, an videlicet mox morituri impune occidi poſſint, anque occiſus

o) Iure conſultorum aeque ac medicorum hac de re ſententias collegit, MICH. ALBERTI. lib. cit. cap. 14. §. 13. p. 287. ſeq. HEBENSTREIT lib. cit. ſect II. membr. II. cap. II. §. 13. p. 361. TEICHMEYER inſtit. medic. legal. cap. 22. Qu. 5. p. 199.

ciſus partem cauſae mortis ſuae habere dicatur, quia viſcus illi fuerit corruptum leui aliqua laeſione, alium fortem hominem et vigentem non occiſura. Eſto vulnerato in pulmone abſceſſus reconditus; pectoris plaga ſua natura leuis ſit et ſanabilis, febris autem, a vulnere inſeparabile ſymptoma, pus in vomica abſconditum coquit, et illud a febre vulneraria motum, accedente noua febre ſuppuratoria, ad abſceſſum referenda, rupto folliculo effundatur in cauum, erit exinde mors; An iſta ex vulnere tanquam ex ſua cauſa proxima? non videtur: niſi enim abceſſus praeextitiſſet, niſi ille febre motus eſſet ac ruptus, aeger vulnus ſuperaſſet, vtpote quod omnia bonitatis ſigna oſtenderit. Erit igitur hocce vulnus relatione ad aegrotantis pulmones morbidos lethale. Per accidens lethale dici ſané haud poterit, nihil enim, quod non homini in ipſo violento actu iamiam adfuit, acceſſit; nec abſolute lethale erit arbitrandum, ſiquidem illud abſente vulnerati abſceſſu optime coire poterat. Medium adeoque terminum, quem vocare ſolent, inueniri oportet, qui inter vtrumque caſum ambigat, et arbitror tale vulnus per ſe lethale nominari poſſe, quoniam ſuam deſtruendi vim acquiſiuerit, non a medentium errore, vtpote qui erant expertiſſimi, non ab alia cauſa vulnus mutante, illud enim puriſſimum et ad ſanationem iamiam inclinabat: ſed illam nocendi facultatem ex ſe ipſo habuit, cum limitatione

vero

vero ad viſceris aegroti ſtatum. In alio exemplo lien occiſi vehementer turgeſcebat, ſimulque in illo abſceſſus veſtigium ſeſe manifeſtabat, ſub colluctatione ruptum viſcus vitae finem poſuit derepente. Externa violentia, per ſe mortis cauſam exhibuit, alia nulla adfuit, nec a quodam accidente, quod actum mortiferum haud ſpectat, lienis ruptura originem traxit, fuit enim cum ipſo actu lethifero mors ſynchrona. Attamen non abſolute, id eſt, ad omnes caſus lethifera fuiſſe videtur, nec alius, niſi ſolus ille, cui morbidus lien inhaeret, a vi tam leui illata lethaliter affligi poteſt. *p*) Verum vti iam profeſſus ſum, ad legum interpre-

p) Quomodo, qui vulnerati intereunt, non tam vulneris quam aliarum rerum culpa emori poſſint, etiam inquiſiuit TH. REINESIVS in ſchola Iureconſult. medic. Lib. IV. cap. 8. p. 559. ſqq. HEBENSTREIT Anthropol. ſect. II. membr. II. c. 2. §. 9. p. 353. Sic plura adnotata inuenimus penes medicos forenſes, vulnerum exempla, quae ſuperueniente aliqua cauſſa ſingulari funeſta fuerunt reddita, ſic v. c. infimi ventris concuſſio, cum fruſto carnis facta, lethalis extitit, praeſente nempe, vt haud aegre patet morbi cauſſa in percuſſo; quem caſum refert ZITTMANN lib. cit. Caſ. 53. Cent. VI. p. 1575. Vulnus hepatis non per ſe ſed propter purpurae concurſum lethale refert. MICH. ALBERTI lib. cit. Tom. I. P. II. caſ. 31. p. 367. vt alia taceam.

pretes haec ſpectant, medici enim aliter quam, ſine illata hac iniuria hominem adhuc in longum potuiſſe animam trahere, affirmare, atque mortem occiſi acceleratam fuiſſe, pronuntiare potuerunt. En exempla vulnerum per ſe, ſine vllo accidente lethalium, an homicidam defendendi vis quaedam his inſit, diiudicandum aliis relinquam.

§. XVIII.

Concluſio.

Cum vero in ſenſu ordinario illud tantum vulnus per ſe lethale eſſe enuntietur, quod ex indiuiduali quorundam conſtitutione ſanari potuit, in plerisque autem conualeſcendi media faſtidit, nihil ſane eſt, quod eius veritatem et a vulneribus abſolute lethalibus realem diuerſitatem comprobare queat, quare de iisdem eadem omnino, quam quae de vulneribus adynamiam curandi in ſe comprehendentibus, ferenda eſt ſententia. Inſtar omnium, qui nobiscum facit, eſſe poterit beati PLATNERI *q*) de huius vulneris genere iudicium: Alia vulnera per ſe lethalia vocantur, inquit, per quae etiam homines pereunt, non omnino quidem, ſed maximam partem, ita vt forte centeſimus ſeruari aliquando potuerit. Haec vulnera, ſi ſententia ferenda eſt, prioribus paria habentur. Quae cum ita ſint, neminem facile futurum

q) Conf. EIVS Inſtit. Chirur. §. 365.

turum eſſe arbitror, quin iudicet eo in caſu, vbi de hominis vita iudicium eſt ferendum, atque indubitata aliqua ſententia dicenda, ſiquidem ſit aeque impium, inſontem damnare, ac eum, qui cauſa ſummi mali extitit, id eſt homini vitam ademit, impune liberare, quanta fieri poteſt cum ſollicitudine circumſpiciendum eſſe, ne excuſatio aliqua, quae vera non ſit, permittatur ſub quacunque demum ſpecie homicidae. Eaque propter, cum id de vulneribus per ſe lethalibus iam declarare allaborauerim, ſi defecerim, atque non ſatisfecerim expectationi, veniam in ardua re me facile impetraturum eſſe confido.

XXII. DR.

XXII.

DR. ERNESTI GOTTLOB BOSE

Progr.

De ſugillatione in foro caute diiudicanda.

Lipſiae, 1773.

Quum non infrequenter eueniat, vt, dum aliquis facinoris violenti reus habetur, eius modi illi imputentur momenta, quae aliam longe cauſam et originem habent, tale medico, in primis forenſi, adhibendum eſt ſtudium, quo rei perpetratae veritas dilucidetur. Siue enim hominum aduerſos eos, a quibus ſibi ſuisque iniuriam factam fuiſſe arbitrantur,, malitiam, ſiue cauſarum patronorum, iniqua ratione ſeductorum, argutias aeſtimemus, iis aliquando ita perturbari poſſe aequiſſimos etiam iudices inuenimus, vt niſi, a quibus obſcurae rei indagationem deſiderant, medicorum inſtruantur accurato ſcrutinio, inſontes damnari et culpam committentes

liberari quandoque poſſent. Quod vtrumque cum magno rei publicae periculo coniunctum eſt. Etſi vero noſtri ſeculi multum laudanda eſt ſedulitas, qua efficitur, vt medicorum, prius ſententia quam feratur, non ſuperficiaria exigatur diſquiſitio, tamen hi ſibi ipſis culpam contrahere poterunt, ſi in diſcernendis effectuum cauſſis debitam non adhibuerint diligentiam, quod ſane bonum et honeſtum virum eo debet impellere, ne leuis etiam praetermittatur conditio, quae ad veritatem expiſcandam pertinet. Multa certe quotidie occurrunt exempla, ex quibus tamen nunc, data in hac ſolennitate ſcribendi opportunitate, ſelegimus ſugillationis diſcrimina, quae cautos eſſe jubent medicos, ne, quod ab internis iisque morboſis, corpori inhaerentibus, effectum eſt rationibus, pro ea venditetur cauſſa, quae aliunde acceſſerit, aut violentiae adhibitae externae documenta offerat. Eo magis vero ad haec curatius indaganda excitabamur, quod in memoriam venit caſus pueri, cuius vita affirmabatur in periculum deueniſſe, quoniam magna corporis pars ſugillata exiſtebat, quae a verberibus et violenta tractatione profecta referebatur, inprimis, quum paucis demum interiectis diebus, ſani alias viſi, pueri corpus ſanguinolentis ſtigmatibus defoedatum conſpiceretur, quae non niſi a patris iniqua, vſitata quoque et cognita, caſtigatione dicebatur proueniſſe, mortisque ſubitaneae, vt rumor erat, rationem continuiſſe.

Vt

Vt itaque iuſtitiae aequae et in rerum veritate rite diiudicanda occupatae fieret ſatis, ſectione, vt decet, inſtituta, conditiones cadaueris, et ſugillationum cauſſas, nec non inde deriuandam culpam optime manifeſtari poſſe iure exiſtimabatur. Quam quidem ea propter nunquam intermittendam eſſe cenſemus, quod, quae in ſuperficie corporis apparent notae, ad praegreſſas morboſas rationes, quibus in producenda vel accceleranda morte vis eſt, ita explicandas, vt iudicem inſtruant, minime ſufficiunt. Huius itaque ſectionis praecipua momenta hic adducemus, quod ex iis, ceu exemplo, intelliguntur ea, quae ad cauſſarum ſcrutinium pertinent. Totum nempe corpus exterius macilentum comparebat, ſignum antegreſſae oligochymiae offerens, rubicundae hinc inde et inflammatae maculae conſpiciebantur, quae non niſi circulo humorum adhuc vigente excitari poterant, contuſionum praeter ea, ſugillationum excoriationumque veſtigia diſtincta occurrebant. Tales praecipue in capite frontis regionem, genam dextram et maxillam inferiorem, mentumque, auriculam deinde ſiniſtram, cutim vero vix penetrantes, videbantur occupare. In vtraque porro ſcapula idem obſeruabatur, eo tamen cum diſcrimine, vt ad dextram rubicundae fere et roſeae, procul dubio recentes, ad ſiniſtram e contrario liuidiores atque ſicciores, et cruſta ſuperinducta inſtructae detegerentur iam antiquiores excoriationes. In pri-

mis, quam late patet, dorſum pene integrum miro modo ſugillatum exiſtebat, a quo cuticula etiam aeque facile ac a natibus ſecedebat, vbi ſimul profluens ex inteſtino recto puris copia in conſpectum veniebat. Nec deerant in vtroque femore inflammationis indicia, itidem in crure, pedes vero extremi coeruleſcente colore perniònem notabant. Sugillatio itaque in dorſo prorſus ſingularis omnem expoſcebat attentionem, quare, tegumentis cutaneis diſſectis, ſanguis ita extra vaſa miſſus inque telam celluloſam congeſtus erat, vt a ſcapulis ad nates vsque coagulum cruoris extenderetur. Hae vero notae, obiter conſideratae, id ſane efficerent, vt exterioris nec leuis cauſſae agentis vis ſufficere videretur ad ſimilia producenda mala, quae tamen a medico, in foro verſante, ad decernendum nec ſufficientia nec idonea ſatis habentur: quod ſuſpicandum eſt, in internis quoque partibus haud raro abſcondi vitia, ſine quibus vel externa violentia tam noxia euenire non potuiſſet, vel quae lethale demum feciſſent periculum. Hinc protinus ad interiora rimanda acceſſimus. Sub cute ventris et in omento et in habitu inteſtinorum vbique deficiebat ſolennis pinguedo. Ipſa quidem inteſtina extus rite ſeſe habebant, in ieiuni tamen gyris quibusdam, in coli ea transuerſa parte, quam zonam nominant et in deſcendentis eius ſiniſtra flexura praeter conſuetudinem et naturam coarctationes et condenſationes erant, nec non glandularum

inteſtinalium, pariter ac meſaraicarum ſcirrhoſae exulcerationes, pancreatis deinde durities et tumor. Ventriculus et inteſtinorum tractus ſpumam pituita remixtam, non paucam, inteſtinum rectum et vicina coli exeuntis pars purulentam, ex glandulis, vt diximus, exulceratis profluentem, materiam ſuppeditabant. Pulmones etiam vtrinque accreti, attamen ſani reperiebantur, nec pericardium vitioſam liquoris copiam adſeruabat, nec integritas coſtarum laeſa erat. Sub cute porro cranii, in frontis dextro latere, ſupra pericranium, aliquot ſanguinis guttulae ex vaſis euaſerant, absque omni tamen ſubiectorum oſſium animaduertenda laeſione vel mutatione quacunque; quum e contrario mox ſub dura matre in vtriusque cerebri hemisſphaerii ſuperficie tanta ſanguinis, ex vaſis erumpentis, moles piam defoedaſſet meningem, vt membranae expanſae ſpeciem referret, a coagulata cruore ortam. Hanc autem iam ante mortem ibi collectam fuiſſe coniicere licebat ex ſeri, protinus per apertam duram matrem effluentis, copia. Siquidem et ſanguis per haemiſphaeriorum ſuperius interſtitium ad calloſum corpus vsque deſcendiſſet, et ſeroſa colluuies ſub pia matre gyrus cerebri ipſius diſtendiſſet, nec non ſub hemiſphaeriis ſupra tentorium grumi ſanguinis detegeruntur. Reliqua cerebri ſubſtantia et caua eius ſeu ventriculi parcam et ex vaporibus tantum collectam aquam continebant, intacta omni eius maſſa.

 Cere-

Cerebellum tandem integram, turgidam vero ſanguine oſtendebat piam matrem, vaſis eius porpemodum infarctis.

Tot itaque ſimul obſeruata phaenomena omnino ambiguum reddere poterunt medicum forenſem, num praeſentibus iis morboſis ſignificationibus potius, quam extus applicatis, non obſcure ſuſpicandis, violentiis effectus tribui debeant funeſti. At enim vero, cauta omnium conditionum perſpicientia diiudendam eſſe ſententiam declarat, quam alia ſint, quae a morbi inhaerentis indole pendeant, alia deinde, quae non niſi externis, iisque a morbo diſtinctis cauſſis, originem debeant.

Sugillationum quippe ea eſt natura, vt per errorem, quem vocant, loci in minimis cutaneis et ſubcutaneis tubulis, primo ſanguinis molecula haereat et ſtagnet, quae deinde, vel ob inhaerentem acrimoniam, forte ſenſim quoque enatam, vel ob copiam, vaſis diſruptis, ecchymoſin manifeſtiorem reddat, vt lata non raro corporis pars, diffuſo cruore, alienum contrahat colorem. Quare ſemper animo medici forenſis obſeruari debent haec diſcrimina eaque, ſollicite demum indagata, certiorem eundem facient ad idoneum ferendum iudicium. Enaſcuntur nempe ſugillationes, dum vita adeſt et circulus humorum viget, eaeque verae ſunt, duplicis autem generis. Aliae, qnae a morbis, vt diximus, proficiſcuntur, aliae, quae a violento, corpus vexante, im-

petu.

petu. Deinde poſt mortem quaedam fiunt, quas facile ſpurias dixerimus, etſi vim habent imprudentes fallendi. Hae poſteriores autem ita omnibus ſolennes ſunt cadaueribus, vt vix meminerimus, inter tot perluſtrata quoddam fuiſſe, quod liuidis, coeruleſcentibus imo rubris et ſanguineis pene maculis ſtigmatibusque non fuerit inquinatum, quas noſtrates *Todten-Mähler*, quaſi maculas morte productas, nominare ſolent. Has ergo, quod dolus et culpa in iis producendis nil valet, neque reo imputari poſſe ſponte liquet, nec difficulter ex aequalitate cutis et contento intra ſuos adhuc cancellos liquido ſanguineo dignoſcuntur, nec non tenuitate humorum, quippe qui poſt mortem vltro quaſi fatiſcunt, ſe prodere ſolent. Si vero longiori poſt mortem tempore diſquiruntur cadauera, praecipue dum ſingulares, humorum reſolutionem et putredinem inducentes cauſſae validius egerint, ex vaſis ruptis vel exeſis effundi ſolet cruor. In quo tamen ſtatu non deficiunt alia putredinis, inſeparabilis mortis pediſſequae, indicia, quae vtique in foro a ſecantibus ſollicite animaduerti debent, ſimulque, ſi fieri poteſt, in omnes etiam accedentes conditiones inquiri, quo, quid ſingula ad putredinem contulerit et quantum valeat ad corpus delicti confirmandum nec in dubitationem vocandum, appareat. In altero deinde ſugillationum genere diiudicando, quae morborum ſequelae habentur, iterum alia viuentis alia

 demor-

demortui hominis eſt conſideratio. De morbi etenim natura, quamdiu vires vitae aliquam adhuc praeſtant efficaciam, perito medico non difficilis eſt perſcrutatio, quo partim, quid per praeſentem morbum mutatum fuerit aut mutari debuerit, intelligat, partim, quid per methodum medendi peruerſam aut concinnam et conuenientem euenerit, reſciſcat. In demortuo homine e contrario res multo difficilior eſt, morbi quidem effectus aliqui dignoſcuntur, cauſſae tamen obſcurae manent, nec ſemper, omni licet adhibita opera, ſufficienter deuelari poſſunt. De ſugillationibus, in capite neogeniti reperiundis, alibi expoſui, *in Diſſ. I. de Diagnoſi vitae foetus et neogeniti §. XIII.* quae violentae licet ſunt, nullam tamen matris parientis culpam denotant. In adultorum deinde cadauerum perluſtratione quae occurrunt, eam ob rationem ambiguae fiunt, quod ſaepiſſime de iis, vt, ſi talia v. c. in viis publicis inueniuntur, antegreſſi morbi vel iniuriae paſſae nulla plane obtineri poteſt cognitio, et neglectae curae nonnunquam tribuendum eſt, quod aliunde exortum fuerat. Quum vero contuſorum, vexatorum et vulneratorum vehementiores impetus diſtincti et luculenti ſint, ſi cutim non detritam tantum et lacetam, ſed ſanguinis etiam paullo maiorem effuſionem coagulumque, muſculorum conquaſſationem, fractorum oſſium ramenta, vaſorum dilacerationem, partium, per naturam vnitarum, ſepa-

ſeparationem magnam et inflammationis, ſi non completae, tamen incipientis, ſigna detegamus, neminem futurum eſſe arbitramur, quin ſponte ſua perſuadeatur, hos omnes et funeſtos quoque euentus confidenter adſcribendos eſſe externae violentiae, quae conſulto acceſſerit et proximam mortis cauſſam conſtituat. Nec talia vel ſecantem medicum de culpa aggreſſoris dubitare permittunt, vel iudicem in ſententia dicenda morantur, ſiquidem in partibus corporis, male affectis praecipue, ſi ad vitam continuandam abſolute pertinent, omnis ratio haereat vitae deperditae, lethalitatis et ἀδυναμίας curandi.

Sed, quo hujus doctrinae praeſtantia clarior euadat, liceat iam dicta paucis ad exemplum, ſupra propoſitum, referre, in quo tum violentae ſugillationis, tum ſpontaneae, ſi ita dicere fas eſt, diſcrimina inter ſe mixta occurrunt. Athrophicus nimirum ſtatus, qui ex pinguedinis defectu et telae celluloſae vacuitate, ex marcore totius corporis, nutritionem deficientem ſatis monſtrante, manifeſtatur, malus praeter ea inteſtinorum habitus et morboſae eorum anguſtiae, quae in conficiendo chylo eodemque decenti modo reſorbendo obſtacula pariunt, quod et tenuia ſic dicta inteſtina et craſſa male hinc inde contracta deprehendebantur et pituita viſcida replebantur; glandularum deinde inteſtinalium praeternaturalis durities et ſcirrhus cum iam adiuncta exulce-

ratio-

ratione, ſimilisque meſaraicarum et pancreatis diſpoſitio, puris effluentis ex ano praeſentia, non leuem, ſed diuturnum et omnem humorum maſſam corrumpentem morbum indicant. Hi vero cacochymiam induxerat diu, et ſenſim ſubtiliori quaſi reddita acrimonia ſanguinem ipſum ſic attenauerat, vt vtique fieri potuerit, quo ex minimis vaſculis effuſae guttulae ſugillationem excitarint eademque tum in externis tum in internis contigerit partibus. Ex impedito tandem ſanguinis per vaſa progreſſu in minoribus non ſolum tubulis ſtaſes promte euenire poterant, ſed in iis quoque locis, quae affluentium humorum impetui facile cedunt, ruptura fieri et effuſio, qualem in cerebri deteximus ſuperficie ad quam ſuam conferre debuit partem, perpetuus ille inteſtinorum, praecipue recti ſtimulus atque teneſinus ab acri purulentaque, continuo vellicante, materia excitatus. Idque cito ſatis contigit, dum reſorpti quoque puris indicia in corruptis humoribus occurrunt, quam cuticulae ſpontaneus ſeceſſus declarat in dorſo et natibus obſeruandus.

Hae itaque notae morboſos effectus ſignificant. Ad pernionem enim, qui perpeſſi et infeſtantis frigoris ſigna ex tempeſtate frigida exortum exhibebat; obierat enim puer ineunte demum anno; reſpicere non opus eſt, quod ex eo

cauſſa

cauſſa mortis deriuari nequit. Nec leuiores, in externa corporis ſuperficie occurrentes, excoriationes multum valent vel vrgeri in foro poterunt, quod, num ab ipſius aegroti inquieto decubitu, quippe qui ob iam adductas conditiones varie debebat angi, num ab externa pendeant irruente cauſſa, decerni nequit, nec eae pariter ſint funeſti exitus cauſſa habendae. Quare de ſimilibus ſugillationibus prouide diſſerendum eſſe cenſemus, quae aeque ab aegroto ipſo quam ab alio poterant proficiſci. Quum autem ingens, in dorſo reperiunda, extra vaſa facta cruoris effuſio illiusque coagulum, nec, qualem morbus produxiſſet, fluidi attenuationem oſtenderet, hinc euidentiores longe perpeſſae iniuriae conditiones doceret, eam violento excitatam fuiſſe modo affirmandum eſt, quo deinceps iudici, vlterius in cauſſam nocentem ſcrupuloſiusque inquiſituro, via aperiatur commoda. Conſtat enim ex antecedentibus, eam lenti morbi efficaciam non fuiſſe, quae vaſa rumpendo ſanguinis immanem effuſionem produxiſſet, hinc aliam accedere debuiſſe cauſſam, quae a morbo aliena, euentum adeo atrocem effecerit.

Ab omni ergo ambiguitate liberae ſunt in cadaueribus deprehenſae ſugillationes, funeſtique euentus cauſſae habendae, ſi cruoris effuſio magna fuerit, ſi putredinis iudicia non niſi le-

uia

uia inueniantur, carnes autem nec maceratae nec ſolutae putrilagine appareant, ſi tandem morbi praegreſſi, validique et teſtimonia abſint et documenta illorum in diſſectione non detegantur. Sic enim nuper demum ad nos relatus eſt caſus pueri, qui morbo dicebatur dyſenterico defunctus eſſe, in cuius tamen cadauere morbi, qui praetexebatur, nullum occurrebat veſtigium. Intra colli enim muſculos ſanguis effuſus plurimus et curatiore ſcrutinio venae iugularis ruptura detegebatur, quae integris carnibus a putredine non poterat produci, vt etiam tunc a violenta conquaſſatione et a verberibus inflictis, quae reus non abnegabat, mortis cauſſam repetendam eſſe, iuſto iudicaretur.

XXIII. DR.

XXIII.

DR. PHILIPPI CONR. FABRICII

Progr.

quo

Cauſſae infrequentiae vulnerum lethalium prae minus lethiferis ex fabrica corporis humani anatomica et ſitu partium praecipue eruuntur.

Helmſtadii, 1753.

Homo perfecte ſanus et conſueto Naturae robore gaudens, regulisque diaeteticis, ſpecialiſſimae eius conſtitutioni natiuae vel adquiſitae accommodatis, conuenienter ſex rebus ita dictis non naturalibus vtens, ſi morborum epidemiae abſint, vtpote a quarum malignitate nemo ſatis tutus eſt, morborum internorum periculo immunis ad ſeros annos viuit et maraſmo ſenili, ceu vera illa morte naturali, a propriis actionibus machinae humanae ineuitabili euentu inducta, vita exſatiatus denique decedit, et quem ſapientiſſimus

mus benigniſſimusque Naturae Auctor in hoc rerum ſyſtemate dederat, curſum abſoluit. Ratione violentiae externae vero corporum duriorum peregrinorum in eum caſu irruentium, vel ipſi ex deſtinatione inflictorum, res longe aliter ſe habet: nam ab his ne viuaciſſimo quidem perfecta ſecuritas eſt, quum neceſſaria artuum et reliquarum partium ſolidarum corporis eius agilitas et functionum inde reſultantium conditio abſolute requiſiuerint, vt illud potiori modo molle ac flexibile ſit, ipſaque oſſa nimiae vi exteriori admotae denique cedant, et varie ſaepe laedantur.

Cauſſam hoc ſuppeditat, cur optimi quique Hiſtoriae Medicae Auctores illi Medicinae pragmaticae parti, quae manu medetur, prae altera, quae medicamentis internis labefactatae valetudini humanae ſuccurrit, maiorem adhuc et antiquitatem et neceſſitatem vindicent, quum in ſimplici et frugali viuendi genere, quo primi mortalium contenti erant, Naturaeque humanae, nullis maiorum morbis et debilitatibus, in poſteros hereditaria lege propagandis, exhauſtae, vt ita dicam, prima iuuentute et maximo virium vigore ac flore procul dubio adhuc ſatis diu morbos internos grauiores ignorauerint, poſtquam iam dudum pro vitae humanae, tot caſibus et rerum diſcriminibus externis ſubiectae, conditione variae vulnerationes et aliae laeſiones perpeſſae doloresque et reliqua incommoda inde per-

cepta

percepta ipſis neceſſitatem conuenientia illis auxilia conquirendi impoſuerant. *a*) Licet verò haec laeſionum corpori humano exterius inductarum frequentia deinde ſucceſſu temporis in immenſum augeri neceſſario debuerit, ex quo in propriam perniciem ingenioſum humanum genus vſum ferri et reliquam artem militarem didicit ac neceſſariam reddidit, quae poſt pulueris Pyrii inuentionem praecipue ad culmen perducta fuit: quotidianus tamen adhuc euentus vnumquemque conuincit, quod calculo vniuerſaliori inito, longe plures ſemper numerentur machinae corporis humani laeſiones ſanabiles, quam earum, quae omnem medelam excludunt, et ineuitabili effectu mortem inferunt.

Sic ſi Hiſtoriam ciuilem recentioris aeui praecipue euoluamus, quo bella maiori ratione, humanitate et manſuetudine geruntur, nec vt olim ad exercitus et gentis inimicae totum excidium et deletionem producuntur, vel in cruentiſſimis praeliis numerum ſauciatorum ſemper fere maiorem, quam illorum, qui ſtatim morte occu-

a) Conferatur BARCHVSEN Hiſtor. Med. p. 16. SCHVLZ. Hiſtor. Med. p. 201. §. 34. No. III. *Stoll* Hiſtor. litter. Medic. Germanico idiomate ſcript. p. 806. et alii ibi allegati Auctores antiqui, nec non BOERHAAVE Praelection in propr. Inſtit. rei Medicae ex Edit. et cum notis illuſtris HALLERI Vol. I. pag. 7.

cubuerunt, deprehendimus. Prout in praxi Medico-Chirurgica priuata quoque plures vulnerati priſtinae ſanitati reſtituuntur, quam pereunt, quanquam apud Scriptores Medicinae forenſis caſus vulnerum abſolute lethalium illorum, quae illethalia vel per accidens tantum mortifera, ſecundum res circumſtantes et conditionem laeſionum declarantur, numerum vel ſuperent, vel aequent. Nam vt cuique notum eſt, de illis praecipue laeſionibus apud rerum criminalum iudices agitur et Medicorum ſententiae expetuntur, quae mortem vere et poſt paruum plerumque temporis ſpatium inſequentem habuerunt, adeoque magna lethalitatis abſolutae ſuſpicione laborant.

Rationes huius rei indaganti vix meliores occurrunt, quam tum naturalis defenſio et periculorum intentatorum atque imminentium euitatio, quam quilibet homo vario corporis et artuum motu ſibi dare poteſt ac ex naturali quodam inſtinctu adhibet, prout verbi gratia infantes et pueros iamdum, caſu corporis imminente, brachia praetendere plerumque obſeruamus; tum etiam admiranda illa et ſumma prouidentia compacta corporis noſtri interior fabrica, qua viſcera et reliquae partes eius, quarum laeſiones maius et praeſentaneum periculum coniunctum gerunt, quarumque integritas ad vitam et ſanitatem continuandam prae reliquis magis neceſſaria eſt, omnium maxime abſconditae et a reliquis vel firmioribus, vel minoris tamen, quod ad conſeruationem noſtram attinet, momenti obtectae latent.

Ad

Ad veritatem huius aſſertionis plenius probandam haud alio mihi auxilio opus eſt, quam vt partes corporis humani eo ordine mentis acie perluſtremus, quo illae cultro Anatomico obuiae eruuntur, et quo quaeuis etiam alia vis externa eas attingere valet, vbi ſtatim, quod haec res non aliter ſeſe habeat, patebit.

Hic vero cuilibet Anatomiae vel mediocriter gnaro conſtat, quod inter partes molles, corpus humanum exterius conſtituentes, et primum ac integrum laeſionum quarumcunque externarum impetum recipientes, praeter integumenta communia vix aliae, qnam muſculi cum vaſis ſanguiferis lymphaticisque nonnullis fortaſſe, vt et neruis et glandulis quibusdam oſſibus circumiectae occurrant. *b*) Ex his muſculi motibus voluntariis exercendis iſto liberiori ſuo ſitu non tantum aptiores fiunt, ſed eorundem etiam laeſio

b) In teſtudinibus, cochleis, cancris et pluribus oſtracodermatis haec alio modo ſe habent, minori non ſolum agilitate vtpl rimum indigentibus, ſed maiori quoque periculo extertерno expoſitis, quorum hinc partes omnium duriſſimae exterius locatae ſunt, vid. celeberrimi LINNAEI Syſtem. Natur. Claſſ. III. Ord. II. 95. Claſſ. V. Ord. VII. 206. vt et Claſſ. VI. Ord. III. de Teſtaceis nec non Faun. Seucic. p. m. 357. 360. et ſeqq. Eadem ratio in inſectis coleopteris et hemipteris obtinet, de quibus euoluatur idem Syſtem. Natur. Claſſ. V. Ord. I. et II. Edition. A. 1748.

aeque ac glandularum, vt ex Medicina forenſi notum eſt, nunquam per ſe ad mortem inducendam, ſi debitum auxilium Medicum et Chirurgicnm accedat, ſufficit, ita vt aeque ac oſſa viſceribus, tribus corporis cauitatibus maioribus incluſis, optimi propugnaculi loco inſeruiant. Vaſorum praeterea ſanguiferorum illis interpoſitorum lumen ſeu diameter, collo et artubus exceptis, in reliquo corpore vtplurimum minor eſt, quam vt ne debitis remediis adhibitis haemorrhagiae ab eis laeſis exortae breui compeſci queant. Id ipſum vero quoque in materia quadam deleteria exterius cum laeſione continui, verbi gratia per morſus animalium venenatorum, cum ſanguine hominum communicata hoc emolumenti praebet, vt illa ob minorem capacitatem vaſorum plerorumque hic occurentium non niſi exiguae ſanguinis portioni pedetentim admiſceatur, adeoque per impetum et efficaciam actionis vitalis cordis, in totam maſſam ſanguineam conſtanter editae, eiusque propriam vim balſamicam multa ſui parte infringatur et mutetetur, antequam reliquum ſanguinem aliosque humores inde ſecretos corrumpere, vel ipſis viſceribus nobilioribus perniciem inducere valeat. *c*) Quid quod idem benefi-

c) Luculentum huius rei exemplum occurrit in morſu viperae Americanae caudiſonae ſeu Crotalophori, de cuius morſibus in ingenioſiſſimi LINNAEI Diſſert. de radice Senega ex Cates baeo

beneficium humanae vitae et ſanitati iamdum ex eadem ratione contingat, cum venena ſuperficiei externae corporis noſtri admota aliaeque noxes a venis abſorbentibus cutaneis receptae cum fluidis noſtris ſubinde communicantur, eisdem et ipſis firmioribus partibus citam deſtructionem et putredinem vniuerſalem alioquin inductura e. *d*)

F 3 Quae

baeo adnotatum legitur, quod ſi eueniat, vt magna aliqua vena fuerit pertuſa, omni fruſtanea ſit Medicina, niſi amputatio partis vulneratae illico inſtituatur, quia alias hoc modo laeſus vix vltra minuta 5. aut 10. vitam ſeruare poſſit, interdum vix vltra duo. Si vero in partem carnoſam et muſculoſam truculentos ſuos infixerit dentes, ſine vulneratione partis cuiusdam nobilioris, ſacram vulnerato Ancoram eſſe illam radicem, quae ſpecies Polygalae eſt. Confer. *Amoenitat. Academic.* Eiusdem *Volum.* 2. pag. 131. et ſeqq. legatur vero quoque ſummi viri R. MEAD. Oper. Med. Tom. 2 Tent. I. de vipera pag. m. 62. et ſeqq. qui incolis Americae creditam vim incantantem et attractiuam huius ſerpentis ex terrore Panico, Sciuris et auiculis, ſono crepitaculi excitatis, ſolo adſpectu illius incuſſo, ſolertiſſime explicat, ac ſimul iconem et deſcriptionem Anatomicam egregiam huius animalis organorumque eius nociuorum exhibet.

d) Inde exempli cauſſa accidit, quod miaſmata morborum malignorum et ſumina contagii truculentia infeſtorum indubitato hauſta ac per venas

Quae autem arteriae vel venae in artubus capaciores ſunt, et quarum hinc vulnera nimis celeri et copioſa ſanguinis profuſione citius certiusque funeſta eſſe poſſent, vel intra craſſos muſculos aliasque partes abſconditae ſunt, vt *axillares* et *humeri arteriarum venarumque principium*, quod in cauo ſubaxillari muſculo latiſſimo dorſi, pectorali maiori et ipſo humero defenſum deliteſcit, nec non *vaſorum cruralium* portio inferior, quae ad cauitatem ſub genu deproperans *poplitaeorum* nomen ſortitur, vel tamen in facie interiori et anteriori artuum tam ſuperiorum quam inferiorum maximam partem decurrunt, vbi vis externa vulnerationem minitans oculis vulnerandi ſtatim occurrens et praeuidenda artuum et reliqui corporis vario motu atque inclinatione ſaepius euitari poteſt, vel ſaltem compreſſione ac de-

venas abſorbentes minores ſanguini admixta tamen ſuperentur, atque nihil detrimenti ab hominibus illibata ſanitate fruentibus ſaepe percipiatur, etiamſi immediatus contactus atque communis atmoſphaerae putridae vſus acceſſerit vt quilibet Medicus in artis ſuae exercitio experitur. Id ipſum vero quoque in cauſſa eſt, cur efficaciſſima licet alias remedia topica per ſe et ſolitaria vtplurimum parum efficiant, praecipue ſi corruptio atque deprauatio quaedam vniuerſaliter totam humorum maſſam inuaſerit vel labes quaedam viſceris alicuius potioris in oeconomia animali momenti ſubſit,

deligatione propriis vulnerati manibus utcunque facta haemorhagia copioſior, donec medela chirurgica perfecta obtineatur, haud parum ſaepe impediri. Quum quoque arteriarum laeſiones vulneribus venarum ſociarum periculoſiores ſint, illas his vbique fere interiores atque ſubiacentes conſpicimus, principio arteriae cruralis excepto *e*) cui vero ob rationes ſupra allegatas plurima alia tamen defenſio naturalis contingit. Idem de neruis maioribus artuum adnotandum venit, vtpote quos inter *plexus* ſic dictus *brachialis*, propria capſula celluloſa pingui inſuper inuolutus, itidem muſculis craſſioribus obtectus latet, ramosque ſuos per brachium decurrens deinde diſtribuit, plerumque propius ad oſſa locatos. *Cruralis* vero cum vaſis ſanguiferis cruralibus eorumque ramis eodem vtplurimum tramite decurrit, ac *iſchiadici* nerui extra peluim egreſſi principium et craſſior pars muſculis glutaeis aliisque contra iniurias externas inſigniter defenditur.

In collo quidem varia inſignia vaſa et nerui, nempe *arteriae carotides* et *venae iugulares internae* cum *neruis intercoſtalibus* et *vagis cer-*

e) Illuſtr. HEISTER. Compend. Anatom. p. m. 158. in quo libro paſſim ad ſecuritatem corporis humani, quae ex ſitu partium naturaliter prouenit, plus attenditur, quam in vllo alio compendio Anatomico, mihi cognito.

uicalibusque ac *phrenicis* ſtatim ſub cute et vtroque platiſmate myoide muſculisque ſterno - maſtoideis locata occurrunt, et ſic violentiae externae ſatis obuia videntur. Sed cum in facie corporis anteriori ſita ſint, eadem defenſionis naturalis facilitate, quae aliis in regione anteriori corporis ſitis partibus propria eſt, gaudent, vel depreſſione atque flexione capitis verſus ſternum iamdum acceſſui periculorum externorum ex parte ſubtrahuntur. Quae vero in poſteriori colli regione ſatis abſconditae decurrunt *arteriae vertebrales* pluribus craſſis et firmis non ſolum muſculis caput atque collum extendibus obteguntur, ſed magna quoque ſui parte intra foramina apophyſium transuerſarum vertebrarum colli tutae ſunt.

Quodſi iam ad interiora corporis luſtranda nos accingamus, haud minorem curam in ipſis a laeſione externa, quoad eius fieri poteſt, defendendis adhibitam, conſpicimus.

Sic *abdominis media viſcera*, quae alioquin plus ac alia periculo externo exponuntur, craſſisſimo in ſanis hominibus plerisque panniculo adipoſo et muſculis abdominis non inſignem ſolum defenſionem contra vim externam, niſi nimis fortis ſit, obtinent, ſed etiam cutis, quae hanc regionem corporis tegit, textura tam admirando artificio conſtructa eſt, vt licet illa hic quam in multis aliis corporis regionibus longe

tenuior

tenuior ſit, multum difficilius tamen ab inſtrumento pungente perforetur. *f*) De reliquo idem hic obtinet, qund ſupra de partribus colli anterioribus notatum fuit. E regione *poſteriori* et *laterali* vero vertebrarum lumborum robur et muſculorum dorſi et lumborum craſſities multam *ipſis* ſecuritatem praeſtant, et quae *inferius* abdominis *cauum* occupant *partes generatione dicatae internae* ac in feminis praeſertim *vterus* cum *foetu* tempore grauiditatis in illo contento *g*), *veſica* vrinae et *inteſtinum rectum* cum *plexibus neruorum iſchiadicorum vaſisque hypogaſtricis* a ſatis firmis oſſibus innominatis atque ſacro, peluis cauum coniunctim conſtituentibus *h*) et qui haec exterius vel interius quoque obtegunt, variis muſculis optimae itidem ſecuritatis praeſidia accipiunt. In *regione ſuperiori* abdominis de-

 nique

f) illuſtr. WINSLOW. Expoſition Anatomique Tom. III. Traite des tegumes §. 7. pag. m. 271.

g) Cuius funiculus vmbilicalis ob id ipſum vna cum foetu liquori amnii innatat, vt compreſſioni, ruptioni aliique laeſioni, a cauſſa externa violenta matri grauidae inducta, minus obnoxius ſit, confer. illuſtris HEBENSTREIT. Funicul. vmbilical. human. Patholog. §. 7.

h) B. CASSEBOHMIVS in methodo ſua ſecandi pag. m. 44. §. 3. veſicam vrinariam, ſi vacua ſit, extra pelvim ſitam dicit, id quod vero de pelui, vt ita loquar, membranacea, a peritonaeo formata intelligit.

nique ac *laterali*, utroque nempe hypochondrio *lien*, *ventriculi* os, ſiniſtrum cardia dictum et dextrum ſeu pylorus praeſertim atque *hepar* coſtarum inferiorum tegmine multum reconduntur.

Quum inſuper, vt aliunde notum eſt, vita humana tunc in maximo ſemper periculo verſetur, quando vaſa ſanguiſera maiora, praecipue interna, ad quae nullus arti Medicae et Chirurgicae conceditur acceſſus, ſauciationem acceperint, illa in abdomine quoqne vbique ita diſpoſita inuenimus, vt trunci et rami eorum maiores, vt ſunt: *ſinus venae portae cum ramis maioribus ventralibus*, *arteria coeliaca*, *meſenterica ſuperior*, *arteriae et venae renales*, *arteria meſenterica inferior* cet. intra reliqua viſcera maxime abſcondita lateant. *Arteria* vero *aorta* aeque ac *vena caua*, ſicut in thorace, ita in abdomine ante corpora vertebrarum decurrit, et ab eis contra vim e regione poſtica corporis intentatam defenditur, prout anterius plura viſcera abdominis eadem vaſa mole ſua obtegunt. *Nerui* denique *intercoſtales* ante corpora vertebrarum lumborum verſus peluim pariter deſcendunt, plexusque eorum inſigniores circa principia arteriarum maiorum potiſſimum formantur, adeoque pari cum eis, ratione ſecuritatis ſorte gaudent, et *trunci neruorum lumborum*, muſculo pſoa vtroque magna parte obtecti ſunt.

Ad thoracis viſcera quod attinet, quum illo-

rum

rum pleraque et potiora, *cor* nempe et *pulmones* cum *vaſis ſanguiferis* maioribus adnexis, actionibus omnium nobiliſſimis, poſt animales, vitalibus peragendis atque continuandis inſeruiant, longe maiori quoque defenſione, quam abdominis viſcera aliaeque partes munita ſunt. Licet enim coſtarum in reſpirando neceſſaria mobilitas haud permiſerit, vt perfectus thorax oſſeus et undique imperuius, vt in cerebri, cerebelli, medullae oblongatae theca oſſea, nec non in vertebris medullam ſpinalem includentibus fere accidit, haec organa vitalia clauderet: plurima tamen thoracis externa portio oſſibus, ſcilicet ſterno, 12. coſtis, vertebris totidem dorſi, nec non vtraque ſcapula, quae coſtis ſuperioribus poſterius lato ſpatio incumbunt, vt et variorum muſculorum ſtratis ſatis craſſis ita componitur, vt vix niſi per interſtitia coſtarum vi externae directe intentatae facilior aditus concedatur, qui vero quum coſtae quouis momento ſitum ſuum mutent, frequentiſſime ſimul interrumpitur. *Nerui* autem et *vaſa ſanguifera coſtalia* pleraque ac ſuperiora ſingulari ſulcis portionis inferioris coſtarum artificio recepta, ne ſic quidem, ſaltem a ui punctim inflicta, atque coſtis integris attingentur. *Ductus* quoque *thoracicus venae ſine pari* et arteriae aortae magnam partem intermedius, et cum eisdem ante corpora vertebrarum dorſi aeque ac *vena caua inferior* thoracis, per ſe breviſſima, ſitus, eodem

dem cum illis ſecuritatis beneficio fruitur. Pari modo *ciſterna* ſeu *receptaculum chyli* tanquam thoracici ductus initium, id quod ſupra in abdomine monendum fuerat, in concurſu corporum vltimae vertebrae dorſi et primae lumborum collocata, dextroque diaphragmatis crure magnam partem obtecta, non minori cura latet. *Subclauia* denique *vaſa* poſt clauiculas ſita, pariter non niſi e longinquo, vel his oſſibus prius deſtructis, vulnerationi externae patent.

Quod iam ad illam animae tenerrimam et mirandam ſedem omniumque actionum corporis noſtri primum mobile, vt ita dicam, *cerebrum* attinet, illud praeter cutem capitis quam alibi hic longe craſſiorem eo firmiori oſſium compage incluſum obſeruamus, quo grauius et certius ſenſuum impedimentum damnumque vel ſolae eius compreſſiones ob molliſſimam conſiſtentiam oeconomiae animali humanae iamdum minantur *i*) multo magis vero ipſae vulnerationes et continui eius ſolutiones, licet hoc ſimul veriſſimum ſit, quod in nullo vulnerum et aliarum laeſionum etiam grauiſſimarum genere plures praeter ſpem primo conceptam vulnerati mortem nihilominus effugiant. *k*) Accedit huic, quod haec cor-

i) vid. BOERHAAVE praelection. ad prop. Inſtit. rei Medicae ſupra allegat. Vol. II. §. CCLXXXIV. p. 583. et ſeqq.

k) illuſtr. ALBERTI Iuriſprudent. Med. part. I. Cap. XIV. §. 38. litt. c.

corporis humani ſuprema regio, caput, vtpote ſupra oculorum uulnerandi aciem et extra defenſionis artuum eius, vt ita loquar, ſphaeram magnam partem poſita, teſte experientia Medica forenſi *l*) a maleferiatis vulneratoribus omnium frequentiſſime ictibus petatur, quum interea ſumme neceſſaria vt ſupra dictum reliquas ad actiones corporis continuandas cerebri integritas ſit. Praecipue vero in regione capitis poſtica, nam iſta prouidentiae humanae et periculorum cautae declinationi omnium minime ſubiecta eſt, craſſities caluariae eo maior deprehenditur, quo perfectior inde ſecuritas contra plagas et aliam haud mediocris ſaepe vehementiae vim externam tum in *cerebellum*, tum in ipſam *medullam oblongatam* et *medullae ſpinalis* principium redundat. Reliqua antem oſſa cranii in homine adulto in vniuerſum cum occipitis oſſe et ſe inuicem, interuenientibus ſuturis eum in finem iuncta nouimus, vt etiamſi vis externa vehementior vni alteriue eorum fracturam induxerit, huius tamen per reliqua oſſa decurſus, quantum fieri poteſt *m*) in-

l) VALENTINI Pandect. Medic. legal. Part. II. Sect. II. de vulner. capit. lethal. Introduction: §. I.

m) Plagis enim violentioribus, oſſi frontis, vel oſſium alterutri bregmatis oſſiue occipitis inflictis, tum reliquorum oſſium vicinorum cranii vnum alterumque, tum ipſum proceſſum petroſum oſſis temporum proximi, ſuturis non ob-

interrumpatur et breuior reddatur. Sicut eadem denique oſſa in infantibus et pueris ob parem ſcopum quam iu adultis molliora ſunt, adeoque a vi externa citius impreſſiones et foueas, quam fracturas contrahunt, vel tamen etiamſi a caſu nimis violento et alliſu ad corpora duriora acuminata interdum perforentur, ob lentorem minus in feſtucas ſoluuntur, quia nempe haec hominum aetas lapſuum periculo omnium maxime expoſita eſt. Ex vaſis cerebri maioribus *arteriae vertebrales* cauitatem cranii ingreſſae ſuper apophyſin baſilarem oſſis occipitis medulla oblongata obtectae eo ſecurius prorepunt, et *carotides internae* per peculiares oſſium temporum canales ad regionem cerebri inferiorem et mediam deproperantes aeque ac *ſinus* durae matris *laterales*, oſſium temporum et occipitis foſſis ſigmoideis inhaerentes, non minus defenduntur. Simili modo vtriusque *nerui intercoſtalis* principium, cuius laeſionem plerorumque viſcerum thoracis et abdominis atonia atque paralyſes fortaſſe inſequerentur, eidem canali oſſeo, quo arteriae carotides caput ingrediuntur, ſtatim immerſum aequali neceſſario cum eis ſecuritate fruitur, omnium neruorum cerebri reliquorum capitibus propter eundem finem ex baſi cranii per foramina ſua egredientibus, et quoad craſſiorem

ſui

obſtantibus, ſubinde frangi, mihi quoque ex autopſia conſtat, id quod in laeſionibus ſclopetorum adhuc frequentius accidit.

ſui portionem intra oſſa maxillae ſuperioris vel inferioris ex parte reconditis.

Hiſce ſufficienti cum animi attentione ponderatis et egregia illa corporum quorumcunque viuorum autocratia, ſenſu mechanico ſumta, ſimul conſiderata, vi cuius partes illorum duriores verbi gratia cartilagines et oſſa laeſa praecipue ſpontaneo callo reſtituuntur, vaſa vero ſanguifera aliaque minora et fibrae molliores diſſectae noua extenſione et ſucci nutritii appoſitione cum parte ſeiuncta ſe vniunt ſubſtantiaque amiſſa reſarcitur, haud difficile erit rationem finalem huius tam admirandi artificii manifeſtam et certiſſimam deprehendere.

Statim enim vnicuique perſpiciatur oportet: compagem corporis humani Natura obinde tam ſapienter et apte conſtructam eſſe, vt ſicut plures praeſtantiſſimi viri iamdudum comprobaruut, regulae concinnitatis et proportionis in illa non tantummodo ſeruentur, licet tam ex principio indiſcernibilium alibi a me iam laudato, quam ex cauſſis accidentalibus verbi cauſſa morbo connato vel adquiſito, et praua conſuetudine praeſertim ſaepe aliquae anomaliae et varietates, praecipue quod ad minimas differentias attinet, hinc inde inducantur *n*) omniaque ad finem primarium

n) Erudite ac per plura exempla hoc oſtendit illuſtris de BERGEN in Diſputatione, qua probatur menſuram et proportionem membrorum

rium aſſequendum, quem Diuinus auctor in producendo illo ſibi propoſuit, ratione conſtitutiones internae quam proximae conſpirent, ſed etiam, quod in hoc Schediasmate oſtendendum mihi ſumſi, in relatione ad res circumſtantes externas eius ſecuritati vitaeque ac integritatis partium conſeruationi inde a primo conceptionis momento ſumma cura proſpiceretur. Hinc quamdiu homo in ſtatu ſocialitatis Naturae et rationi conuenienter uiuit, quorumcunque caſuum fortuitorum, laeſione externa perniciem illi minitantium, effectus noxius omnium poſſibilium ſemper erit quam minimus, violentiae externae aditu omni idoneo modo quam difficillimo reddito.

rum corporis humani ſummam perfectionem et rigorem mathematicum non admittere Ann. MDCCL. edita.

XXIV. DR.

XXIV.

DR. IOANN. ERNESTI HEBENSTREIT

Progr.

De corpore delicti, medici ſecantis culpa incerto.

Lipſiae, 1773.

Quae non artis tantum ſalutaris ſed etiam Iurisprudentiae, in variis cauſarum cognitionibus norma habetur; cadauera defunctorum ſecandi peritia, contemptum ſui, quo Hippocratis pulli, faſtidio, mollitie, vel oſcitantia, incruentis manibus academia excedunt, ſero equidem, ſed certo vindicat; tum rebus quae artem facienti ſiniſtre euenire poſſunt, tum officii, quod agendum a Magiſtratu medicis iniungitur incongruis adminiſtrationibus. Poſt alias expeditiones, quarum rectitudinem, aliunde, quam ex clare perſpecta corporis humani fabrica, habere nequit, illud etiam ſibi incumbere munus ſaepe intelligit medicus forenſis, vt in cauſis criminalibus iudi-

cem, hinc Facultates de conſtantia corporis delicti, certiores reddat, ſiquidem, quidquid in omni proceſſu criminali, cui formando homicidium dolo vel ſcelere commiſſum, occaſionem dedit, agitur vel decernitur, ex medici ſecantis, hinc mortis cauſam exponentis conſcientia et dexteritate fluit; Nolim me hic intromittere in Iuriſperitorum de corpore delicti quaeſtiones, num pro exiſtentia quauis turpis facti contra leges reipublicae, an pro ſubiecto tantum in quo peccatur, cadauere ſcilicet vel furto, accipi illud oporteat; certum tamen et vſu loquendi, qui legibus romanis fuit, obfirmatum eſſe arbitror, corpus pro cadauere occiſi hominis, prout eſt in l. 40. ff. de morte infer. l. 30. §. 4. accipi, quo ſenſu etiam corpus delicti a CARPZOVIO Quaeſt. 108. num. 35. et paſſim, ſtabilitur; quapropter corpus delicti, quantum eius ad medici ſecantis peritiam ac induſtriam redit, erit homicidicii doloſe commiſſi et illatae externae violentiae vnice imputandi, in cadauere publica autoritate ab artis peritis diſſecto, facta deſcriptio. Huius certitudo ſicut ad medicum ſecantem refertur, ita eius incertitudo ſaepiſſime ad proſectores parum cautos redit. Tantae ſaepe tricae. tanti turbines et difficiles explicatu nodi in cadaueribus violenta morte abreptorum hominum eueniunt, vt in biuio ſe conſtitutum ſentiat medicus, et qualem vtrum quae pro agreſſore, vtrum quae contra illum militat, amplecti

debeat ſententiam, prorſus ignoret; Nemini enim dubium ſupereſſe arbitror, a ſcalpello medici ſectionem adminiſtrantis, vel vitam vel mortem rei dependere. Suſpenſis adeoque, quod aiunt, digitis in arduo negotio, pars iſta cadaueris, quae lethalem violentiam tulit, adminiſtranda eſt, ne vel ſupplicia praecipitent medici, dum ad reum referunt, quod eius culpa factum haud eſt, hinc effuſum ſanguinem effuſo alio ſanguine cumulent, vel impune patiantur illatas eſſe manus parricidas innocentibus. Sicut enim iniqua eſt iudicis ſententia quam SENECA *de Ira* Lib. I. Cap. vlt. de Cn. Piſone narrans, affert: *Te duci iubeo, quia damnatus es*: ita criminis haud male complices arguuntur, qui quo Iudex ignoſcat capitali poena digniſſimis, perfunctoria ſectione occaſionem ſubminiſtrant. Laudanda tamen eſt defenſorum induſtria, quorum intereſt, dum culpam homicidii a reo auertere nituntur, corpus delicti, a medico conſtitutum, quouis modo impugnent, et parum liquere aſſerant, num violentia, quae arguitur, mortem intulerit. Quid factu opus ſit, ARISTOTELES in *Rhetor. ad Alex. Reg.* c. 5. illos edocuit. *Aut enim defenſori oſtendendum eſt, nihil eorum, quorum accuſatur, patrauiſſe: Aut ſi cogatur fateri, enitendum eſt, vt geſtum a ſe negotium et legitimum et iuſtum et honeſtum et publicae vtilitati commodum eſſe oſtendat: Si autem hoc oſtendere nequiuerit, aut in inprudentiam aut*

 in

in fortunam, geſta negotia conferens aut iacturas ab his profectas quam minimas oſtendens, vt ſibi ignoſcatur operam dabit: Quamuis autem medici forenſis non ſit, ſtudioſe conquirere, quae homicidii culpam in rei humeros deuoluant, argumenta, quin memorem eundem eſſe oporteat humanitatis, quae ſanguini parcet, et ſatius putetur, relinquere diuinae iuſtitiae vindicandam, quam humana induſtrie euoluere nequit, violentae mortis cauſam; nihiloſecius eo allaborandum eſt ſedulo vt violentiae illatae effectus omnes, quotquot, in diuerſis etiam a loco afflicto partibus, obſeruati ſunt, fideliter enumerentur, id quod vbi fecerit medicus, non ſanguinis cauſae, ſed ſuae inſimul famae militabit, ſiquidem ex relationibus medicorum, quam prope aut longe iſti ab Anatomes cognitione abſint, clare perſpicitur. Saepe enim fit, quo Facultates medicae, de lethalitate laeſionum ſententiam laturae, primaria, quae adynamiam curandi, indicare vel partium vitam facientium turbas ab iniuria illata factas deſignare debebant, momenta, deſiderent; id quod quibus modis aliquoties factum ſit vel fieri poſſit, eo animo nunc indicabo, vt noſtri, datis ſibi opportunitatibus cadauera ſecandi, quas Magiſtratuum in nos fauor vberrimas ſuppeditat, frui diſcant, et perſpecta partium, qualem eſſe decet, integritate, de cauſis mortem facientibus diſpicere valeant, nec ulularum more ad ſolem caligent. Corpora

pora delicti aliquando in ſe tanta obſcuritate premuntur, vt oculatiſſimi etiam proſectores vbique offendant, nec mortis illatae cauſſam certo experimento declarare audeant. Infans, quem violenta morte abreptum ſuſpicatur iudex, putredine diffluit: partes caluaria contentae in quibus corporis delicti conſtituendi momentum plerumque haeret, ſibi non conſtant, nec pulmonum quidem experimento, propter putrilaginem, fides habetur, cum dubia quaeuis pro rea perorent; a ſuibus in partes diſtractum caput tenelli, prout in cauſa praeſentis infanticidae habetur, iudicium de cauſa mortis ferendum dubium facit; Calce viua demerſum infantuli corpus, hinc deſtructum, vel illud ipſum furno concrematum eſt, vt praeter oſſa nihil ſuperſit, quod delictum ab infanticida commiſſum arguere poſſit. Quid medico, rudimenta iſta corporum inſpicienti ſuperſit, ex quo vel vmbram commiſſi criminis aſſequi valeat, nemo videt: quapropter inſuperabilis ſaepe eſt corporis delicti incertitudo cum in homicidio doloſo ad plenariam coporis delicti certitudinem haud ſufficiat cadauer humanum extare, ſed etiam opus ſit, vt violentiae, quo pacto illa mortem fecerit, praeſto ſit perſpicuitas. Proinde etiam haud liquet, quam in gratiam effodienda ſint, longo poſt fatum et aeſtiuo tempore, corpora, quae violenta morte occidiſſe putantur, vel in quorum diſſectione debitam induſtriam medicus haud collocauit, poſtquam putredo vniuerſum de lethalitate alicuius violentiae

illatae iudicium neceſſario perturbauit, niſi enim oſſium caluariae laeſio, quam putrilago turbare nequit, mortis cauſa fuerit, partium molliorum corporis noxas ita in putrido cadauere exponere medicus haud poterit, vt non ſuperſint dubia, reo ſalutifera; accedit, non teneri medicum, quo ſuo aliorumque adſtantium periculo foetidiſſimum cadauer diſſecet, quod ita etiam eſt cum ſubmerſis et ſero apertis, hinc ſanie diffluentibus, in quibus experimenta omnia fluctuant, puapropter exiſtunt caſus, in quibus, ſi corpus delicti parum liqueat, medici induſtria accuſanda eſt neutiquam. Aſt condonandum ſecantibus haud eſt, ſi in cadauere ſincero, parum exquiſite de cauſa mortis diſpexerint et dubios hoc ipſo effecerint iudices de poena afflictiua decreturos. Proſpexit errores Imperator, quapropter, prout eſt in Conſtitutione Criminali CAROLI V, non Iudicem tantum vel eius actuarium cum ſcabinis, ſed plures etiam vno medicos ſectioni legali intereſſe iuſſit, quod vtrum diffidentia an propter dignitatem cauſae ſanguinis factum ſit, dubitare cuidam liceat. Dum autem Chirurgorum in conſtitutione iſthac, quibus ſectio cadaueris relinquenda ſit, mentio facta fuit, neutiquam ita reputandum eſt, ac ſi illiteratorum, prout plerique hodie ſunt, manu medentium res fuerit, ſecare corpora violenta morte abrepta, ſed de medicis ſermo eſt Imperatori, penes quos eo tempore vtriusque medicinae cognitio extitit,

nec

nec habent, exinde, de quo ſibi gratulentur aut magnos ſpiritus ſumant, qui chirurgiae famulitium ad principatum euehere tentant, quod chirurgi Pariſienſes efficere conati ſunt. Conf. *La Brigandage de la Chirurgie, ou la medicine opprimée par la Brigandage de la Chirurgie par MSr. Philipp Hequet. P. I. a Utrecht* 1738. 8. *et alia huius argumenti ſcripta;* ſiquidem, quando chirurgos inſpectioni vulnerum lethalium intereſſe iuſſit Imperator, de medicis ſecandi peritia imbutis legem tulit, cuius tamen ad rigorem eueсta interpretatione hodienum admittitur in actibus eiusmodi publicis chirurgus tanquam medici ſecantis adminiſter, prout eſt apud AMMANNVM in praxi vulnerum lethalium Decade 4. Hiſt. 9. *Quid chirurgus et balneator in ſectionibus praeſtat? nihil, quam quod ſpongias ſanguine repletas exprimat, nam ſecare non poſſunt.* Parum certe ex multitudine teſtium lucratur corporis delicti euidentia, ſi medicus attentus eſſe nolit et lethales violentiae effectus haud diſpexerit: cuius dexteritate corpus delicti, *an occiſus ex percuſſione aut vulnere inflicto obierit illudque lethale fuerit,* iuxta l. 30. §. fin. ff. ad L. Aquil. Conſtit. Crim. Carol. V. art. 147. vnice conſtat. Neminem equidem adeo rudem et artis ſuae inſcium arbitrari fas eſt, vt de euidente vulnerum vel percuſſionum lethalitate ambigat: ſi tabulas oſſium caluariae effractas, ſanguinem in cerebro effuſum, viſcera vi-

talia magna calamitate afflicta, vaſa ſanguiflua ex maximis diſſecta, offendat, et mortem ſubitaneo euentu ſuabſecutam intelligat, quo in caſu, inſpectionem legalem haud neceſſariam eſſe legum interpretes iudicant, ſiquidem, per verba expreſſa Artic. 149. Conſtit. Crim. conuocari ſaltim tunc, quando dubitatur, an quis ex vulnere eſſet mortuus, medicos oporteat; aſt ſpinoſae aliae ſecantibus obueniunt circa lethalitates determinandas, quaeſtiones quarum expoſitio a fideli omnium circumſtantiarum in cadauere obſeruandarum deſcriptione dependet, quarum, quae haud magna proſectori viſa eſt, vt oculos etiam ſubterfugere potuerit, ad definitionem tamen vniuerſi proceſſus criminalis vnica eſſe poteſt. Friuolas defenſorum cauillationes, quibus illi ſaepe, cum alia defenſionis momenta deſint, medici relationem proſcindere ſuſtinent, non audiunt iudices neque ſecantibus vitio vertunt, ſi neglexerint in ſectione varia quae ad ad naturam corporis delicti haud ſpectant, vt peccaſſe haud putetur, qui, poſtquam in capite vel thorace manifeſta mortis cauſa reperta eſt, abdominis in cadauere diſſectionem inſuper habuit; multo minus auerti ſe a ferenda ſententia patitur, vel pro illiquido crimen agnoſcit iudex, quod ſi, prout eſt apud STRYCKIVM, defenſor ſtylo acuto in vulnus a ſecantibus demiſſo, attribuat vulnus, quod gladius feciſſe dicatur, quamuis etiam minimarum rerum

in

in arduis negotiis gerendis curioſum vnumquemque eſſe oporteat. Grauius offendunt ſecantes, quodſi primaria totius corporis delicti momenta, ſine quibus illud conſtare nequit, haud animaduertant: Poſtquam infanticida, infantem, effuſo per chordam vmbilicalem ſanguine, ſe inſcia occubuiſſe allegat, oportebat medicum ſecantem ad vaſa ſanguifera corporis tenelli oculum conuertiſſe et venas inſpexiſſe, quas ſanguis lethali fluxione effuſus, vacuas relinquere ſolet, quodſi autem in relatione, nec de venae cauae nec de venae portae vel ventriculorum cordis, conditione, qualis ſecantibus obuenerit, quidpiam legatur, cum praeterea, praeter ſugillationes cutaneas nihil vllibi laeſionum extiterit, quae mortem intuliſſe putentur, merito culpa ſecantis medici corpus delicti incertitudinis vitio laborare dicitur. Quodſi etiam Profector pulmonum in aquis ſubſidentium experimento deceptus, mortuum foetum editum in lucem eſſe afferat, quandoquidem ille haud reſpirauerit, niſi inſimul reſpexerit ad vaſa ſanguiflua et clare aſſeruerit, vtrum illa ſanguine repleta, an vero, quandoquidem vmbilicalis funis obligatus haud erat, poſt haemorrhagiam exinde factam, vacua deprehenſa fuerint, dubium relinquit iudicem, ſiquidem effluere ſaepe cum ſanguine ſpiritus per vmbilicum haud obligatum ſolet, ante, quam reſpirationis compos infantulus fieri poterat, ſiue paritura, deſtinato animo ad cloacam conceſſerit et

praecipitem dederit foetum, ſiue admota manu oſculo aut ſtragulis cooperto tenello, ſpirandi facultatem praeripuerit. Alte quandoque ſedent violentae mortis indicia: qui obtorto collo interiit infans, ſanguinem extra vaſa profuſum non ſub caluaria nec in ventriculis cerebri, ſed intra vertebrarum colli, quae medullam ſpinalem cuſtodiunt, tubum, gerit, has latebras niſi expediuerit medicus ſecans, cum tamen ex coelato partu et clandeſtino puerperio in ſuſpicionem peſſimae voluntatis deuenerit mater, corpus delicti fecit illiquidum. Pro delinquentis ſalute peccaſſe, et defenſori momenta excuſationis ſuppeditaſſe medicos, atrox adeo crimen haud videbitur, quam quod committitur, ſi violenta manu peractum dicatur, quod caſus tulit. Habent ex partu difficili, dum capite inſtiterunt oſſi pubis, naſcituri ſanguinem ſub caluae integumentis collectum, quo vnico argumento, niſi ſanguis ſub calua reperiatur, violentas manus foetu illatas eſſe parum conſtabit. Habiturus eſt in quo ingenium commonſtrare poſſit medicus ſecans, quodſi ſubmerſi in aqua hominis cadauer cultro ſubſit; intereſt tunc iuſtitiae ſcire, vtrum ſuffocatum interierit an alio mortis genere abreptum in aquas proiectum fuerit corpus. PARAEVS *de renunciationibus p.* 845. quaedam tradit indicia, ex quibus, viuusne an mortuus quis in aquas praeceps actus fuerit, iudicari poſſe exiſtimat. Ei inquit qui viuus praecipitatus eſt, tota aluus ab

aqua

aqua contenta, intumeſcit, naribus ſpumoſa et mucoſa fluit materies, extremi digiti detriti et et excoriati cernuntur, a colluctatione, qua emergere anniſus eſt; nihil eorum apparet, in illo qui mortuus in aquas deiectus fuit; Verum ſicut ſubmerſorum pulmones aqua plerumque vacui deprehenduntur, id quod IOH. CONRAD. BECKERVS *in Tractatu de ſubmerſorum morte ſine pota aqua* 4. *Ienae* 1720. euicit, ita in ſimili caſu aliunde quam ex vulgatiſſimis ſuffocatorum ſignis, mortis genus cognoſcendum eſt. Praeter externa ſigna, quae viuum in aquis ſubmerſum indicant, hypochondria ſcilicet expanſa et abdomen tumidum, ad certiſſimum illud ſignum redeundum eſt, quod a ſtatu diaphragmatis ſuffocatorum in aquis deſumitur: Cum enim iſti, niſi pondere de collo ſuſpenſo demergantur, vltimum vindicandae vitae impetum inſpiratione peragant, nec ſub aquis aerem inſpiratum efflare poſſint, ſolet diaphragma eorum non fornicem excauatum ſed planum, quale eſt inſpirantibus, conſpici. Id quod quo clare compareat, monet laudatus Beckerus abdomen primum incidi oportere, quandoquidem, ſolutis coſtarum cartilaginibus ſeptum transuerſum a planitie ad curuitatem ſubito conuertatur. Illud ipſum experimentum valet quodammodo in iudicio de infante ſub ſtragulis ſuffocato, ſiquidem animantibus quibus ſpiritus in vacuo praecluditur illud euenit quo diaphragma ad planitiem vergat, cum inſpiran-

ſpirando, iſta extinguantur. Addam adhuc alia quaedam exempla, in quibus medici induſtria deficere poteſt. In capitis laeſione, mortis cauſa ab omiſſa baſeos caluariae et foraminis occipitalis magni, inſpectione corpus delicti obſcuritate notatur inſuperabili; Habent enim id fracturae caluariarum, vt in loco quem fuſtis attigit; praeter ſanguinem ex vaſis ſub cute diffuſum, violentiae eff ctus ſaepe habeatur nullus, cum interea ſub dura matre os occipitis tegente vel in proceſſu petroſo, rima acta ſit; habent etiam capitis laeſiones illud admiratu digniſſimum, quod ſupereſſe aliquamdiu, obambulare etiam et ſanitatis ſpeciem prae ſe ferre, laeſo homini permittant, quare ſaepe, vtrum ex ictu accepto, quandoquidem ſanguis in ventriculis cerebri nullus repertus fuerit, interierit quaeſitum cadauer, dubium relinquitur, et quamuis praeſumptio valeat, vulneratum ex vulnere obiiſſe, attamen ob varia quae homini valenti ſubito euenire poſſunt mortis genera, niſi corpus delicti per effectum lethiferum aliquem conſtitutum fuerit, pro reo militat laeſae partis abſentia. Aſt in herba anguis latet, et ſedulo inſpicientibus tandem ſeſe manifeſtat fiſſura, lentae mortis cauſa, lethalitatis non minus arguenda, quamuis ſero occidat. Quae ſententia *arg.* L. 51. ff. *ad legem aquiliam confirmatur, quod occiderint, non ſolum qui ita vulneraſſent, vt confeſtim vita priuarent, ſed etiam hi, quorum ex vulnere certum eſſet,* *ali-*

aliquem vita exceſſurum. Quare certus aliquis dierum numerus haud ſtatuendus eſt, quo decurrente aggreſſor occidiſſe haud perhibeatur, ſed curandi impoſſibilitas, medicorum autoritate euicta lethalitatem determinat. Vnicum addam de venenorum in corpore effectibus, quos ſectio lethalis, habita viſcerum a toxico deſtructorum ratione declarat, quo corpus delicti planae luci admoueatur. Et merito quidem inter renunciationes difficiliores a celeberrimo IOANNE BOHNIO, *de officio medici duplici clinici et forenſis cap. VI. de renunciationum difficultate* iudicium de accepto veneno refertur, cum ſaepiſſime humores ſponte geniti in ventriculo, effuſa bilis, haemoptoe a vaſorum gaſtricorum anaſtomaſi morboſa prouenienſ, venenum acceptum mentiantur; Quapropter, vt ſuo ſatisfeciſſe videatur officio medicus, non tantum externa, dubia ſaepe, mortis a veneno acceptae ſigna, clare exponit, ſed etiam id, in quo corporis delicti conſtituendi neruus eſt, perficit, vt ex ventriculo, veneno occiſi hominis obtineat ipſius toxici particulas, *arſenicum, auripigmentnm cicutam, opium daturae ſemina*, quo experimenta cum iisdem inſtitui porro poſſint, id quod ſi neglexerit, iudicem in ancipiti verſantem relinquit et excuſationis momentum percuſſori vltro offert, quo illae praetexat, nihil, quod veneni ſpeciem tulerit, in ventriculo repertum eſſe.

XXV. DR,

XXV.

DR. CHRISTIAN. GOTHFRIED GRUNERI

Diſſ.

De cauſſis melancholiae et maniae dubiis in medicina forenſi caute admittendis.

Jenae, 1783.

Reſp.

MARTIN. LUDOV. WITTWERK.

PROOEMIUM.

Miſera profecto hominum ſors eſt. Viuimus inter gaudia peritura, veluti ſemper duratura. Recuſamus moleſtias, ſine quibus nunquam ſuauiter degitur, et videmur ſpes inchoare longas, cum minimum ſit ſpatium, quo a morte vita diducitur. Vir, in excelſiori loco poſitus, ſpernit ac deſpicit minorem, ſapiens indoctum, ſtultus

tus prudentem ridet. Sibi quisque viuit, genioque indulget, futurorum negligens, praeſentis voluptatis appetens, totus inter amores, vina et ludicra. Stultitia eſt, aiunt, extrema timere, vel mortem, cum prope acceſſerit, tergiuerſari, tremere, plorare. Fruamur vita, donec licet, et ſi fata vrgent, multiplex vitae exitus patet. Subſilire in caelum ex quouis angulo licet. Suppetunt laqueus, vnda, pugio innumeraque vitae finiendae inſtrumenta. Non deerit, qui laudet impenſius praeclare factum ſcilicet, et ad imitandum ciuibus et nepotibus proponat, teque diuorum numero intereſſe iubeat. Non ergo amplius repetendum illud SENECAE *a*) eſt: *Quomodo fabula, ſic vita. Non quam diu, ſed quam bene, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. Quocunque voles, deſine. Tantum bonam clauſulam impone.* Age ergo, huc adſis, qui vitae pertaeſus es, ſine timore. Parui eſt animi, haerere atque in ancipiti verſari. Mors enim talis amplius putanda non eſt, ſed ſapientia requies ab miſeriis, et certa via ad gloriam, famam, lacrumas puellarum, ſerta ſemper viridia amicorumque laudationes funebres; Aliter enim tam agitur, ac olim. Quisque ἀυτόχειϱ bonus vir eſt, melancholicus, nec mentis ſuae compos, et hodie laudabilis morbus eſt, per ſapientiam mori. Nolo equidem reprobare talem ho-

a) Epiſt. 77.

hominum beneuolentiam et bene merendi de mortuis ſtudium. Laudo amicos lugentes qui probabili nomine crimen, quod infectum fieri nequit, minuunt, ſed ſubrideo temeraria auſa, ſi artis imperitis fucum et verba dant, et indignor, ſi medicos vel inuitos docere volunt, qui demum melancholicus vel maniacus dici haberique in poſterum debeat. Nemo enim talis per ſaltum eſt, et in anteacta vita, tanquam in ſpeculo, videndum, numquis hac in familia reponendus ſit. Cum ergo iudici ſacro ſaepe multum interſit ſcire, quae vera ſit melancholia vel opinabilis, neque ipſi medici inter ſe conueniant de notione ac ortu tanti tamque horrendi mali, non incongruens mihi viſum eſt argumentum, quo *cauſae melancholiae dubiae* quam diligentiſſime inueſtigentur, et certior inde veritas medicinae forenſi reddatur. Quod quam bene ac apte pertractarim, viderint iuſti et periti rerum arbitri, non iudices e triuio vel academia progreſſi.

DISSER-

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

CAVSIS MELANCHOLIAE ET MANIAE DVBIIS IN MEDICINA FORENSI CAVTE ADMITTENDIS.

§. I.

Melancholia peſſima hominis conditio eſt, qua quis intra ſe diu et ſemper, et ſine febre delirat, vigilia et triſtitia longa perculſus et ſibi, et aliis metuit, ſolitudinem quaerit, anxie circumquaque circumſpicit, num quis audiat, vel facta diiudicet, impetus hoſtiles, mala grauia et imminentia, interdum ridicula, veretur, loco, lectulo vel ſellae affixus vni rei ſtudioſius et pertinacius inhaeret, in ceteris fere prudens, tandemque vitae pertaeſus, mortem violenta manu accerſit, aut inter ſummos intolerandosque animi angores vel ἀπαθειαν exſpectat. Mania vero non, niſi gradu maior et vehementior eſt, i. e. melancholia furioſa, qua in horrendam adſpectu rabiem effuſus aeger et ſibi, et aliis vim inferre audet, et more immanis belluae ſpuma, denti-

bus atque pugnis nocet, niſi vinculis coerceatur. Vnum ergo natura ſua vtrumque malum eſt, iisdem remediis perſanatur, etſi melancholia, quia leuius vitium eſt, felicius fugari vel adhortando, vel faciendo poteſt.

§. II.

Alia ergo eſt temperies melancholica alia ipſa melancholia. Illa in ſexcentis hominibus adeſt, et diu adeſſe poteſt ſine vlla mentis turbatae et dubiae ſanitatis ſigno haec vero cum delirio longo incidit, quod hominem nunquam deſerit rarius lucida interualla concedit. Non ergo illico melancholicus ex medicorum decretis putandus eſt, cui, nubilo et graui vel aeſtuante caelo, praecordia tument, vel ſpiratio moleſta eſt, animus interdum torpet, interdum vacillat, poſt perturbationem vel indignationem ac iram cogitatio quaedam fixa et immutabilis inhaeret, vel poſt litterarum diſciplinam, maiori ſtudio agitatam ſenſuum internorum veluti quaedam quies inimica corpori eſt, quia haec et facile tranſeunt, et cholericum hominem magis indicant. Talia enim cuique alii ſimiliter accidunt. Nemo prudens et ſapiens ab hiſce inſidiis ſatis tutus eſt. Impetum animi vel morbi cerebro imminentis video, melancholiam non video. Hanc demum infenſam homini exiſtimes, cum ſua deliria et falſa phaſmata continuat, et, vt pauper quondam ille ſomnia, fideliter narrat,

os

os melancholici refert, oculos concauos, triſtes, meditabundos vel ardentes oſtendit, corpus exſuccum et luridis maculis maculatum trahit. Talis enim aut elleboro opus habet, vt ille apud HORATIVM *b*), aut fune, vt ille apud PLAVTVM *c*), aut pugione a ſclopo, vt amatorum et ingenioſorum genus nuper clariſſimum, aut aquis vel quouis alio vitae adimendae inſtrumento, quippe eum atra bilis agitat. In ceteris vero, quibus natura nitidum oris colorem, corpus robuſtum et firma latera, appetitum et ventriculum bonum, itemque animum feruentiorem dedit, apoplexiam et febres bilioſas metuere licet, melancholiam minime.

§. III.

Hinc ſequitur, vt alia ſit melancholia *d*) quae ab humoribus dimanat i. e. ſpiſſo ſanguine et atra bile, alia, quae ſolum caput offendit vitio quodam ſontico. Illa enim vt breui in ſenſus incurrit, et artis medicinalis praeſidiis tolli abigique poteſt, ita haec non, niſi coniecturalis eſt,

H 2 et

b) Lib. II. Epiſt. 2. v. 137.
c) Captiv. Act. 3. Sc. 4. v. 62.
d) Cf. *Lorry* De melancholia et morb. melancholicis, Lutet. Pariſ. 1765. et Obſervations on the Nature, Kinds, Cauſes and Preventions of Inſanity, Lunacy and Madneſſ by *Th. Arnold*, Vol. I, Lond. 1782. 8.

et fere poſt fata demum detegitur. Multus cauſſarum numerus apud auctores memoratur, vnde iſte lymphaticus mentis error profectus eſſe dicitur, ſunt vero, niſi omnes omnino, certe plurimae ita comparatae, vt, iis melancholia vere attribuenda ſit, nec ne, dubius haereas. Debet enim cauſſa proxima, iubentibus pathologiae magiſtris, ita affinis aſſimilisque morbo eſſe, vt, audita vel inuenta ea, illico malum ipſum intelligas; debent ad eam certiorem reddendam eae in promptu eſſe cauſſae occaſionales et praediſponentes, quae tantum non ſemper, vt vmbra corpus, ita pediſſequae morbum committantur. Iam vero iſtae quidem ſaepe adſunt iterumque deſunt, vel in quouis aegro poſt medico exploranti ſeſe offerunt cum mentis conſtantia et integritate, ideoque non omni exceptione maiores in aſſumenda melancholia ſunt, nec vitia caluariae tam certa putes; nihil vt ſupra. Reperiuntur quaedam crebrius, alia rarius, in melancholicorum cadaueribus, at vero nec deſunt apoplecticis, epilepticis et id genus hominibus, in quibus longum delirium deſideres, ideoque id vnum docent, potuiſſe aliquid conferre ad inducendam hanc grauiſſimam mentis aegritudinem, qua nulla capitalior, nulla flebilior eſt, ſed vere effeciſſe, incertos nos dimittunt. Falſa enim eſt ratiuncula, qua quicquid poſt mortem abſonum a ſtatu naturali obſeruatur, id mortis antegreſſae cauſſa vnica reputatur. Diu haud raro et per an-

nos latuit in corpore ſine noxa, et multi, quos ſimilis labes viſcerum tenuit, tandem propitio fato ſuccubuerunt, integris ſenſibus integraque mente, neque ſatis liquet, vtrum ſequela diti et tortoris inſtar angentis morbi nominanda ſit, an cauſſa. Ecquis ergo in tanta rerum obſcuritate ac ambiguitate talia praecipitanter affirmare et pro certis iactare audeat, quae certa et indubitata non ſunt? Boni et periti medici non eſt, ſic decernere, cum in nulla arte magis noxium et turpe habeatur mendacium, quam in medicina. Sed videamus de potioribus et vulgo memoratis melancholiae et maniae cauſſis, incipiendo ab praecordiis, et ad caput tandem progrediendo.

§. IV.

In cauſſis melancholiae plures referuntur, quas equidem aut nullas eſſe puto, aut facile perituras. Quo pertinent.

I. *Inteſtinorum anguſtationes vel ſugillationes.* Nollem haec vitia memoraſſent medici, quippe multis demortuorum cadaueribus communia et mortis effecta. Reperias prius, in quibus ne ſperes quidem, quia nunquam inde moleſtiis affecti videbantur, in melancholicis vero ideo, quia et ſine ordine cibos ſumunt, et ſub finem vitae nihil omnino, teſte idoneo et locuplete

GREDINGIO *e*), poſterius vero incidit tantum non ſemper ſub vitae finem reſtagnantibus humoribus.

2. *Vermes.* Continebantur in cadauere mulieris maniacae *f*) ingens copia taeniae et pauci lumbrici, ſed eas inſaniam et hic, et alibi effeciſſe, vehementer dubito. Sunt enim, ſi quid video, vermes huius mali rei non putandi *g*), praeſertim cum hoc in caſu cerebrum aliud vitium contraxiſſe videretur.

§. V.

3. *Sanguis ſpiſſior.* Saepe moleſtus eſt melancholicis, et recte accuſatur, ſi ſueta ſymptomata ſequuntur, *color h*) *externus internusque primo pallidior, flauior, magis fuſcus, liueſcens, niger, cum maculis ſimilibus, pulſus lentior, frigus maius, reſpiratio lenta, circulatio per ſanguinea vaſa bona, per lateralia parcior, minus bona, hinc humorum ſecretoriorum et excretoriorum*

e) Vid. *Ludwig.* Aduerſ. Med. Pract. Vol. I. P. 2. n. 4. p. 260. 270. ſeq.

f) *Harmes* Diſſ. De cauſ. morb. ſubiecti cuiusd. maniaci, Regiom. 1744. rec. *Hall.* Diſp. ad morb. Hiſt. Vol. I. n. 9. pag. 123. ſeq. et verſ. germ. p. 140. Vol. I.

g) Nobiscum ſtat- 111. *Metzger* Verm. med. Schrift. B. 1. n. 3. p. 58. ſeq.

h) Sic BOERH. Aph. 1094.

rum omnium minor, tardior, craſſior, exitus, minor conſumtio, parcior appetitus, macies, moeſtitia, ſolitudinis amor, affectus animi quicunque pertinaces, magni in reliquis ἀδιαφορία, torpor ad motus, ſumma tamen ſimul ſtudii cuiusque et laborum conſtantia. Sed haec fere ſingulatim homini incommodant, ſaepius vero nullo modo, quia impune fert iſtam ſanguinis picei tenacitatem ac lentorem, neque *torporem* tanti habendum cenſeo, quanti alii credunt. *In ea inertia*, inquit cl. LORRY *i*), *aliquem rimari melancholiae fontem, inutile eſt. Quam enim ſpasmo excitando ſymbolam contuliſſe videtur vita otioſa, non inducto torpore id efficit.* Quin nec illico *melancholia hypochondriaca* ſubeſt, ſi quis praecordiis aeger eſt aut ſe eſſe credit, aut venae haemorrhoidales tument. Debet enim denſior ſanguis hic haerere, accumulari, ſtagnare, lienem, ventriculum, pancreas, omentum, meſenterium obſidere, ſub auctore magno BOERHAVIO *k*), et vel mentem ipſam infeſtare, eamque ob rem, ſi viſcera haec integra apparent, ſecante medico, quo iure adfuiſſe hocce malum dicas, neſcio. In his enim niſi certiora habeas documenta, quibus natura eius conſtat et proditur, praeſtat aliunde nomen morbi et cauſſam mortis arceſſere, quam verbo-

i) L. cit. T. I. p. 44.
k) Ib. Aph. 1098.

rum lenociniis lectores incautos vel imperitos fallere.

4. *Bilis atra.* Quae eius vera natura et indoles ſecundum veterum placita ſit, nondum ſatis liquet, quia noſtrates magis riuulos, quam fontes ſectantur. Bilem atram, quam quadruplicem dixerat GALENVS, quamque tenacem, fuſcam vel nigram hodie appellant, eamque certam melancholiae teſtem cenſent. Sed eadem illa fere propria ſenibus et vmbraticam vitam degentibus eſt, atque per omnem vitam toleratur. Aſſueſcit difficili humorum motui corpus, neque praeter quasdam moleſtias praecordiorum et neruorum aeger aliquid perſentiſcit. Longa ergo via ad melancholiam eſt, neque ſine ambagibus eo deuenitur. Praecurrant eius ſigna neceſſe eſt, ſine quibus nefas duco talem animi morbum inde repetere. Praeceps et fallax eſt iudicium, quod a ſola bilis forma ſumitur, neglecta cauſſa morali.

§. VI.

Cum ergo dubia et anceps ſit melancholia ex praecordiorum labe, tum multo magis ea talis putanda eſt, quae *in cerebro* latuit. Siqua enim vitia intus veluti recondita ſunt, minus tamen ſenſus feriunt, et opinione magis, quam veritate conſtant. Certum hoc vnum eſt, reperta ea ſaepius fuiſſe in multis hominibus mente captis

vel

vel aegris; incertum vero, num quid ad morbum contulerint, et quantum, quia non defuerunt, quorum animus cum his turbis optime habitaret. Probabiliter ergo haec dicuntur et ſcribuntur, ſed certo nequaquam, dubia ergo res melancholia, hoc ex fonte deducta, eſt. Sunt tamen in his alia mala frequentiora, alia rariora, et plus minus menti aduerſa fuiſſe videntur.

§. VII.

Exorſi iterum a caluaria progrediamur ad interiora capitis. Hic ſeſe ſiſtunt.

1. *Sulci caluariae profundi.* Cerebri ſunt in hominibus ceteroquin ſanis vel aegris *l*), et cum ipſa membrana cerebri dura arcte concreti, ſed debentur, ſi quid video, fortiori arteriarum meningearum ictui, et impreſſionem primam per omnem vitam retinent, eamque ob rem non poſſum non in partes ire Ill. METZGERI *m*) ac quaerere, num intelligendi vis et ſenſuum integritas a tali tamque exiguo errore pendeant? non putarim.

2. *Exoſtoſes ſpinaeque variae.* Deprehenſae ſunt variae figurae et magnitudinis in proceſſu falciformi et ad proceſſus clinoideos poſteriores *n*),

H 5 in

l) GREDING l. c. Vol. II. p. III. n. 3. p. 457. vidit in epilepticis, fatuis et maniacis.

m) L. cit. Vol. I. no. 3. p. 54.

n) *Greding.* l. c. p. 465. et Verm. Schrift. p. 192.

in media dextraque frontis parte *o*) fatui, in coniunctione oſſis parietalis cum frontali *p*) in epileptico et maniaco, in oſſe occipitis *q*) maniaci cet. Sed vereor, ne plus huic vitio veluti naturali adſcribas, quam licet. Centies enim in cadaueribus deteguntur ſpinae glabrae, acuminatae rotundatae praetenues, membranis accretae, friabiles, ſed ſine noxa toleratae, dum homo viveret, interdum iterum deſunt, vbi eas quaereres. Internae cranii exoſtoſes *r*) ne epilepſiam quidem neceſſario inferunt, multo minus parua ſpicula omnem mentis aciem hebetare ac tollere poſſunt. Fuere, qui huic vitio obnoxii octuaginta annos, vtcunque valentes, viuerent *s*), ergo inde melancholiam, deducere non licet. Etenim et pauci maniaci offerunt proceſſus clinoideos poſticos acutos atque eminentes *t*), a quibus videtur quidem irritari potuiſſe cerebrum ſuperimpoſitum, ſed ne minimum quidem laeſionis veſtigium ſpectandum praebent.

3. *Aſperitates ſcrupeae.* Memorat GREDINGIVS *u*) in maniaco binas longas acutasque eminentias oſſeas prope coalitum oſſis occipitis cum

o) *Greding* l. c. p. 458.
p) Ib. p. 459.
q) Ib. p. 460.
r) Sic *Greding*. l. c. p. 460. et Verm. Schrift. p. 151. et. p. 159. ſeq.
s) Ib. p. 461.
t) Ita *Greding* Verm. Schrift p. 194. et 195.
u) Ib. p. 462. ſeq.

cum oſſe ſphoenoide poſt ſellam turcicam, in femina epileptico-maniaca ad foſſam temporalem dextram ſub medio cerebri lobo, in epileptico ſupra orbitam oculi dextri, in fatuo acutam cuſpidem ad foſſas temporales, aliique forſan alia exempla adferunt, quae negare equidem non auſim, id vero nego et pernego, inde nata eſſe iſta mala, quae memorant. Inquiſiuimus enim multos, qui integra mente diem ſuum obierant, et tamen alia oſſium cacumina et inaequalitates ſine damno pertulerant. Ipſe GREDINGIVS *x)* tale exemplum conſignatum reliquit.

§. VIII.

Neque immunes manſerunt *cerebri tunicae*, Erunt enim quorum

1. *Dura mater* arte coalita vel oſſeam indolem induta *y*), craſſior *z*) ſolito, purulenta *a*) durior *b*) et ſphacelo tacta reperta eſt, vnaque

2. *Pia mater* concretionibus lenticularibus et oſſeis

x) Vermiſcht. Schrift. p. 11.

y) *Greding.* l. c. p. 469.

z) *Morgagni* De Sedib. et Cauſ. Morb. L. I. 8. n. 15. 16. p. 59. ed. Venet. quocum conſentit Ill. *Metzger* l. c. Vol. II. p. 198.

a) *Metzger* l. c. et *Plater* ap. *Bonet.* Sepulchret. p. 179.

b) *Greding* ib. p. 570. et 476. et Verm. Schrift. p. 152.

oſſeis *c*) plena, ſanguine diſtenta *d*) et mucoſa, bullis aereis referta *e*), craſſa *f*) et dura, et ab aqua veluti ampullacea *g*) viſa.

3. *Vaſa piae matris turgida*. Haec in maniacis obſeruauit CALDANI *h*), vnde impetum ſanguinis ad cerebrum et ſtagnationem coniectare licet, ipſam inſaniam longam minime. Ecquis enim eſt, qui neſciat, talia reperiri et in ceteris cadaueribus? et oriri ſaepenumero a mortis genere antegreſſo? Idem de *vaſis cerebri ſanguine diſtentis i*) ſentio. Rarius enim, ac creditur, in melancholicis et furioſis deprehenditur.

Praeter haec

4. *Sinus longitudinalis ſuperior* interdum paruam *hydatidem* retulit, interdu *polypum k*) continuit, vel *aquam* et ſaniem *kk*) oſtendit,

pro-

c) *Greding* ibid. p. 477. ſeq.

d) *Morgagnus* l. c. E. p. 9. Art. 12. et 13. p. 72. ſeq.

e) Ib. E. p. 8. Art. 14. p. 58.

f) Meckel in Mem. de Berlin T. XX. p. 77.

g) *Greding* l. c. p. 485. *Metzger* l. c. Vol. II. p. 198.

h) Ap. *Haller*. Part. Corp. Hum. Fabric. T. VIII. p. 31.

i) *Ballon*. ap. *Bonet* Sepulchret. T. I. L. I Sect. 8. Obſ. 6. p. 180 et *Greding* Verm. Schrift. p. 100.

k) *Greding* p. 471. et Verm. Schrift. p. 150 et 284.

kk) Ib. p. 472. et Verm. Schrift. p. 149.

proceſſus vero *falciformis l)* quaedam oſſium initia. Sed iterum eo redit noſtra oratio, vnde deflexerat, quippe haec tam communia et obuia ſunt, nihil vt magis, neque tamen de moleſtiis inde oriundis conquerebantur aegri, ne de dolore quidem capitis aut certe perexiguo, in maniacis vero perrara, aliqua vero mala ita comparata, vt, vtrum ante mortem iam infeſtarint, an poſt eam enata ſint, dubius haereas, v. c. aqua et polypus *ll)*, quae ſub vltimo demum halitu morientium naſci ſolent.

Hic iterum recte, vt ſolet, ſummus MORGAGNIVS: *m) Quod ad polypos attinet, non tam quaeras, an mihi vnquam in ſtultorum ſinubus occurrerint, quam eorum memineris, quae alias a me accepiſti de polypis, non, niſi in moribundo aut mortuo homine agnoſcendis.*

§. IX.

Plures cauſſae melancholiae et maniae *cerebro* ineſſe putantur. Quas ſi ſine praeiudicata opinione ac partium ſtudio aeſtimo, non poſſum eo induci, vt credam, eas tantam malorum molem, ſen-

l) Ib. p. 473. cf. *Morgag.* l. c. p. 58.
ll) Idem putat Ill. *Crell* ad *Harmes* diſſ. p. 153.
m) L. c. Lib. V. Ep. 61. Art. 8. p. 407. et *Greding* Verm. Schrift. p. 315. talem, in furioſa non vidit, etſi in aliis pluries.

ſenſuum internorum laeſionem et amentiam, gignere atque efficere potuiſſe. Si enim verum philoſophorum decretum eſt, cauſam et effectum ſibi reſpondere oportere, mirari profecto ſubit, quid ſit, quod tam minuta vitia et poſſint, et debeant mentis vim omnem tollere, ſapientem ſtultum reddere. Neque negarem, id fieri potuiſſe, ſi quando aeger dudum ante deliraret, et poſt mortem vel ſubitam, vel lentam plures cerebri nobiliſſimi partes vel affectae, vel deſtructae reperirentur, in quibus ſenſuum integritas et animi vis, vt ignis in lapide, deliteſcit. Sin vero ignobili cuidam particulae, cuius vtilitas aut perexigua eſt, aut nulla, aut prorſum ignota, qualis eſt glandula, aut tenui veſiculae, qualis hydatis eſt, poteſtas aliqua nocendi, preſſura et irritatio aſſignatur, vnde cerebri actio vel impediatur, vel auferatur, habeo, quod reſpondeam. Oſtendant preclari iſti viri, primum, fieri id ex legibus phyſicis potuiſſe, deinde modum doceant, quo in quouis melancholico et maniaco facta ſint. Quod quia (ſpero) nunquam efficient, caueant ſibi in poſterum a temeraria affirmatione, qua imprudentes fallunt, et in errorem coniiciunt.

§. X.

Iam ergo ſingulas cauſſas, cerebro infenſas aequa lance ponderemus.

1. *Cerebri macula nigra.* Hanc in cerebro vel

vel membranis ſectione deprehenſam et inſaniae cauſſam fuiſſe PLATERVS *n)* auctor eſt, ſed ſine ſpecie veri. Nam refert, quae ab aliis audierat, et labes iſta communis iis eſt, quos gangraena et ſphacelus abſtulit.

2. *Cerebrum leue.* Tale reperiſſe ſe teſtantur MECKELIVS *o)* et PRINGLIVS *p)*, ſed vellem rei tam leui et variabili, quale cerebri pondus eſt, non adeo crediciſſent, neque video, quid hoc, prouti maius vel minus eſt, in mentis actione valeat. Satis eſt, integrum illud eſſe.

3. *Cerebrum et cerebellum molle.* Paſſim hoc referunt medici *q)* ſed cum non ſatis definiant mollitem naturalem, vnde ad morboſam deuenimus, morbum antegreſſum, putredinem vel imminentem, vel praeſentem, dubium eſt, in quantum ſtultitia inde orta ſit. Recte enim mihi dubitaſſe videtur GREDINGIVS *r)*; *Hanc nimiam encephali emollitionem,* inquit, *vel a menyngum ventriculorumque lateralium hydrope factam compreſſionem ſemper fatuitatis cauſſam exiſtere, non extra omnem dubitationis aleam poſi-*

n) Prax. Med. l. 3. p. 105. Caeruleam maculam memorat *Greding* Verm. Schrift. p. 185. ſed dubius eſt, quid ſtatuat.
o) Mem. de Berl. T. XX. p. 75.
p) Ap. *Haller.* l. c. p. 17.
q) *Greding* l. c. p. 532. ſeq. et p. 536. cf. Ei. Vermiſcht. Schrift. p. 67. et p. 188. 241.
r) L. cit. p. 557. et p. 538.

poſitum eſſe videtur. — *Melancholici, encephalo licet ex hydropico ſtatu quam maxime compreſſo, parua tamen vel potius nulla fatuitate adfecti deprehenſi ſunt. Et hinc ſatis patere arbitror, nimiam encephali emollitionem compreſſionemque fatuitatis quidem frequentiſſimam comitem, praecipuamque, nequaquam vniuerſalem et vnam cauſſam eſſe.*

4. *Cerebrum durum.* Crebrius et conſtantius melancholicorum et maniacorum vitium eſt durities cerebri, quam ſepties inuenit MORGAGNIVS *s*), poſt eum MEKELIVS *t*) RASTIVS *u*) cl. METZGERVS aliique ſimiliter. Sed, ſi durities iſta cerebri effecit inſaniam, quaeritur, quomodo cum cerebelli mollitie *x*) vna conſiſtere potuerit? cur nunquam totum cerebrum, ſed pars fuerit ſic affecta? Reperitur etiam in hominibus non ſtultis, in ſenibus *y*), apoplecticis *z*), in ſanis ſubitoque exſtinctis rel. oriturque, ni omnis fallor, a vario cerebri habitu humorumque impulſione vel defectu. Hinc praeclare MORGAGNIVS. *Non tanti eam faciendam arbitror, vt ex ea duntaxat ſtultitiae cauſſam ſpecioſis ex-*

s) L. cit. p. 59.
t) L. cit. T. XX. Obſ. 1-6.
u) Ap. *Haller.* l. c. p. 47.
x) Ita *Geoffry* ap. *Morgagn.* l. c. p. 59.
y) *Haller.* Prael. Boerh. §. 475. et L. c. p. 47.
z) *Morgagn.* ib.

explicationibus repetamus. Neque abſimiliter GREDINGIVS *a*): *Hanc ſolam frequentem et fere inſeparabilem maniae comitem vel cauſſam agnoſcere, obſeruationes omnino prohibent.* Ergo iterum ſpes noſtra vana et caduca fuit. Nam *cerebrum durum eſſe poteſt ſine ſtultitia et ſtultitia ſine cerebri duritie.*

5. *Cerebrum ſiccum.* Meminit BONETVS *b*) furioſi, cuius *cerebrum ſicciſſimum, durum, adeoque in ſummo parte digitis friabile, flauum vndiquaque* reperiretur. Recte tamen hanc cerebri conditionem, ſi vere adfuit, deberi inflammationi snbilioſae medullae dixit KLOEKHOFIVS *c*), nunquam vero in furioſis, melancholicis et fatuis deprehendit GREDINGIVS *d*) ideoque fallaciſſimae rei non amplius credimus.

6. *Grauis cerebri et cerebelli odor.* Non ſpernendam melancholicorum, epilepticorum et fatuorum dotem eum eſſe affirmauit GREDINGIVS *e*), quippe cum iuſto citius inciderit. Puto tamen, hanc odoris foeditatem magis prodere cerebri ſingularem corruptionem, quae in hoc genere hominum miſerrimorum lente vel ſub mortem inſtantem demum eruperat, malum ipſum gene-

ne-

a) L. c. p. 536.
b) Sepulchret. T. I. p. 176.
c) De morb. animi, p. 63. ed. *Schlegel.*
d) Verm. Schriften p. 165. et 166.
e) Ib. p. 165. ſeq. et p. 187.

nerare non potuiſſe. Viderint in poſterum medici ſecantes, num et quatenus iterum reperiatur.

§. XI.

Fuere, qui *corpus calloſum* varie mutatum detegerent inque his LANCISIVS qui duriuſculum, GREDINGIVS *f*), qui praemolle ac pulti ſimile vidit, potior tamen MORGAGNIVS *g*) eſt, hic tamen magni et boni viri more. *Raro atque adeo ſemel in ſtultis vidi, inquit, profundos ſulcos in corpore calloſo.* LANCISIVS *in fatuo quaedam aliter in calloſo corpore obſeruauit. — Fortuito in eiusmodi morbis fuiſſe pleraque exiſtimo, et certe in aliis deſcripſi praeter inſanos, neque in his a ceteris adnotata fuiſſe video.* Praeterea IO. FANTONVS *h*) in corpore calloſo tumorem dumorem in glande maiorem, conſpexit, vnde diuturnus capitis dolor et epilepſia ſequeretur, ſed ſub finem tandem vitae aeger abſurda locutus eſt, neque id ſemper, ſed tantum ſaepe, idque cum vehementius ille dolor vrgeret, MORGAGNIVS vero et GVENZIVS modo tractum vnum ſimplicem, modo duplicem, modo deficientem, nec

f) Verm. Schrift. pag. 241. et pag. 222. 236.
g) L. c. p. 55 et 58.
h) Ap. *Morgang.* l. c. Lib. V. Ep. 61. Art. 6. p. 406.

nec qua ſolent, ratione inter ſe paralellum memorarunt. Num ergo in eiusmodi rebus tam leuibus atque mutabilibus ſtultitiae cauſſam agnoſceremus, cum vel arteriarum ictui, vel compreſſioni cuidam ſingulari deberi videantur? Quo pertinet et illud, quod *in ſtultis abnormes illae ſuperficiei corporis calloſi non ſolum perraro conformationes reperiuntur, verum etiam ſunt viſae in pluribus, quorum mens fuerat ſaniſſima. i)*

Corpora ſtriata pure fetido et viridi arroſa, interdum veluti diuiſa in maniaco vidit GREDINGIVS *k*) defeciſſe prorſum, MORGAGNIVS *l*) idoneus auctor eſt, et cum eo conſenſit Ill. METZGER. *m*) In quo id mirum eſt, quod in altero exemplo mulier, cuius ſectionem vir hic clariſſimus narrat, furore agitata perierat, in altero homo *nec in cerebri et neruorum vſu quicquam a communi conſuetudine alienum paſſus erat.* Vt enim certum eſt, ſenſus internos eo magis integros fore, quo maior eſt ſtriatorum corporum conſtantia, quia cum medulla oblongata communionem veluti atque conſpirationem habent, ita exinde patet, fallacem eſſe eorum opinionem qui quidquid hiſce in partibus mancum vel vitiatum

i) Sic *Morgagn.* l. c.
k) Aduerſ. l. c. p. 509. ſeq.
l) L. cit. Lib. IV. Ep. 50. Art. 55. p. 281.
m) Verm. med. Schrift. I. B. p. 54.

cognouerint, illud cauſſam melancholiae et inſaniae iactitant.

§. XII.

Plexus choroideus, in ſtatu naturali *ventriculos* occupans, variam formam habere ſolet, prae ceteris vero *ſanguine turgere* vel *hydatidibus* variae magnitudinis redundare, rarius glandulis ſcirrhoſis et oſſiculis. Sunt vero iſtae veſiculae adeo vulgares et tralatitiae, vt in plurimis maniacis, melancholicis, fatuis et epilepticis *n)* reperiantur, in paucis deſint, videnturque ideoque quidem aliquid forſitan conferre hiſce morbis vel augendis, vel inferendis. Habeo tamen, quod moneam. Pauci homines ſine tali vitio moriuntur, et aqua cum plexum choroideum, tum ventriculos *o)* tenet, varie inclinato capite, dum viuerent, vtcunque expellenda, in multis aegris modo integer et naturalis, modo varie corruptus eſſe viſus eſt plexus. *p)* Videtur ergo magis effectus tanti tamque diuturni mali eſſe, quam cauſſa, nihilque hac in re eſſe perpetuum.

§. XIII.

Sequuntur *glandulae* et *pituitaria*, et *pinealis*, in quarum inueſtigatione multum ſtudii multum

n) *Greding.* Verm. Schrift. p. 235. et p. 174. et *Morgagn.* l. c. p. 54. ſeq.
o) Vid. *Haller.* l. c. p. 101.
p) *Grending* Vermiſchte Schrift. p. 246.

multumque operae poſuerunt anatomici, ſed inter ſe diſceptant mirifice. Quod igitur ad *pituitariam* glandulam attinet, referebat ea vt plurimum fabae mediocris magnitudinem, rarius maior erat, ſaepius minor, coloris cinerei, mollior et friabilis, interdum durior et veluti ſcirrhoſa vel cartilaginea *pp*.) Tandem glandulae habitum morboſum hiſce in hominibus detectum eſſe, facile conceſſerim, id tamen miror, quomodo, cum vix decem granorum pondus habeat, etſi in omni animalium genere conſtantiſſima, et quae eius vtilitas ſit, neſciat ſummus phyſiologus, HALLERVS, *q*) poſſit melancholiam et maniam vel gignere, vel grauiorem reddere, cum in plurimis naturalem formam *qq*) habeat, interdum mutatam. Accedit, quod more aliarum glandularum, ſi vere talis eſt, debet diutius tolerari ſine offenſa poſſe, et ſi magis cerebri quaedam appendix habenda videatur, ea cum communi maſſa afficiatur neceſſe eſt.

§. XIV.

Glandula pinealis ſ. conarium mire placuit philoſophis, CARTESII adſeclis, quippe in ea ſe-

pp) Sic *Greding.* Aduerſ. l. c. p. 515. ſeq. et Verm. Schrift. p. 191. ſeq. et p. 224. 258. 304. 318.

q) L. c. p. 102. et 103.

qq) Sic *Greding.* l. c p. 192.

dem animi reponentibus ſcilicet, ſed magis vexauit et etiamnum vexat medicos, cum in plurimis mortuis morbidam inueniant. Viſa enim eſt aqua ſuffuſa *r*) velutique bulloſa in ſtupida *s*), in epilepticis, maniacis, melancholicis, fatuis interdum magnitudine iuſta et naturali, interdum maior vel minor, ſtrigoſa, ſubflaua *ss*) linearis, compreſſa, plana, globoſa *t*), interdum ſatis firma, duriuſcula, craſſior, laxa, mollis et in pultem reſoluta *u*) interdum arenulis vel calculis *x*) coloratis referta, vel oſſea. *y*) Sed adhuc ſub iudice lis eſt, ſi, quid et quantum haec conditio ad morbos mentis valeat, quaeritur. Etſi enim

r) *Haller* l. c. p. 108. *Greding.* Adverſ. Vol. II. p. 517. et Verm. Schrift p. 179.

s) *Wieſemann* ap. *Haller* l. c.

ss) *Morgagn.* ib. p. 58. et p. 405. ſeq.

t) *Greding.* l. c. p. 518. et Verm. Schrift. p. 179 ſeq.

u) *Greding* ib. p. 520. et V. S. p. 180. *Morgagn.* l. c. p. 58.

x) *Haller* l. c. *Greding* l. c. p. 521. ſeq. et V. S. p. 181. et 213. 241. *Morgagn.* l. c. p. 56. *Günz* Progr. De lapill. glandulae pineal. in quinque mentis alienatis, Lipſ. 1753. rec. *Haller.* Diſp Pract. Vol. I. n. 15. p. 233. ſeq. et verſ. germ. P. I. p. 114. *Wiel* Obſ. Rar. Cent. I. Obſ. 12 p. p. 53. Act. N. Cur. Cent. I. p. 149 *Lange* Opp. P. I. p. 192.

y) *Loeſeke* Obſ. p. 30. Act. Erud. Lipſ. a. 1706. p. 146.

enim crebrius memorantur glandulae huius mutationes in mente captis, tamen et ſani talia vitia tolerant ſine vlla cerebri moleſtia *z)*, et melancholici quidam integram eam *a*) oſtendunt; Haec dum mecum reputo, non poſſum a me impetrare, vt tantas inde turbas repetam, quantas alii credunt. Veras eſſe GREDINGII *b*), hoc in genere facile principis, obſeruationes, qua calculos in pluribus melancholicis, maniacis, fatuis et epilepticis reperiri, exemplis docuit, id quidem largior, at vero inde mentis morbum ortum dicere non poſſum, multo minus inconſtantiam et mutabilitatem talium hominum, ſaepius conſilium mutantium, ad ſententiam probabiliorem adferre. Vt enim hoc ii fere facere ſolent, quorum ratio hinc inde vagatur, veluti neſcia et dubia, quid e re ſit, et qui aures praebent faciles cuique probabiliter dicenti, ita ſtultus aliquis non ideo pronunciandus eſt, quia glandulam pinealem immutatam poſt fata habuerat. *c*) Tunc enim plurimi hominum, ſi ita ſentias, ſtulti ſunt, et nemo noſtrum adeo ſibi a ſtultitia tutus eſt,

 ne

z) *Meckel* Mem. de Berl. T. X. p. 82. et cl. *Schmucker* Wahrnehm. p. 109.

a) *Gunz* l. c. p. 247. et verſ. p. 230. Morgagn. L. V. E. 61. Art. 7. p. 407. *Greding.* Verm. Schrift. p. 236. et p. 257. 311.

b) Aduerſ. p. c. p. 523. et Verm. Schrift. p. 182.

c) Ap. *Morgagn.* l. c. Art. 6. p. 406.

ne dies caniculares metuat. Eadem eſt arenularum et calculorum ratio, idem iudicium. Nam *illis hominibus, in quorum cadaueribus tales calculi in hac glandula reperti ſunt, in vita quicquam incommodi circa animales actiones contigiſſe,* negat idoneus auctor DIEMERBROECKIVS *d*), nec eos, in quibus conſpiciebantur, omnes ſtultos fuiſſe, *ſaepius* tamen *accidiſſe, vt in ſtultis, quam in conflictatis vno alio aliquo morbi genere inueniatur,* aperte profeſſus eſt MORGAGNIVS. *e*) Nec abſimiliter cl. MALAKARNE *f*) meminit iuuenis ſedecim annos nati, et ad extremum vſque ſpiritum mente conſtantis, cuius glandula pinealis arenulis plena, pellucida, hydatidem referens, item variae figurae, interdum medullae inſtar mollis et magna, in mendico hilari reperiebatur. Eam vero triplo craſſiorem in viro minime ſtulto detexit IO. FANTONVS. Morbum ergo auxiſſe videntur, induxiſſe nullo modo, quem magis inde natum crederem, ſi pontem cerebri, communem veluti neruorum originem et animi ſedem, affeciſſet. Recte mihi hinc ſen-

d) Anatom. I. 6. p. 592. ed. Vltraiect.

e) l. c. Lib. I. Ep. 8. Art. 16. p. 59. cf. *Greding.* Verm. Schrift. p. 262. ubi calculi in hydropica detegebantur, ſed ſine mente turbata.

f) Encefalotomia nuoua vniuerſale, Turin. 1780. p. 11.

ſenſiſſe videntur MECKELIVS *g*), ROEDERERVS *h*) et omnium maxime MORGAGNIVS *i*), cum in contrariam irent ſententiam. Hic enim in arte ſua, in primis anatome practica, Roſcius, *noui-es vidit hanc glandulam arenulis refertam, ſed ſine ſtultitia, contra fuiſſe ſtultitiam in aliis, quorum illa ipſa glandula nihil quicquam vitii habuit. — Nulla certe alia in tota hac ſub-ſtantia particula eſt quae crebro adeo, ac illa glandula, peculiaribus ſit vitiis obnoxia, et a-renulas praeſertim lapilloſque contineat. Quod tu vitium et ſi cum ſtultitia et ſine hac quoque deprehenſum fuiſſe ſupra intellexeris, nolim tamen obliuiſcaris, non ſaepe adeo inueniri cum vno alio aliquo morbo, ac cum ſtultitia, coniun-ctum.* Ergo cum iſte glandulae habitus calculo-ſus modo adſit, modo deſit, priua mentis affectae cauſſa putanda non eſt, ſed quaedam acceſſio.

§. XV.

Quibus praemiſſis, facile intelligitur, mancam, incertam et dubiam etiamnum eſſe melancholiae et inſaniae longae cognitionem. Pluribus no-xis et calamitatibus patet cerebrum, quae plus minus mentis vim hebetant, obtundunt, repri-

I 5 munt

g) L. cit. p. 92. ſeq.
h) Progr. de cerebro, p. 4.
i) L. c. Lib. V. Ep. 61. Art. 3. 4. p. 405. ſeq.

munt vel exſtinguunt. Aperta ſunt effecta, opertae et obſcurae cauſſae ideoque continendum fere eſt iudicium. Quaecunque enim vitia hinc inde memorantur, more vagi et inconſtantis comitis inſaniae data eſſe videntur, quibus parum aut nihil fidendum eſt, quia cum et ſine his furere, inſanire, abſurda loqui et facere licet. Cum enim et adſint, et abſint hoc in malo, modo vrgeant, modo mentis ſedem intactam relinquant, non poſſunt idoneae eius cauſſae eſſe, ſed augere illam tantum, aliquae vero earum ne hoc quidem, propter dubiam partium vtilitatem, minutulam molem, locum, quem tenent vel comprimunt, denique propter connexionem. Raro vna labes cerebri vel cerebelli ſubeſt, ſed multiplex, quae quidem perdiligenter exploranda et annotanda omnino eſt, vt, quid quaeque contulerit ad morbum vel inferendum, vel exaſperandum, artis peritus diiudicare poſſit, at vero videndum maxime, vbinam loci vitium potius inſideat. Cum ergo veriſimile ſit, ibi reſidere, tanquam in tuto munimento, animum, vbi cerebrum et cerebellum veluti confluunt atque conſpirant i. e. ad medullam oblongatam et proxime aſſidentes partes, in his inueſtigandis omnis medici ſecantis opera collocanda eſt, ne cauſſam tanti tamque horrendi mali ad iudicem referat quae nec eſt, nec per ſe eſſe poteſt, eaque re vel obſit bono viro, vel

pro-

profit malo. Quamdiu enim in foro eccleſiaſtico eo res omnis redit, vt ſciant, numquis melancholia vel mania correptus vim ſibi intulerit, nec ne, ſepulturae honeſtae et inhoneſtae decernendae cauſſa, (vtinam miſſa aliquando fieret haec dura et inhumana lex!) omni accuratione et diligentia opus eſt, vt non, niſi id adferatur, quod cum placitis medicis, vſu et conſcientia poteſt conſiſtere.

XXV.

DR. BURCHARD. DAVID. MAUCHART.

Diſſ.

De lethalitate per accidens.

Tubing. 1750.

Reſp.

PHILIPP. SIGISM. PALM.

PRAEFATIO.

Iudicium de lethalitate vulnerum ferre medicum pars eſt Medicinae forenſis non ſeria magis, quam intricata. Ibi namque de corio agitur humano, de percutientis fama, facultatibus variaque gravi, mortis etiam, poena. Ipſum vero judicium difficile reddunt ſexcenti fere, qui ſe objiciunt aliquando, cognoſcendi atque judicandi obices ex parte vulnerantis, vul-

vulnerati, vulneris ipſius, medentium atque aliarum plurium circumſtantiarum.

Licet vero plures praeſtantiſſimi, jam inde a ſeculo, deſudaverint Auctores in hisſce nodis ſolvendis, lucem quin imo, quod nemo temere negaverit, his tenebris affuderint multo clariorem, per aucta et probe examinata in rebus phyſicis atque medicis experimenta; tamen quid tam frequentes, quaeſo, Medicorum diſſenſus, quid inter ſe pugnantia nonnunquam integrorum collegiorum medicorum judicia, quid ipſa principiorum atque diſtinctionum diverſitas, quid inquam aliud loquuntur, niſi vel incerto ſtare talo magnam hujus medicinae criticae partem, vel certe unanimi conſenſu nondum eſſe ſtabilitam?

Crucem id maxime figit neo practicis, a Magiſtratu ad vulnerum renunciationem vocatis. Hinc operae pretium ſane facit, qui antequam ſubſelliis valedixerit academicis, ſe tempeſtive ad ad ampliſſimum atque difficillimum hoc accinxerit ſtudium, et optimos quosque Authores et Obſeruatores manu volverit diurna, revolveritque nocturna, ut ne grauior eiusmodi caſus, qui ſub initium publici officii ſtatim ingruere poteſt, imparatum, imo plane nudum offendat. Sufficiens ergo haec fuit ratio, cur Nob. Dn. Reſpondens ſibi pro themate diſputationis hanc e, legerit materiem, et illam quidem quae in hoc genere longe eſt vexatiſſima, ac inſtar naſi cerei, quo vel ſuorum principiorum tenaces fabri,

vel

vel partium ſtudioſi voluerint, flecti, proh dolor! ſolet nimis quam frequenter, Lethalitatem nempe per accidens.

Invitus ego quidem Praeſes in hoc conſenſi thema, quod non modo eſſet longe ampliſſimum, et limites academicae diſſertationis nimium excederet, ſed ita quoque comparatum eſſet, ut vel ab aliis dudum videri poſſet exhauſtum, vel plurimis obnoxium contradictionibus. Vicit vero tandem petentis conſtantia et thematis affulgens is minimum uſus, ut Philiatris excitatio praebeatur ac occaſio in hac ſe palaeſtra exercendi, quae vero inpraeſentiarum dicenda ſint de lethalitate, clare, diſtincte, ac quaſi in nuce proponendi. Faxit DEus ut et hic labor cedat feliciter

§. I.

Subjectum de quo communiter in Medicina Forenſi praedicatur lethalitas ſunt vulnera, ſive continui ſolutiones violentae, ab extus inſtrumento acuto dividente partibus corporis humani viventis illatae. Numeroſam quidem conſtituunt vulnera claſſem lethalitatis, ſed minime abſolvunt. Sunt enim varii adhuc laeſionum ab extus inductarum tituli, e. g. in oſſibus

bus fracturae, depreſſionis, fiſſurae, luxationis: capitis totius validae concuſſionis: in molliori-bus partibus contuſionis, validae percuſſionis, diſtractionis, rupturae, gangraenae, ſphaceli &c. Nec in Medicina forenſi ſermo tantum eſt de lethalitate per inſtrumenta extus applicita, et vel in corticem modo vel et intro plus minus profunde penetrantia, inducta, ſed et de illa, quae ab aſſumptis noxiis atque deleteriis proficiſcitur, e. g. ab ingeſto arſenico, aut medicamento cauſtico male praeparato &c.

Unde eſt, quod *vulneris* notionem heic *laxius accipiendam* monuerint nonnulli, ſubſtituerint vero alii *percuſſionis* nomen magis genericum. Nobis videtur *laeſionis* appellatio magis quadrare pro tali genere, quod omnes ſub ſe comprehendat ſpecies.

§. II.

Praedicatum, lethalitas, quod de partibus hiſce laeſis enunciatur, eſt inducta praeternaturalis *vel diſpoſitio* ad lethum, mortemve proxima: *vel actualis* et ſubitanea *mors*: ita quidem ut hic eventus lethifer pendeat a primitus inducta laeſione vel per neceſſitatem conſequentiae phyſico-medicam, vel per intervenientem demum mortis cauſam aggravantem ſive poſitivam, ſive priuativam. Hippocratis, Galeni etc. τὸ θανάσιμον et θανατῶδες, ſive mortiferum aliquan-

quando ab eis accipitur pro pernicioſo ac periculoſo: aliquando pro mortifero ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quod utplurimum lethale eſt: aliquando pro lethalitate per neceſſitatem inevitabilem, ἐξ ἀνάγκης, per neceſſitatem abſolutam.

Τὸ abſolute lethale aequipollet certo ſenſu τῷ *inſanabili*, cui ſcilicet neque natura, neque ars ulla ſanationem poſſit praeſtare. Sed tamen *non omne vulnus inſanabile*, ideo *etiam eſt lethale*, exemplo vulneris ſimultanei abdominis ac cuiusdam inteſtini, quod in unum coïens relinquit fiſtulam ſtercoream, qua, ceu artificiali ano, feces alvinae poſthac excernantur. Fuit illud vulnus inſanabile, ſed non lethale, utpote cui plurimos annos aeger poteſt atque ſolet ſupervivere.

Periculoſa laeſio, vulnus periculoſum vitae quidem diſcrimen mortisque metum infert, ſed, ſtricte loquendo, lethale prius dici non meretur, quam vel lethum actu induxerit, vel proxime ad mortem inclinaverit. Hinc vel et in ſuperlativo periculoſarum laeſionum, feliciter ad ſalutem terminatarum, plurimae ſuppetunt obſervationes. *a*)

§. III.

Differentiae, vel ſpecies *lethalitatis* vulgo habentur tres. 1.) *Abſolute*, ſimpliciter, κατ' ἐξο-

a) In Alberti Jurisprud. Med. T. I. P. 311. not. c. It Bohnii renunciat. vulner. p. 34. ſſ. vel ſolius capitis plurima habentur ſpecimina.

ἐξοχὴν talis, cui nulla ars humana poſſit ſuccurrere, ſed quae laeſum vel e veſtigio, vel ſaltim brevi, certo et ſemper abripit. 2.) *Per ſe* talis quae ex ipſa laeſionis natura ac qualitate, ſine aliena interveniente cauſa mortem immediate producit, ſic tamen ut haec non abſolute conſequatur, ſed frequenter tantum, et licet curatio ſit difficilis ſummeque dubia, aliquando tamen feliciter ſuccedere obſervetur. 3.) *Per accidens* talis, ſive phaenomenum aliquod interveniens, quod non a conditione laeſionis aut laeſae partis, ſed ab aliis ſupervenientibus in diaeta, regimine, erroribus in tractatione medico-chirurgica, aliisque variis circumſtantiis pendet. E tali ergo nemo laeſorum immediate perit Addunt nonnulli et *quartam ſpeciem lethalitatis*, quae non ex neceſſitate, ſed *utplurimum* tamen, ſeu frequentiſſime interficiat, cujus proinde curatio utplurimum male ſuccedat, non tamen ſemper, vel tardius ſaltem interimat.

§. IV.

Nos *ſubſiſtimus in tribus primis lethalitatis ſpeciebus*, ſuperiore paragrapho recenſitis, nimirum lethalitatis abſolutae: Per ſe talis: et per accidens talis. Differunt vero hae a ſe invicem reſpectu vel cauſae laedentis, vel ſubjecti, ſive partis laeſae, vel ſymptomatum gravitatis, vel eventus boni, mali, ſubitanei, tardi, neceſſarii, con-

tingentis. Quam nonnulli vocitant *lethalitatem per ſe de neceſſitate,* pro vera lethalitate abſoluta habemus.

Quae vero *lethalitas utplurimum talis,* tanquam diſtincta ſpecies affertur, ſpectat ad lethalitatem per ſe talem. Haec enim funeſtorum eventuum pluralitas ab uno quodam laeſionis genere, per longe plura morientium, quam evadentium exempla, comprobata, non obſtante decenti adhibita curatione ac cautela omni, quid evincit aliud, quam laeſionem in ſe et ſua natura ſic fuiſſe comparatam, ut ex illa et propter illam huic individuo pariter, ac tot aliis ſimilibus fuerit ſuecumbendum? Atqui vero haec eſt lethalitas per ſe: Neque obſtat, ſingulari beneficio Dei, naturae, fortunae etc. in vaſto hoc gurgite natantem, quin enatantem deprehendi unum vel alterum.

Hinc *lethali opponimus* illethale, ſeu non lethale: *Abſolute lethali,* τὸ per ſe lethale, et τὸ utplurimum lethale: *per ſe lethali* autem τὸ per accidens lethale.

§. V.

His generalibus praemiſſis facilior jam aditus eſt ad ſpecialem de lethalitate per accidens tractationem, quae thema conſtituit praeſentis diſſertatiunculae. Quid per lethalitatem in genere intelligamus, ſupra dictum eſt paragraphis proxime

xime antecedentibus. *Quid* vero *per* $\tau\grave{o}$ *accidens*, ſive lethalitatem, quatenus talis fit per accidens, ſupponatur, diſtincte eſt ſuperaddendum? ſcilicet per accidens, aut accidentia, non qualiacunque ſymptomata, aut communiter ſic dicta accidentia, quae partim ex ipſa laeſionis eſſentia et qualitate fluunt, accipimus, ſed *Logicorum Accidens praedicabile*, quod neque cum eſſentialibus, neque attributis objecti neceſſariam habet connexionem, ſed tantum contingentem, quodque dependet a circumſtantiis et conditionibus, quae ſi jungantur eſſentialibus, vel attributis, tum demum locum habet.

§. VI.

Itaque ſi laeſionem quamcunque, ab extus vel intus illatam, in ſe conſideratam et in ſua natura recte dijudicaveris tanquam nec abſolute, nec per ſe lethalem, aeger tamen cum hac laeſione (ſed non ex illa) diem obeat ſupremum, neceſſe eſt, vel aliam mortis cauſſam ſuperveniſſe internam, a prima laeſione, de cuius lethalitate quaeritur, directe non pendentem vel non adeo ſonticae laeſioni primae unam pluresve externas ſe cauſſas adjunxiſſe novas, quae futurum primae laeſionis eventum ſalutarem perverterint in funeſtum. E. g. ſi haemorrhagia enormis; per vulnus arteriae radialis (in carpo manus) inducta, per medicamenta iſchaema et ſplenia comprimentia, etc. debite ſiſtatur, et apparatus

hicce chirurgicus una cum ceteris remediis tam diaeteticis, quam pharmaceuticis ſolicite ſervetur, tum lethalitatis per ſe nullus eſt metus; verum ſi aeger aut vini abuſu orgaſmum ſanguini conciliaverit nimium: aut violento laeſi brachii motu voluntario arteriam conſolidationi propinquam reſeraverit, tantoque ſanguinis profluvio portam aperuerit, ad quam denuo occludendam chirurgus tempeſtive ſatis advolare nequeat, vel non amplius par ſit, ſed purpuream interea aeger reddiderit animam, tum haec facta eſt lethalitas per accidens, ex culpa aegri potiſſimum, non vulneris, qua talis, neque vulnerans tenebitur de cauſa mortis.

§. VII.

Species lethalitatis per accidens referuntur ad IV. *Claſſes*, quatenus illud accidens, vel illa accidentia reſpiciunt 1.) Ipſam laeſionem: 2.) Perſonam, ſive individuum laeſum. Adeoque primae et ſecundae ſpeciei accidentia haec ſunt intrinſeca: 3.) Perſonas, laeſum tractantes, curantes, imo patientem ipſum, quatenus ſub cura medico chirurgica varie peccat, et omiſſive, et poſitive: 4.) Varias circumſtantias et cauſas extraneas. Adeoque tertia et quarta ſpecies referuntur ad accidentia extrinſeca. Claſſici authores noſtri, inprimis *Welſch* atque *Bohn* multa variaque hujuscemodi lethalitatis per accidens

cidens exempla et diviſiones exhibent, atque celeb. *Alberti* in Jurisprud. Med. T. 1. p. 290. ſingula in ſuas claſſes titulosque digeſſit.

Hinc illam cramben recoquere nolumus, ſed, pace tantorum aliorumque celebrium virorum *modeſtas* tantum quasdam *adnotationes in medium proferemus*, quibus nonnullae ſpecies lethalitatis, per accidens talis habitae a plurimis et renunciatae hactenus, in dubium vocantur. Odioſus magis, quam otioſus videtur hic conatus. Odioſum fore ſuſpicamur non eis modo, a quibus diſſentimus, ſed illis maxime reis, percuſſoribus aut quocunque modo laeſionem alteri inducentibus, quibus rimae elabendi, patentiores alias, nunc arctantur, vel plane clauduntur: eo tamen ipſo minime otioſum fore hunc laborem in aprico eſt, cum iuſtitiae oppido interſit, accuratius diſtinguere cauſam mortis: An revera ex accidente, ſive quodam contingente citra laedentis et ab eo inductae laeſionis concurſum directum evenerit? An laedenti ſit imputanda, an vero aliis cauſis?

§. VIII.

Ad *primam claſſem lethalitatis per accidens referri promiſcue non poſſunt* ſupervenientes ipſis laeſionibus *ſtaſes, tumores, inflammationes et corruptiones.* Si enim tales ſuperveniant ex ipſa et per ipſam laeſionem, directe, proxime, or-

dinarie, ac propter hanc corruptelam laeſionis moriatur aegrotus, tum laeſio eſt lethalis per ſe: Perinde enim eſt, hominem mori e corruptione gangraenoſa et ſphaceloſa, quae laeſionem neceſſario conſequuntur, ac vel ex apoplexia, vel convulſione, vel haemorrhagia, tanquam immediatis aliarum laeſionum funeſtis pedisſequis. Nempe laeſionem excipit e veſtigio morbus, hunc preſſo pede ſequuntur, citius tardiusve, vel varia ſymptomata, vel ipſa mors. Unde ex vero dicit *Bohnius*; *b*) interdum perinde eſt, mortem ex ipſo vulnere immediate, ac e ſymptomatibus evenire. Si vero ſupra memoratae corruptiones laeſione ſuperveniant, vitio vel individui patientis, vel errorum a quibuscunque commiſſorum, vel aliarum circumſtantiarum externarum, uti quidem ex his cauſſis aliquando vere ſuperveniunt, tunc certe non ſpectat ad primam claſſem lethalitatis per accidens, §. 7. recenſitam.

§. IX.

Neque fragmenta, feſtucae aliaque irritamenta, laeſioni conjuncta, *quae non ſatis tempeſtive reperiri ac ſeparari poſſunt*, quin interea ſpasmi, convulſiones, ſtaſes, ſeceſſiones humoroſae, inflammationes et corruptiones, graviſſimi dolores oriantur, praeſertim ſi hi ſtimuli partes attingant quadantenus ſenſiles, *lethalitatem tantum per acci-*

b) Bohn. renunciat. vuln. p. 111.

dens faciunt, noſtro quidem judicio, cui vero celeber. *Alberti c*) fortaſſis et aliorum haud conforme eſt. Ea enim, *ipſa ex ratione, quod* illa heterogenea ipſo actu laeſionis inducta et vulneri immanentia *nequeant citius extrahi* ſaut ſeparari, quam graues illas excitaverint turbas mortisque cauſas, accuſari merentur tanquam *vel* continuata jugiter inſtrumenta graviter laedentia et reliquiae vulnerantis haſtae, teli, fragmenti vitri, glandis plumbeae, vitreae etc. profundius impacta: *vel* tanquam impetuoſo ictu e, g. gladii, haſtae, glandis ſclopetariae abrepta intra vulnus alia corpora ſolida, partem affectam ſub laeſionis momento obtegentia et in acutas particulas diſcerpta: *vel* tanquam feſtucae pungentes, ſcindentes ac graviter irritantes, ex ipſo, quod vulneri confine eſt, quodam oſſe diffracto et contrito decuſſae. Atqui vero quid omne hoc eſt aliud, quam effectus immediatus primitivae laeſionis et ſtimulus in perpetua aut frequenti actione, vel proxima ſaltem diſpoſitione ad agendum, irritandum, laceſſendum, vulnerandum conſtitutus? Ab inſtrumento laedente, productus unice, et dehinc adfluxu, ſtaſi, corruptione, motibus ſpaſtico-convulſivis neceſſario exceptus? *Qualem* ergo *ſtimulum*, cum per artem vel non ſatis cito, vel plane non, vel ſaltem nonniſi cum praeſentaneo novo vitae periculo liceat eximere, et ne palliative quidem eiusdem fatales effectus ſatis

c) Alberti Jurisprud. med. T. 1. p. 290. §. 16.

praevenire ac mitigare, *oportet* ſane *cauſam ſtatuere mortis* ſubſecutae per modum lethalitatis vel abſolutae, vel per ſe, *minime* vero *per accidens.* Quae hinc ſententia redundet in caput laedentis, videant alii, ad quorum ſpectat forum!

§. X.

In *ſecunda claſſe lethalitatis per accidens*, §. 7. quatenus nempe reſpicit ipſum ſubjectum patiens, nobis videtur *male* quaeri *patrocinium* et praetextum lethalitatis accidentalis, *a* laeſi vel *aetate*, vel *temperamento*, vel *ſexu*, vel *diſpoſitione haereditaria*, vel *ſingulari* et extraordinaria, non tamen morboſa, *diſpoſitione* et *qualibet idioſyncraſia.* in quantum ſcilicet vel aetas majorem debilitatem, partiumque teneritudinem, vel temperamentum e. g. ſanguineum inflammationi et gangraenae magis faveat: vel ſexus ſequior ad eryſipelaceas inflammationes, deliquia, affectiones ſpaſtico-convulſivas pronior exiſtat: vel diſpoſitio haereditaria e. g ad nephriditem calculoſam erumpat in actum eo tempore, quo ren vulnere leviori laeſus eſt, hoc vero inde reddatur lethale: vel *ſi ſingularis* et extraordinarius obtigerit alicuius *viſceris ſitus* et ſub formatione foetus jam facta *translocatio*, e. g. cordis in dextrum pectoris cavum, aut lienis in hypogaſtrium, quorſum ergo inſtrumentum laedens vixdum pertingens vulneraverit tale viſcus in ſitu

hoc

inſolito, nullamque aliam partem praeter integumenta communia.

Omnia haec phaenomena, in principio hujus §phi enarrata ſunt naturalia, Medicis ſub titulo rerum naturalium venientia, quod magnam naturae humanae partem conſtituant, aliter quidem in hoc, aliter in alio ſe habentia ſubjecto, ſic tamen ſemper, ut ſanitati vitaeque non praejudicent, nec niſi e longinquo ac intervenientibus aliis propioribus cauſſis morbificis, morbum inducant.

Frivola oppido eſt excuſatiuncula, ſi funeſtae laeſioni, vulneri, fracturae infantis ideo pollicem premere volueris, quod ſimilis in adulto et robuſto homine omnis expers fuiſſet periculi, illamque ideo illam tantum per accidens lethalem praedicare, quoniam infantibus teneritudo, debilitas, oſſium tenuitas etc. tales obtingant, quae gravius patiantur a laeſione etiam leviore.

Ita pariter fieri poteſt, ut adultus quidam homo vulneretur gladio, vel alio pungente ac caedente inſtrumento in cranii quodam loco, extraordinarie tenui, ut, ob hanc oſſis inſuetam tenuitatem quaſi papyraceam, impetus et ictus inſtrumenti profundius irruat in - et - per membranas cerebri in ipſam usque huius ſubſtantiam, cum aliâs, ſi os ibi pro more naturali fuiſſet craſſius ſolidiusque, inſtrumento laedenti acceſſus ad interiora fuiſſet impoſſibilis. Itane vero haec, accidentalis quidem et extraordinaria, ſed illi in-

 divi-

dividuo naturalis et nunquam morbifica aut moleſta, tenuitas oſſis effecerit, ut vulnus quod meningibus et ſubſtantiae cerebri profundius inflictum fuit, mereatur tantum per accidens lethale venditari, quod tamen in ſe et per ſe lethale eſt extra dubium? In eiusmodi enim renunciatione legali non ſermo eſt, quae vulnera in genere ſint lethalia, ſed quae huic vel illi individuo, Johanni, Catharinae etc. in caſu ſubſtrato ſint lethalia? Cur non itidem praetexat hoſtilis laeſor? Si laeſus domi manſiſſet, ego illum in platea mihi obviam factum vulnerare non potuiſſem: Aut objiciat laeſo; cur non muniviſti tenue cranium tuum galea? Sic enim lethale vulnus Tibi non potuiſſem inferre.

§. XI.

Majorem *excuſationis ſpeciem* prae ſe ferre videtur *ſtatus vere morboſus individui*, laeſionem quandam externam vel antecedens et comitans, vel ſuperveniens laeſioni, ab hac independens. Quando, ut loquuntur, ſtatus cacochymicus, pletoricus etc. laeſionem deteriorat: vel quando morboſus laeſi ſtatus leviorem exaſperat laeſionem. Ita namque videretur laeſus e morbo, quem habuit, ſpontaneo magis occubuiſſe, quam ex adventitia laeſione violenta.

Sed celeber. *Bohnius* in aureo ſuo de vulnerum enunciatione tractatu rectiſſime diſtinguit inter cauſalitatem infirmitatis praecedaneae minus

tius neceſſariam ſeu ſeparabilem, et inter neceſſariam ac inſeparabilem, magis. Res huc redit: Si morbus antecedens et adhuc ſub accepta laeſione adventitia perſiſtens directe et ex ſe produxerit ſymptomata lethalia, ab illis ſymptomatibus, quae ab adventitia laeſione ſolent pendere, aliena, tunc morbus ille praecedaneus cauſa mortis proxima potius meretur dici, quam laeſio adventitia. Si e. g. homo phthiſi pulmonum ulceroſa graviter laborans, et in hoc ſtatu vulneratus leviter in brachio, ſuffocetur a puris reſtagnante in bronchiis copia: vel accedente diarrhoea colliquativa exhauſtus per modum ſyncopes moriatur, tunc illud vulnus brachii ne quidem per accidens lethale, multo minus per ſe lethale declarandum eſt, ſed morbus ejusdem internus, phthiſis conſummata, potius eſt lethalis pronunciandus.

Aſt e contrario, ſi ſymptomata lethalia qualiacunque oriantur directe magis et immediate ab adventitia laeſione, haec ipſa laeſio videtur habenda pro lethali per ſe, et non per accidens, quamvis et ipſe ſtatus laeſi morboſus praecedens aliquam laeſionis deteriorationi ſymbolam addiderit, et homo laeſus non potuerit propter infirmitatem e morbo praecedente reſiſtere ſatis ſymptomatibus, a laeſione adventitia excitatis.

Hinc quoque patet, quid ſentiendum ſit de praetenſa lethalitate tantum per accidens tali, ſi *inſtrumentum laedens* forte fortuna directum fuerit

rit abs laedente in regionem quandam corporis laeſi, *ubi* inſolito et praeternaturali modo *vel arteria* quaedam multo exteriorem et *ſuperficialem magis ſitum* obtinuerit: *vel* magnum *anevriſma* quoddam internum offenderit, aperuerit et ſubitaneam induxerit incompeſcibilem haemorrhagiam: *vel abſceſſum* clauſum, vomicam e. g. pulmonis, e quo rupto ſubitanea acciderit ſuffocatio: *vel in ſcroto aut inguine* obvia *enterocele* occaſionem praebuerit extraordinariam pertundendis lethaliter inteſtinis etc. quamvis enim in illis laeſionum, ibi terminatarum, locis nulla lethalitas per ſe obtinuiſſet, niſi partes nobiles eo fuiſſent praeternaturales delapſae, vel ſe expandiſſent praeternaturaliter, majusque ſpatium occupaſſent; evidens tamen eſt, ex ipſa talium partium laeſione mortem immediate ac directe accerſitam fuiſſe.

Unde ſic infert *Bohnius* l. c. p. 101. rectiſſime: vulnus, quod in hoc vel illo individuo, intuitu determinatae ſeu valetudinariae diſpoſitionis, magnum et grave ſatis eſt, mortemque in ſimilibus ſubjectis utplurimum pedisſequam habet, accidentium quoque ſuorum et mortis hinc evenientis cauſa proxima audiet.

§. XII.

Si vero *morbus* quidam *ſumme periculoſus*, acutus, *laeſioni* demum *ſuperveniat*, e. g. apoplexia, catarrhus ſuffocativus, dyſenteria

ma-

maligna, febris maligna, exanthematica etc. tunc cardo deciſionis pariter in eoverti-tur, ut ſolicite eruatur: an morbus ille lethalis e vulnere, ſive antecedanea laeſione ſit factus, an alia quacunque e cauſa? an morbi ipſius atque ſolius gravitati ſuccubuerit aeger? vel ſaltem lethalitatis longe potiores ipſi morbo debeantur rationes, et in ſe, et in ordine ad laeſionem, ab aliquo praevie illatam, quam quidem exacerbaverit. Hoc caſu ſtatuetur laeſus non ex laeſione, ſed e ſuperveniente morbo deceſſiſſe.

Si vero morbus ſuperveniens exitum nactus ſit lethalem e vulnere potius et propter illud, tum laeſio haec lethalis per ſe declarabitur. E. g. ſi capite laeſus incurrat apoplexiam aut convulſiones lethales: vel in pectore laeſus incidat in aſthma ſuffocativum: aut inteſtinis laeſis, vulneratis ingruat lethalis dyſenteria, epidemice tunc graſſans, etc. in quibus ſcilicet caſibus pars laeſa cum morbo, aliunde orto, et inevitabili, tam arcte connectitur, ut non modo alter adgravet alterum, ſed quoque laeſio praecedanea morbum, aliunde ſupervenientem et aliâs ſuperabilem, reddiderit inſuperabilem atque funeſtum, tunc laeſio illa praecedens vocanda potius erit lethalis per ſe, quam morbus ſuperveniens, et licet multa ſuppetant exempla hominum ex illo morbo ſolitario citra praeviam laeſionem aliam, mortuorum; tamen cum et multa ſint evadentium, praeterea vero morbus graviter et lethali-

ter

ter ſit exaſperatus a laeſione praecedanea, itaque nulla heic procedit lethalitas per accidens, morbo ſupervenienti tribuenda.

§. XIII.

Ad *tertiam claſſem lethalitatis per accidens* (§. 7.) aliquas pariter afferemus animadverſiones. Heic vero cauſidicis admodum familiare eſt falcem immittere in alienam meſſem, nodum in ſcirpo quaerere et neſcio quos non comminiſci funeſtos errores vel aegri, vel Medici, vel Chirurgi, vel adſtantium? ut nempe reatum laedentis devolvant in alios ſuumque clientem liberent a poena ordinaria.

Haud quidem diffitemur in ordine ad Medicos atque Chirurgos, quod non modo quandoque bonus dormitet Homerus, neque τὸ Hippocratis μηδὲν ὑπερβάλλειν ſatis obſervet, ſed graviter etiam aliquando Iliacos intra muros peccetur et extra. Imo jam ſemel publice doluimus olim, in diſ. de inſpect. et ſect. legal, quod aliquando Judex nimiam fidem tribuat depoſitionibus atque judiciis in arte non ſatis verſatorum et Medicorum et Chirurgorum, ſeductus illo principio, in ſe quidem firmiſſimo, ſed in applicatione et ſubſumptione ad certa individua fallaciſſimo; Artifici in ſua arte eſſe credendum!

X. XIV

Siſtemus in hanc rem duas obſervationes, lectione ac reflexione digniſſimas; quarum altera exhibebit Chirurgum erroris et imprudentiae haud inſontem: altera vero innocentem adductum in ſuſpicionem ac injuſte accuſatum.

Summus quidam militiae Praefectus *vulneratur glande plumbea* in pectoris regione laterali ac ſuperiori ſic, *ut glans inter duas coſtas veras incuneata* remanſerit, absque ullo ſypmptomate ſuſpecto. Chirurgus caſtrenſis primarius extractionem molitur terebra chirurgica, ſed dum glandem terebrando aggreditur, *cedit haec et delabitur in cavum pectoris, aegerque*, ſellae inſidens, *ſubito moritur*. Per ſectionem a morte inſtitutam nulla ullibi, vel extus, vel intus deprehenditur laeſio alicujus momenti. Annon haec fuit lethalitas per accidens, ob glandem plumbeam ſubito et cum impetu delapſam in nervi cuiusdam momentoſi truncum? Cum vero huic delapſui glandis in interiora pectoris manifeſte anſam praebuerit Chirurgus, erit cauſa hujus lethalitatis per accidens, cum vel relinquere debuiſſet glandem, donec favente corporis ſitu nonnihil prono, ſub molliſſima vulneris obtectione, accedente per ſuppurationem emollitione, extrorſum magis gravitaverit et denique ſe expediverit: vel potius in latere alterutro, commodiore loco, novum infligere ſcalpello vulnuſculum et per hoc introducto hamulo, uncove glandem a tergo, in cavitate pectoris, adoriri,

foras

foras urgere, excutere, aut certe ſic obicem et peſſulum obdere glandi ab intra, ut, dum ab extra ab anterioribus tentaretur ejusdem extractio, glans non potuerit introrſum elabi.

§. 15.

Alterum exemplum, huic contrarium, *injuſtae ſcilicet imputationis* Chirurgo factae hoc eſt: adoleſcens, ſanus et vegetus enſe noctu in platea vulneratur per ſodalem in dextro pectoris latere, 4. vel 5. pollices ſupra papillam, vulnere ſub cute et in ſuperficiei, vel parte ſuperiori muſculi pectoralis magni, incedente 5. vel 6. pollicum longitudine, ſed in cavum pectoris non penetrante. Fuſo ſtatim, e vulnere copioſo ſanguine in plateam, et veſtes, domum redit, Chirurgo ſe committit, qui vulnus a ſordibus grumoſis purgat, ſanguinem ſiſtit, neceſſario apparatu vincit, ſive deligat. Altero die ſequitur eiusdem lateris dextri pollicis ac indicis digitorum paralyſis, tertio totius manus brachiique aneſtheſia, ſive ſenſus abolitio, atque notabile manus extremae oedema. Stilo exploratorio nunquam tangebatur, vel ſternum, vel coſta, vel pertingebatur usque ſub alam: ſed in fundo vulneris, alae propinquo, ſpatium occurrebat, digitum pollicem facile admittens. Hinc quarto die alius inſuper in conſilium vocatur Chirurgus quem vocabimus Cajum, in Anatomia ac Opera-

tio-

tionibus chirurgicis minime hoſpes. Inita conſultatione cum medico et chirurgis, concluditur; latere intra vulnus vel corpus quoddam peregrinum, vel grumos ſanguinis unde nervi comprimantur, et circulatio ſanguinis impediatur.

Adhibentur ergo fomenta reſolventia, ſpirituoſa, injectiones balſamicae in vulnus, non omiſſis internis medicamentis, regimine et diaeta convenientibus. Biduo poſt, cum ſymptomata ingraveſcerent, inſtituit ex chirurgis quidam vulneris dilatationem ope forficis, absque omni haemorrhagia. Pus prodit non laudabile, ſed ſanies ichoroſa foetens, cruenta: labia vulneris ſunt inflata, caro vulneri ſupercreſcit luxurians: In hoc tramite pergit vulnus ultra tres ſeptimanas. Brachii tumor tandem augetur, et livor notabilis juxta tractum vaſorum usque ad flexuram cubiti intermicat. Anaeſtheſia perſtat, quin ingraveſcit. Attactus vulneris prope alam eſt dolorificus

Hinc e communi conſultantium concluſo et requiſitione Cajus ſuſpicit orificii vulneris interea valde anguſtati dilatationem duplicem, alteram verſus ſternum ope ſcalpelli leviter falcati, in ſpecilli ſulcum immiſſi et detenti, atque ſic non niſi cutim incidit aperitque, paulo ultra duorum pollicum longitudinem: Alteram vero dilatationem perficit inciſione, ſesquipollicis circi-

L ter

ter profunditate, carnis fungoſae, juxta partem ſinus fiſtuloſi ſuperiorem, verſus humerum.

Ibi non niſi aliquot guttulae ſanguinis, prout in cutaneis fit inciſionibus, exſtillarunt; Heic arteriola exilis ſanguinem fudit, quantum cochlear fere capit, quem impoſito linteo carpto ſpiritu vini imbuto facile compeſcuit.

Poſt haec integro quinquendio nullam unquam vel indicium haemorrhagiae adeſt, vulnus copioſum fundit pus, brachii tumor, durities, livor magna parte diſſipati, formicationis ſenſus in brachio, et ipſe dehinc ſenſus tactus quodammodo reſuſcitatus: paralyſis tamen reſtat.

Circa ſexti diei, ab his chirurgicis inciſionibus, ingreſſum, evenit larga e vulnere haemorrhagia, et biduo poſt eadem recidivat enormis ſub ipſa vulneris abs chirurgo ordinario facta deterſione blandiſſima per ſpecillum linteo carpto obvolutum.

Huic quidem haemorrhagiae opponuntur ſtyptica, ſplenia et faſciae comprimentes, manus chirurgi longa appreſſio denique cauterium actuale

Sed recruduit iterum effuſiſſima haemorrhagia, ut in ſanguine quaſi nataret miſer aegrotus. Licet ergo hic ſanguine totus exhauſtus et morti proximus videretur, tentata tamen eſt per Cajum ligatura, ope fili triplicis cerati, quod vero dum valide adſtringeretur ruptum

eſt

eſt, et interea aeger mortuus. Caeterum pulſus in carpo lateris affecti perſtitit a potiori idem, qualis in ſiniſtro latere, excepta ſubinde majori illius debilitate: Brachium ſervavit naturalem calorem: nihil quidquam convulſivi comparuit. Manus vero inſenſibilitas tanta fuit, ut ſuper prunis ardentibus expanſam, pro intimiore illiti unguenti nervini penetratione, vehementer aduſſerit, citra omnem ſenſum.

§. XVI.

Altero poſt mortem die ad finem Decembris inſtituta inſpectione ac ſectione legalibus detegebantur: vulnus, una cum dilatatione per inciſionem facta, digiti longitudine ab axilla oblique verſus ſternum, per ſuperiorem muſculi pectoralis majoris ſuperficiem, dimidii pollicis latitudine: multoque ſanguine grumoſo infartum: muſculi tam in confinio vulneris, quam in brachio maxima parte gangraenoſi ac ſphacelati, una cum inſigni copia ſanguinis extravaſati et putridi: ramus quidam nervorum brachialium, et truncus arteriae axillaris penitus putredine ſoluti: Pulmo dexter inflammatoria rubedine tentatus, in ſiniſtro cordis ventriculo polypus: pleura valde gangraenoſa: inteſtina hic ibi admodum inflammata. Caetera ſaniſſima. Cranium aperiri non videbatur neceſſe.

§. 17.

Inſpectorum hoc fuit judicium: cauſam mortis adſcribendam eſſe haemorrhagiae enormi et recidivanti, hanc vero primitus putredini et hinc factae ſolutioni et abruptioni nervi majoris et arteriae axillaris (rectius fortaſſe brachialis) vel rami cujusdam thoracici arteriae axillaris, et recidivantem haemorrhagiam applicito actuali cauterio tribuendam eſſe, minime vero vel laeſioni primitivae per enſem factae, vel inciſionibus chirurgicis; Itaque vulnus quidem pro valde periculoſo, ſed tamen non pro abſolute et per ſe lethali habendum eſſe.

Multa hic argumenta vel dubia, eaque non levis momenti poſſent moveri, an, et qua ratione hoc vulnus fuerit per ſe lethale? Sed, cum partim ex odio figulino, partim garrulitate vulgi procaci, partim neſcio qua collegii cujusdam medici timiditate et titubatione, forſan et inſufficienti anatomica atque chirurgica eruditione factum ſit, ut Chirurgi illius, Caji, factae inciſiones in ſuſpicionem, inquiſitionem et tantum non accuſationem fuerint adductae, tanquam cauſa lethalitatis per accidens, quam quidem inſpectores in ſuo judicio diluerunt, atque rejecerunt.

Itaque ad illas tantum inciſiones chirurgicas, ad vulneris ampliationem ſive reſerationem neceſſarias reſpicimus, easque pro innoxiis non modo, ſed neceſſariis etiam declaramus, et, ſi fuiſſent

fuiſſent omiſſae, defectus in curatione potius atque omiſſionis, remedii ſcilicet, quo ſinus vulneris a ſanguine putreſcente, partesque adſitas corrumpente, purgari potuiſſent, demum redarguendas cenſemus, quia *α*) inciſio altera fuit mere cutanea, altera vero nonniſi in carnem orificii vulneris luxuriantem: *β*) Utraque inciſio perexiguam et pro nulla habendam ſanguinis copiam prolexit. *γ*) aliquot dies, ſub quotidiana vulneris deligatione, nulla e dilatato vulnere contigit haemorrhagia, idque *δ*) ſine adhibitis ſtypticis vel duris compreſſionibus. *ε*) E contrario autem poſtea copioſum pus e vulnere fuſum eſt et *ζ*) ipſa brachii phaenomena meliorem induerunt faciem. *η*) Sexto demum ab inciſionibus hisce chirurgicis die ingruit, eademque mox effuſiſſima, haemorrhagia, quae *ϑ*) omnem ſiſtentium vim opemque eluſit: *κ*) Etiamſi ex haemorrhagia enormi, et ſub illa, expiraverit aeger, tamen ipſi, ſine hac, aeque fuiſſet, et brevi, moriendum, ob tantam nervorum, vaſorum, muſculorumque ſphacelosam putredinem, cujus jam inde ab accepta vulneratione per gladium incipientis ac quotidie increſcentis luculenta ſatis apparuerunt indicia.

§. XVIII.

Ad *quartam denique claſſem* lethalitatis per accidens (§. VII.) progredimur, ac e plurimis

mis pauca tantum haec objecta ſeligimus: *Atmoſphaere ſtatus* et habitudo vulneribus atque laeſionibus in genere ſingularem aliquando determinationem atque modificationem afferunt. Novimus per experientiam, quam noxius in genere ſit aër, libere admiſſus oſſibus denudatis, quam moleſtus vulneratis in trachea, pectore, pulmonibus. In ſpecie vero ſi particulis heterogeneis, morbificis inquinatus fuerit: Si qualitate caloris excedat, atque ſic febribus vulnerum ſymptomaticis exacerbandis, vel putredini, viriumque exſolutioni inſerviat: Si nimio frigore denſetur et obrigeſcat, atque ſuppurationi praejudicet, papillas nerveas cutis, fibrasque membranaceas muſculoſas nerveasque ſtimulet, ſtringat, ſuccos condenſet, ſpaſmos inducat, atque ſic porro per reliquarum qualitatum exceſſum.

Quemadmodum vero hoc fluidum aëreum tam varias tamque copioſas e triplici regno, minerali, vegetabili, ac animali particulas et miaſmata imbibit plus minus vel conſtanter, vel univerſaliter, vel copioſe, nec a laeſionibus vulneribusque arceri poteſt: ita non poteſt non ejusmodi laeſionibus determinationem, (pro diverſa illius fluidi aërei conditione) plus minus vel ſalutarem, vel noxiam inferre. Hinc obſervationes multijugae fidiſſimaeque teſtantur, quam aër modo integrae zonae ac climatis, modo certae tantum regionis et loci vulneratis in genere, imo et certis ſolummodo ſpeciebus laeſionum ſingulariter

lariter ſit infeſtus, ut e. g. Lutetiae Pariſiorum capitis plagae ſint longe contumaciores ac periculoſiores, quam Avenioni: heic vero tibiarum vulnera difficilius, quam Pariſiis ſanentur: vel in atmoſphaera Florentina, Ferrarienſi, Bononienſi capitis vulnera ſint peſtifera, e contrario autem in Raguſaeo aëre vel enormiſſime capite ſauciati vix decedant, allegante e ſuis auctoribus toties laudato Bohnio l. c.

Hinc igitur concludunt: laeſum in tali noxia conſtitutum atmoſphaera lethalitatem laeſionis ſuae, per ſe non lethalis, acquirere per accidens, ideoque mortem inſecutam malignae tribuendam atmoſphaerae non vulneri, non laeſioni, nec imputandam eſſe laedenti homini. Concedimus talem laeſionem ab homine alio illatam per ſe lethalem exacerbari graviſſime: imo levem quandam, minime aliâs fatalem, directe et abſolute lethalem reddi ab infauſta et maligna aëris impreſſione, atque ſic omnino mortem proxime repetendam eſſe ab extranea hac inergia aëris. Negamus vero conſequentiam: Ergo haec inducta lethalitas eſt lethalitas per accidens, imo potius invertimus argumentum: Ergo haec eſt lethalitas per ſe. Nam aëris maligni miaſmata ſtatim, et ſucceſſive magis magisque laeſioni illatae ſe inſinuantes produxerunt in illa ipſa talem effectum inevitabilem non minus ac malignum, e quo mors directe eſt ſecuta. Videtur nobis hic caſus comparari poſſe cum inſtrumento laedente

venenato quod non modo vulnus infligit, ſed vulneri ſimul ſuum affricat venenum. Jam vero cum non ſit in poteſtate vel aegri, (maxime ſi laeſionis qualitas et viae longinquitas impediant ipſum, citiſſime ex hac noxia, in ſalubriorem emigrare atmoſphaeram) vel medici, vel artis in genere, talem effugere aut corrigere malignitatem aëris, quae tamen, citra vulnerationem, homini nullum, vel certe non lethalem induxiſſet morbum: itaque vulnus, vel laeſionem nos quidem per ſe lethalem pronunciamus medice cum *Bohnio*: quae vero concluſio vel ſententia maneat laedentem, civilis, an criminalis, videant Jurisconſulti?

§. 19.

Neque minus ex iisdem rationibus evincimus, *laeſum* in via publica, *tempeſtate hiemali* frigidiſſima, et a ſuo laeſore derelictum ac ab omni deſtitutum auxilio humano, ex ipſo frigore et congelatione, quibus ſe ſubducere ob vulnus vel laeſionem non valuit, mortuum, accepiſſe laeſionem per ſe lethalem, licet ſine longo frigoris acrioris concurſu talis non fuiſſet. Sive enim frigus fuerit abſolute tantum, ut propter ſummum eius gradum et diuturnam in eodem moram homini etiam ſano per congelationem frigida morte fuiſſet obdormiſcendum: ſive relative ſaltem ad laeſum hominem, ejusque laeſionem mox acceptam,

ceptam, ſufficit, hoc ipſum frigus laeſioni totique machinae humanae lethalem attuliſſe modificationem, idque tanto promptius, efficacius certiusque quanto laeſum debilitatumque corpus fuit ex accepto vulnere, vel laeſione, ſuſceptibilius, laeſus autem eo redactus, ut nec ipſe ſibi queat ſuccurrere, nec ab aliis auxilium exſpectare.

Par quoque ratio nobis videtur, ſi laeſus ſubeat *largiſſimam haemorrhagiam*, ab ipſa pendentem laeſione, quae quidem ſiſti poſſet, ſi chirurgus et remedium praeſto eſſent e veſtigio, ſed, cum haec vel plane non poſſint, vel non ſatis cito haberi, laeſum acute abripit atque necat. Talem laeſionem plerique cum celeb. *Schoepfero, d)* Jurium Prof. Roſtochienſi renunciant per accidens lethalem: Sed juſte dubitari poteſt: annon rectius pro lethali per ſe habenda ſit? quia fluit ex natura vulneris, majuſculo vaſi ſanguineo, praeſertim arterioſo inflicti, hominis vivi, ut ſanguis aperta proruat porta tamdiu, donec ipſa cordis machina embolusque quieſcant atque fatiſcant, ipſaque ſanguinis ſic exhauſta penus vaſorum funeſtam ubique ſubſidentiam, atque vitalium et animalium functionem ſuppreſſionem, h. e. mortem relinquat. Eo etiam ipſo, quod tanto et tam

L 5 im-

d) Schoepfer de Haemorrh. vulnerator. c. 3. p. 48. §. 24. 25. confer. quae p. 90. et ſqq.

imminenti periculo vitae remedium in hoc caſu deficit ſatis promptam, & culpa quidem laeſi vel aliarum circumſtantiarum minime, itaque mortem ſubſecutam vulneri, quà tali tribuendam, et vulnus per ſe lethale declarandum cenſemus, ideoque aſſertum veneramur noſtri olim Praeceptoris, celeber. Laur. *Heiſteri e)*, quod ita ſonat: Si quis forte poſt praeciſam, nocturno tempore, deficienteque chirurgo, arteriam aliquam temporalem aut tibialem, ſanguinis profluvio interiret, hujus ego plagam rebus ita ſe habentibus, prorſus inſanabilem, interfectorem autem capitis reum exiſtimaverim! Contra vero ſi quis eadem ratione, ſed interdiu vulneratus, propter adſtantium in ſuccurrendo negligentiam, chirurgive in ſupprimendo ſanguine ignorantiam exſpiraret, hujus ego vulnus ad dubiorum, ſeu per accidens modo lethalium claſſem referendum interfectorem abſolvendum chirurgum autem in jus vocandum ſtatuerim.

§. XX.

Sed difficultatum jam ſatis eſt, ideoque receptui canimus, et epimetri loco pauca adjicimus: Cum in plerisque „caſibus firmata ſit ſententia, „inquit ſupra laudatus *Schoepfer*, l. c. p. 95. „quod homicida extraordinaria poena ſit dimit-

„tendus

e) Heiſter. Chir. Lat. P. I. L. I. C. I. §. 24. p. 55.

„tendus, ſi vulnus per accidens lethale mortem attuliſſet; " Medicis ſerio incumbit in renunciatione lethalitatis, ut nec temere, nec timide agant, et injuſtae vel poënae, vel abſolutioni praebeant occaſionem: ut in renunciationibus ſuis de lethalitate per accidens omnia phaenomena accurate inquirant, probent, atque dijudicent. Optandum vero ſimul eſt, ut, cum *plerique tantum* caſus lethalitatis accidentalis homicidam a poena ordinaria libereut, reliqui caſus, & exceptiones ab hac regula, determinentur et unanimi Jureconſultorum conſenſu, vel Supremi Judicis authoritate confirmentur, quod ipſum quoque in votis habuit celeberr. *Struvius* in Diſſert. criminal. 6. theſ. 6. Imperialem exoptans interpretationem articuli in ſanctione criminali, qui reſpicit caſus ejusmodi lethalitatis per accidens.

TANTVM!

XXVII. DR.

XXVII.

DR. JOAN. GUILIELM. WERNER,

Diſſ.

Qua evincitur, medicinam forenſem praeter differentiam, vulnera, in abſolute lethalia et per accidens diſtinguentem, nullam prorſus agnoſcere.

Regiomonti, 1750.

Reſp.

DAVID SCHULTZ.

§. I.

Medicinam cum homines, nullis adhuc in civitatibus et oppidis concluſi, per agros palantes, aevum traducerent, originem ſuam jam cepiſſe, et reliquas ſcientias ſi Dei cultum excipias, aetate ſuperaſſe, hiſtoriae teſtantur. Placente autem hiſce temporibus, nuda et non fucata virtute, inculpata ſanitas plerumque vigebat,

bat, et medicinam pauciſſimarum herbarum, ſcientiae nomine inſigniri tantum fas erat; moribus autem hominum, deſidiis et gulae et luxuriae obtemperantibus, vitamque vitiantibus, cum facinorum generibus genera morborum, triſti cohorte, contaminarunt incolas, et prius tardam, longeque proſpicientem moriendi neceſſitatem, ſucceſſiva celeritate, annos mortalium feſtinante gradu reſcindentem, una cum variis vitae moleſtiis importarunt.

§. II.

Hinc arcenda fata, dolores aegritudinesque mulcendos et tollendos, auxilium quaerere impulit ſolers naturae, ab auctore rerum, inditus inſtinctus, et cogente morborum copia, uberiorem remediorum ſupellectilem, ſublimioris animi viri parare deſudarunt; quare indigeſtae ac rudi experientia ortum debere ſalutarem artem, extra omne dubium eſt. Donec primus Hippocrates, ultra ſui aevi modum doctiſſimus, quidquid à majoribus hauſerat, quidquid propria experientla firmaverat, quidquid demum aliorum obſervationibus adjunxerat, felici vinculo combinaverit, divagantemque et incertam artem, firmis et certis regulis non ſine labore compeſcuerit.

§. III.

§. III.

Variis abhinc viciſſitudinibus contremiſcentem, diverſis formis et faciebus deformatam, ſummis honorum faſtigiis evectam, temporum denique barbarie, omni plane exiſtimatione indignam medicinam, exhibent vetuſtatis nunciae. Hanc vero, poſt immortalis Harvaei tempora, experimentis et extiſpiciis potius, quam hypotheſibus et ſola experientia fundatam, nova et praeclariſſima fronte donatam fuiſſe, non eſt, qui unquam negabit, certe nonſolum non negabit, ſed quoque perpetuorum diſſidiorum, controverſiarum et rixarum, fertiliſſimam doctrinam declamabit. Suos igitur natales, ſuas aetates ducens medicina, ſenſim incrementa capiens, ſucceſſive adoleſcens, paulatim vireſcens, ſenio demum confecta, nova iterum reſurgens forma, omni jure, in antiquam et novam diſtingui meretur.

§. IV.

Experientia Veterum ſtabilita explendeſcit antiqua medicina: experimentis et rationibus praelucet recentior; quibus deficientibus, illam Penatibus, hanc Laribus deſtitutam fore, merito dixeris. Experientiam igitur, inextricabii vinculo, cum ratione, autopſia rerum ſuffulta, iunctam, veram medicinae methodum, eamque de-

demum medicinam appellari ingenuam, profitebuntur, quibus e meliori luto finxit praecordia Titan.

§. V.

Non poſſum fateor, ideo ſatis admirari, novitatis ſtudio, quaſi effaſcinatos, qui priſcorum placitorum excuſſo jugo, ea tantum, quae hodierna aetas, ſola ratione et autopſia apodictice pronunciat, inter unica ea ſola recepta referre, non erubeſcunt, primumque medicinae fundamentum, veterumque ſcripta, patritiis manibus attingere, ne quidem dignentur; altera vero parte, non ſine ſtomacho audire licet, ſervilis illorum usque in hunc diem veterum auctoritatis amor, qui antiquitatis praejudicio ſopiti, omnia, quae in praxi novitatem ſapiunt, ſuo palato venenoſa quaſi reſpuunt, et quibus in talibus caſibus, a Procerum veſtigiis, latum quidem unguem recedere, capitale facinus eſſet, novarumque ſcholarum inventa, ideo quia nova ſunt, exſecratione digna cenſent, de quibus ut olim de Roma: Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

§. VI.

Sit igitur pro auctoritate canities, quibus ſollicitam explicuere veteres frontem; ſit pro rerum veritate recentior experimentandi libertas, quae

quae ſordibus praejudicii mundata reſurgit. Caveator interim, ne quidquid primae artis parentes dixerunt, mortis meditationes nuncupentur, nec omnia recentiorum fermenta, antiqua medicina praeſtantiora judicare cures. Veritati ſtudendum, quam vero veluti unicum, et verae medicinae verum criterium eruendam non ſatis erit, ab antiquis fontibus hauſiſſe, ſed prudens neciſſitas exigit, puros ac ſecuros latices deguſtaſſe, quas novae ſcaturigines, larga effuderunt vena. Quapropter utriusque juris medicum, non in verba Veterum jurantem, nec Neotericorum ſectae mancipatum, antiqua veritas poſtulat, quid etenim veritate antiquius; quam vero veſtali pudore libaſſe tantum contingit.

quos aequus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus.

§. VII.

Senis Hippocratis Coi, medicinae artis conditoris, ſimul et ſtatoris, oracula; qui accedit, ſemper doctior abibit; Cornelii Celſi, medicorum Ciceronis, ſeu ſi mavis latini Hippocratis libros, non ſine fructu ullus pervolvet; Galeni non opera, ſed bibliothecam potius luſtranti, ſemper aliquid boni reſtabit; nec Arabum, aliorumque dogmata deguſtaſſe, irritus unquam labor erit. Quanta interim, hos medicinae proceres vera pietate colendi me rapiat reverentia; quantam

quantam illorum, et ad prudentiae libramentum expenſa judicia, conſilia, et pene apodictica dogmata, juſtiſſimam exigant admirationem, illos tamen in quavis medicinae diſciplina, omni numero, abſolutos dicere, illisque auctoritatis praejudicio occoecati inſtar, omnibus calculis ſubſcribere, numquam antiquitatis amor, me commovebit.

§. VIII.

Exemplo ſit lethalium vulnerum doctrina. Lubet Coi verba in medium proferre *a)* Veſicam diſſectam habere inquit Senex ille, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum transverſum, aut tenue aliquod inteſtinum, aut ventriculum, aut hepar, lethale eſt; nec non alio loco *b)*: moriuntur maxime ex vulneribus, ſi quis cerebrum, ſauciatus fuerit, aut ſpinalem medullam, aut hepar, aut ſeptum transverſum, aut cor, aut veſicam, aut venam craſſam. Moritur autem etiam, ſi in arteriam, et pulmonem, magnae plagae fiunt. - moriuntnr autem, qui in inteſtina vulnerati ſunt, ſive ex tenuibus aliquod, ſive ex craſſis vulneratum fuit. Eadem fere ex Cornelii Celſi ſcriptis colligere licet, hunc in modum pronunciantis *c)*:

Servari

a) Aphor. ſect. VI. aph. XVIII..
b) Coac. Praenot. III n. 125,
c) de re medica Lib. V. Cap. XXVI.

Servari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jecinoris portae, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuive circa fauces grandes venae vel arteriae praeciſae ſunt. Ne autem copioſis veterum auctorum, excerptis verbis patientia L. B. abuti videar, brevibus tantum annotare animus eſt, Calenum in commentariis ad citatum Hippocratis aphoriſmum, circumſpectius quidem judicaſſe, interimet eo ipſo loco, et in Methodo medendi *d*) et in libro de locis affectis, et pluribus aliis paginis, vel valde dubioſum, vel rei non ſtatis conſcium ſe præſtitiſſe.

§. IX.

Quam longe verba haec Veterum, a recta ſemita aberrent, quam parum rei veritatem et experientiam attingant, quam aperte Anatomes et Chirurgiæ diſciplinis contradicant, quam maxime, uſum partium, et laeſionum naturam denique confundant, mirandum ſatis eſt, plurimos nihilominus tam a Priſcorum, quam recentiorum ſcholis, verba ſenum, audacter vel in totum propugnaſſe, vel illorum factis fictisque variis diſtinctionibus, patrocinium ſuſcepiſſe.

§. X. Extra

d) Lib. III. et IV.

§. X.

Extra cancellos digrederer, ſi ſingulorum alias clariſſimorum, virorum, et de re medica optime demeritorum, varias opiniones colligere, atque dijudicare conarer. Abſit quoque, quod in eorum, qui ætatem hanc praeceſſerunt, famam atque exiſtimationem aliquid ſtatuam iniquum; colendi ſunt utique, atque Parentum loco habendi, multumque illis debemus, ſi illorum ſtudiis adeo profecimus, magisque exculpandi, quam ignominioſa injuria afficiendi videbuntur, ſi varias, lethalium vulnerum diſtinguendi cauſas, ſine prae concepta opinione inquirere, brevibus periculum faciemus.

§. XI.

In diſtinctionum amorem quaſi effuſi Veterum commentatores vulnera diſtinguunt. 1) in ſimpliciter et neceſſario lethalia, 2) abſolute, 3) per ſe, 4) ut plurimum, vel media, 5) reſpective, 6.) periculoſa, 7) per accidens, 8) plane non periculoſa.

§. XII.

Vulnera ſimpliciter et neceſſario lethalia, pronunciant ea, ſi, inter percuſſionem et mortem nulla alia cauſa interceſſerit. Abſolute exitioſa

 dicunt,

dicunt, quae omnem medelam detrectant, et qualia vix unquam ſtanata fuere conſtat, ſed ſemper et brevi interficiunt. Per ſe mortifera ajunt, quorum curatio ut plurimum minus feliciter ſuccedit, non tamen ſemper ac lente demum aliquando necant Ut plurimum, frequentius lethalia, ſeu media a prioribus non niſi verborum differentia, diſtinguenda ſunt, appellant etenim ea, quorum medela ut plurimum, fruſtra ſit, aut, que tardius hominem perimunt, a quibus tamen, interdum convaluiſſe hominem conſtat. Reſpective lethalia, judicant, quibus ſub certis conditionibus, quae tamen, nec in medentis, nec vulnerati poteſtate fuerunt, auxilium ferri potuiſſet. Periculoſa exiſtimant, quae niſi magna vel matura adhibita cura, vulneratum e medio tollere valent, vel etiam, ex quibus, omni quamvis adhibita diligentia, mors tamen metuenda eſt. Vulnera per accidens lethalia recenſent talia, poſt quae vulnerati, vel ſua, vel medentium, vel alia quacunque avertenda culpa moriuntur. Plane non lethalia demum ſtatuunt, quae vel nulla, vel levi, vel tamen mediocri adhibita diligentia curari queunt, et vulneratus diu vitam et ſanitatem ſuperſtes agere poſſit.

§. XIII.

Praecipuas has vulnerum lethalium diviſiones, ab auctoribus recenſitas atque defenſas adduxiſſe ſufficit,

ſufficit, quare plurium, uti ſanabilium, inſanabilium, natura ſua lethalium, corruptorum etc. quae cum prioribus omni modo correſpondent, allegare, et earundem varios et perplurimos auctores citando, vaſtiſſimum catalogum ſubſcribere, vanae ambitionis, ſervilisque lectionis oſtentatae me terret juſtiſſimus metus.

§. XIV.

Diviſionum aut ſi mavis confuſionum, et entium praeter neceſſitatem multiplicatorum, anſam primam dediſſe, veterum Hippocratis Celſi et Galeni, commentatoris videntur. Proceres hi non ſatis alias laudandi, intimiori Anatomes et Chirurgiae notitia, ſi non deſtituti, haeſitantes tamen valde, de vulnerum lethalitate quidquid per experientiam colligere potuerunt, fideli manu, ſagaciſſimis ſuis ſcriptis mandarunt; quorum illuſtratores, vel auctoritate decepti, vel non exculpanda negligentia, ad extremum coeco impetu defenderunt, vel captatoria arte, et inutilibus diſceptationibus, graeci codicis verba: *μάλιϛα, ἐξἀνάγκης, τὸ πολύ, θανατώσιμα, ἀποθνήσκειν, θανατώδεα, κατὰ συμβεβηκότα, ἥκιϛα θνήσκειν*, et alia plura, pro ſuo arbitrio explicarunt, hypotheſibusque magis, quam ratione et experientia, ſuffulti, vulnera in maxime lethalia, neceſſario lethalia, mortifera, per ſe, ut plurimum pernicioſa, et minime exitioſa diſperſerunt.

 §. XV.

§. XV.

Miſſis hiſce phraſium ambiguis explicationibus, altera, diſtinctionum perfoecunda cauſa mihi videtur, anatomes et corporum occiſorum, denegata ſectio. Neminem etenim, niſi in medicinae hiſtoria maxime hoſpitem, fugere poterit, medio adhuc ſaeculo XVI. cadavera humana incidendi, viſcera inteſtiuaque luſtrandi artem tanto et implacabili, perſecutam fuiſſe odio, ut Andr. Veſalio, tum temporis Lovanii, aevum agenti, nonſolum inciſiones corporum, ſed quoque oſſium humanorum collectiones, injuſtiſſimo abeundi conſilio, interdictae fuerint *e*) imo ipſe invictiſſimus Imperator Carolus V. numne fide et conſcientia illaeſis, mortuorum cadavera ſecare liceret? Salamanticenſium antiſtitum, ſuffragia, expoſtulaverit *f*), Hiſce igitur ſub momentis facile, res, miraculo eximenda eſt, quod, quidquid ad hanc usque aetatem, in medicina forenſi, reſervatum invenimus, nimis manca et obſcure memorata, ex veterum ſcriptis male aſſumtis, et extiſpicinis inſufficientibus, ſuborta cognoſcamus.

§. XVI.

Reſtaurata vero, eodem adhuc ſaeculo XVI.

curantibus

e) Veſalius in Epiſt. de radic. Chinae.

f) Memoires pour ſervir a l'hiſtore des hommes illuſtres Tom. V. p. 137.

curantibus et indefeſſis laboribus inveſtigantibus Andr. Veſalio, et Barth. Euſtachio, anatomes, deſideratiſſima peritia, inventoque ab immortali Guil. Harvaeo, ſub ipſius XVII. ſaeculi initium, cruoris humani, propreſſivo motu, et ſubſequentibus tot, fabricam corporis humani, priorum veſtigia prementibus ſcrutatoribus ingenuis, medicina a barbarie et ſqualore non parum vindicata, clariore praeluxit facie. Splendeſcente interim in medicinae athmoſphaera, hoc novo veritatis reſtituto ſidere, obſcuris tamen, falſarum hypotheſium, et praeconceptarum, et ab auctoritate Veterum prae judicio, formatarum opinionum, atris et opacis nubibus, quandoque et ſaepius conditum fuit; retinentibus nonnullis, ſumma avaritia, inquo ſemel imbuti fuerint, vel verentibus aliis, ne inconſtantes ac transfugae dici debuiſſent.

vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt.
vel quia turpe putant, parere minoribus, et quae
imberbes didicere, ſenes perdenda fateri g).

Hinc pro ſuis conceptibus, de facultatibus attractricibus, retentricibus, fermentatricibus, expultricibus, pluribusque aliis, nauſeam moventibus, huic illove viſceri attributis, theoriam hanc medicinae periculoſam, usque ad vulnerum

M 4 doctrinam

g) Horat. Lib. II. Epiſt. 1.

doctrinam extenderunt, laeſaque hac vel illa corporis parte, magis ſua hypotheſi ſeducti, quam ad organa vitae attendentes, lethalitatem conſtituerunt, ipſique novarum vulnerum diſtinctionum auctores fuerunt, vulneraque in ſimpliciter lethalia, natura talia, qualitate obſcura necantia, archaeum turbantia, et quae hujus furfuris plures ſatis ridiculae ſunt diſtinctiones, lepido ingenio diſtribuerunt.

§. XVII.

Accedebat inclareſcendi, et quaevis multumque ſcribendi exitioſus pruritus, quo literarum orbis, inprimis medicinae tenuis provincia, fictis potius quam veris obſervationibus, vulnerumque alias lethalium, illorum imaginatione curatorum, commentitiis hiſtoriis degravabatur. Taedet ſane, obſervatores, fictorumque caſuum compilatores, auctorum nomine honorare, quorum veriſimilium, quandoque, ſaepiſſime vero falſarum rerum figmentis, vulnerum, in quandoque ſanabilia, ut plurimum lethalia, frequentius necantia etc. diviſionibus, medicina forenſis onerata fuit.

§. XVIII.

Quamvis pleraeque, ſtupendarum curationum, fide magis, quam ſana ratione comprehendendae

hendendae enarrationes, captum ſupergrediantur, longe tamen abſit, ut ideo, omnes veritatem non excedentes vulnerum curatorum hiſtorias, fide et fame clariſſimorum virorum ſtabilitas, praeceps repudiarem. Certe etſi quidem raro, et magnis annorum intervallis, caſus eveniſſe obſervationes teſtentur, quorum felices exitus, infeliciſſimorum alias vulnerum, non in admirationem, ſed in animum fere turbantem ecſtaſin rapuerunt videntes exclamantesque:

> Non haec humanis opibus, non arte magiſtra
> proveniunt; neque te Aenea mea dextera
> ſervat,
> Major agit, Deus, atque opera ad majora
> remittit *h)*.

rariſſimos tales caſus tamen nimis attendentes, quandoque nimia credulitate ducti affirmantes, nova vulnerum diſtinctione, nimirum in reſpective lethalia, medicinam legalem remunerarunt.

§. XIX.

Nec ſicco pede cauſas homicidarum defendentes ICtos praetereundos exiſtimo, quorum quidam, adhibito Sacro Codice Exod. Cap. XXI. v. 18. 19. dies fatales ad 2. 3. dies pronunciarunt, nonnulli autem fatalem hanc periodum, ad 8. 9. 10. 13. a percuſſione facta diem,

h) Virgil. Aeneid. Lib. XII. v. 427.

em, quin ad integros menſes extenderunt, medicisque priores diviſiones, nova iterum, in neceſſario lethalia, periculoſa, et minus periculoſa, facta diſperſione, ornandi forſan ac onerandi, materiam ſuppeditarunt, neſcio an adaequatam.

§. XX.

Ultimo tandem, accidentalia, quorum nonnulla percuſſionem antecedere, quaedam comitari, alia ſubſequi poſſunt, de vulnerum lethalitate, conſtantis diſtinctionis, juſtiſſima cauſa fuerunt. Morbi etenim habituales, occulti, conſtitutio aeris, defectus medelae, aetas ſenilis, puerilis, graviditas, inſtrumenti laedentis qualitas, vulnera quantitate et copia magis, quam gravitate exiſtentia, diaeta vulnerati, ignorantia medentium, ſymptomata non praeviſa, quae, ut Valerii Maximi *i*) verbis utar: ſine vitae noſtrae, variis et occultis cauſis expoſito, interdum quaedam immerentia, ſupremi fati titulum occupant; cum magis in tempus mortis incidant, quam ipſam mortem accerſant; haec fateor et plura non recenſenda, per accidens lethalium vulnerum diviſionem, felici fato generarunt.

§. XXI.

Noviſſimam denique §. XII. datam vulnerum plane

i) Lib. IX. Cap. XII. n. 8.

plane non mortiferorum diſtinctionem, nullam omni modo contemplationem merentem, pluresque adhuc diſtinguendi vulnera, tam cauſas, quam modos reſtare, inficiari nequeo; interim cum illi, non antiquitatem, ſed antiquam diſceptandi proclivitatem redoleant, illorum mentionem opprimendam potius, quam recoquendam, haud in jurius cenſeo; imprimis cum obſoletis jam plerisque, quatuor potiſſimum, nempe 1. in abſolute et ſimpliciter 2. in τό per ſe 3. in ut plurimum et reſpective. 4. in per accidens lethalia diviſiones, ſuo patrocinio digniſſimas exiſtimarunt plerique recentiores, illasque hunc usque in diem, in medicina legali, uſu receptas fuiſſe meminerim.

§. XXII.

Exquiſitiſſima et poſt fata vireſcente, non vulgari doctrina clariſſimum Ioh. Bohnium *k*) et profundiſſimae medicinae pariter ac intimioris Chirurgiae fama illuſtrem Laur. Heiſterum *l*) inter plures alios recentiores, priorem diviſionem in ſimpliciter ſeu abſolute lethale, et in τό per ſe lethale, defendentes nominaſſe, inſtar omnium erit. Horum virorum dogmata, ſimul quoque

k) de officio medici dupl. p. II. Cap. V. p. 616. et de Renunc. vulner. p. m. 31.

l) in inſtit. Chirurg. p. I. Lib. I. Cap. I. §. XVII. ad XXII. p. 50. ſq.

que uſu receptum, diſtinguendi modum, contradicere velle, novatae forſitan doctrinae gloriolam captaturum, me cenſeret quispiam; aſt umbram facesque praeclariſſimorum nominum, debito cultu ſemper veneranti mihi, ab illorum theſibus recedere, vitio verti poſſe, dubito, quin me potius ſentiendi libertate, nullo conſuetudinis faſtidioſo jugo ſubacta libere frui poſſe, fremente licet invidia perſuaſiſſimum habeam.

§. XXIII.

Collatis §. XII. vulnerum abſolute et per ſe lethalium deſcriptionibus, differentia heic intercedens, niſi me omnia fallunt, ſpeculativa potius, quam re vera ſtabilienda videtur. Liceat ipſa Heiſteri l. c. verba proferre: per ſe inquit, et ſibi relicta lethalia vulnera, dum nominamus, ea intelligimus, quae ſua natura, praeſentiſſimam mortem afferunt, niſi opportunum et citum peritioris chirurgi auxilium acceſſerit, quae vero licet periculoſa, curari tamen, a bono chirurgo poſſunt, ſi in tempore adveniat, Bohnius, cui vulnera, de neceſſitate, ſimpliciter et abſolute lethalia eadem audiunt l. e. vulnus per ſe lethale pronunciat: cujus cura ut plurimum male ſuccedit, non tamen ſemper, aut tardius demum interficit. Ambo Clar. Auctores in eo conveniunt, quod dicta vulnera mortifera, et quidem ſua natura talia declament, differentiam tamen,

men, in obſervationibus talium vulnerum, quandoque, ſed rariſſime curatorum, reponant, et à vulneribus abſolute ſeu neceſſario vel ſimpliciter lethalibus ita diſtinguant, quod haec, omni mortalium arte, curári nequeant, vel quod ſine alterius cauſae interventu mortem immediate producant, omnemque medelam detrectent.

§. XXIV.

Certe ſi rem paulo accuratius, et ſine in alicujus parte claudicante prae judicio contemplari, animum intendamus, utrumque auctorem, vulnera haec τὸ per ſe lethalia dicta, cum illis quae ut plurimum talia aeſtimantur (§. XII.) promiſcua habere, et a data difinitione, non niſi verborum aucupio, ut pace tantorum virorum dicam, differre, obſervabimus. Quid etenim Heiſterus per *curationem poſſibilem, et in tempore adhibitam*, aliud indendit, quid Bohnius per verba *vix unquam*, et alia pagina per vocabulum *ut plurimum* exprimit, niſi quod ipſe Bohnius alio loco *m*) ut plurimum nominat, cujus medela, ut plurimum minus feliciter ſuccedit, non tamen ſemper, ac lente demum aliquando interfecit, vel uti alii auctores, vulnera lethalia, ſed quandoque ſanata viſa appellant. Me ſane judice, utraque citra erroris committend-

m) de officio Med, dupl. l. c. p. 617.

tendi metum, cum ſe invicem permutanda, una eademque dici poſſe, perſuaſiſſimus ſum.

§. XXV.

Ex dictis tacite apparet, Clariſſimos hos medicinae antiſtites, cum vulnera in abſolute et τὸ per ſe lethalia dividere conati fuerunt, re vere, verbo *ut plurimum* non ſemper quidem expreſſo, certe dictam differentiam amplexos fuiſſe. Quam difficultatem ſuperaſſe videtur Petrus Gerike, Academiae Juliae Profeſſor fama clariſſimus, vulnera lethalia diſtinguens, *in abſolute lethalia*, quibus ſcilicet, nulla arte ita ſuccurri poteſt, quin vulneratus ex illis periret, et in *reſpective lethalia*, quibus, ſub certis conditionibus, quae tamen nec in medentis, nec in vulnerati poteſtate fuerunt, auxilium ferri potuiſſet *n*). Cautiſſime quidem agens, et ut putat, multorum ICtorum cavillationibus hac diſtinctione occurrens clariſſimus Auctor, me diſſentientem, cavillationis crimine, non accuſet, obſecro. Si etenim absque praeconcepta opinione penſitare, ſi exule obtrectatione judicare libere liceat, certe eruditiſſimus Gericke, caeteris in citata diſſertatione, maxime perſpicuis, et admiranda cautione tractatis, hac tamen facta diſtinctione, nil novi attuliſſe, et cavillationes ICtorum extimeſcendas, non ſolum

n) in Diſſert. de Vulnerum renunciatione 1731. habita §. XXXII. ſeqv.

ſolum non evitaſſe, ſed potius cauſas dicentibus, majores excipiendi obtuliſſe occaſiones, clariſſime apparebit.

§. XXVI.

Conditiones etenim illae, que nec in vulnerati, nec medentium poteſtate ſunt evitandae, et quorum oppoſita, impoſſibilitatem, vel contradictionem ſub iisdem conditionibus involvunt, hypothetice neceſſariae appellandae erunt, et effectus inde fluentes, non niſi hypathetice neceſſarii eſſe poterunt. Ponamus jam, vulnera data tali hypotheſi adeſſe, illa neceſſario lethalia dicenda erunt, et a vulneribus abſolute lethalibus (§. XII.) ne tantulum hoc ſenſu differre, haud difficile concludi licebit.

§. XXVII.

At ſi mitius clariſſimi Auctoris verba aeſtimare cupimus, conditiones, quae nec in medentium, nec vulnerati, poteſtate ſunt, illas appellabimus, quae (§. XII.) ſub accidentalium nomine comprehenſae fuerunt, et hac ratione, vulnera talia, per accidens lethalia, ſub quibusdam circumſtantiis cit. §. adductis, nominare fas erit. Vel denique ad vulnerum *το* per ſe, et utplurimum lethalium claſſem (§. XII.) reducenda erunt, quo caſu vero, diſceptationes et cavillationes

ones innummeras, tam ratione curae, quam vulnerati, conſtitutionis, diaetae etc. nonſolum JCtis, ſed ipſis Medicis et Chirurgis, inſtituendi, latiſſimus aperiendus eſſet campus.

§. XXVIII.

Vulnerum ut plurimum lethalium (§. XII. XXI.) conſideratio reſtat. Quam receptiſſima in hunc usque diem, pluribus in locis ſit haec diſtinctio, et me tacente, teſſerae renunciatoriae, ut plurimum obviae loquuntur. Verum enim vero, ſi hujus diſtinctionis rationem, accuratius ducere intendamus, illam defendentibus auctoribus ſubſcribere, maxime veremur, quin potius, totam omni modo rejiciendam deprehendimus, imo ipſa retenta, fumum rixarum evitare putantes, ne diſceptationum et obtrectationum flamma, corripiamur, caute caveamus.

§. XXIX.

De homicidii poena, Legislatores circumſpecte agentes, Medicorum et Chirurgorum ideo expoſcunt ſuffragia certa et ſufficientia, quid quaeſo firmum, quid juſtum ac certum judicium, de vulnere ferent, ſi ut plurimum lethale appellabunt deponentes, ſi ipſi ancipites, quid judicare debeant, haeſitent, quia neſciant forſitan? minime forſan crediderim. Accedit, quod

lethalium

lethalium ut plurimum diviſio illa, fictis ut plurimum et commentitiis hiſtoriis, originem ſuam debeat, et tali vacillante admodum fundamento, caſus quandoque toto coelo differentes, tanquam ſecuro fulcro ſuperſtruere conentur, vulnerum demandati ſcrutatores, Ecquid plura? ſi verae vulnerum, frequentius et utplurimum lethalium hiſtoriae, accurrato, et aequitate digno judicio conſiderentur, plurima niſi forte omnia ad illa recenſenda invenientur, quae per accidens homines jugularunt, coetera vero pauciſſima, eorum cenſum ſubire invenientur, quae abſolute lethalia merito dicenda eſſent,

§. XXX.

Rejectis igitur vulnerum 1. *τό* per ſe 2. reſpective 3. ut plurimum lethalium differentiis (§. XII. et XXI.) unicam illam in abſolute et per accidens lethalia vulnera *diſtinguentem*, retinendam eſſe, non injurius, non praeceps ſtatuo. Comparatis etenim vulnerum ſimpliciter, abſolute, neceſſario, et per ſe lethalium definitionibus (§. XII.); tres priores, unum idemque deſcribere, et ſibi invicem ſubſtitui poſſe; poſteriorem vero diviſionem, vel ad priores, vel ad diſtinctionem utplurimum lethalium, reſtringendam eſſe, mecum, juſtiſſimus deprehendet arbiter, et ſimul, verbis, quae conſuetudinis jugo, vim legis quaſi huc usque in-

N tulerunt,

tulerunt, coeco impetu obtemperandum eſſe, minime aſſentire poterit, praecipue, cum nominum tautologia, non res ſed verba diſtingui, et vocabulorum rapſodiis, confuſionem magis, quam veritatem conſequendi, liberales ſuppeditari occaſiones, animadvertet. Manebit igitur firmiſſimo fundamento, in abſolute facta diſtinctio, caeterisque ſimpliciter, et neceſſario appellationibus, tanquam hujus ſynonimis, eademque ſignificantibus verbis, ſi quispiam uti amaverit, vocum ludibundus opifex, ſuis logodaedaliis, me invidum, moerentemque numquam habebit cenſorem.

§, XXXI.

Alteram vero quod attinet utplurimum lethalium vulnerum diſtinctionem (§. XII.) ex foro medicinae forenſis, uti confuſionum fertilem matrem, prorſus relegandam, et pauca, quae ad §. XXVIII. et XXIX. dicta fuere, adjicienda eſſe arbitror. Si in doctrina ontologica, ea appellamus oppoſita, quorum unum, alterius involvit negationem, et neceſſaria, et contingentia, uti oppoſita conſiderantur, atque tertium intermedium cogitari non licet; minime dubius haereo, et vulnera abſolute lethalia, et per accidens lethalia, uti neceſſaria et contingentia, oppoſitorum inſtar ſibi invicem opponere, verbaque illa utplurimum, media,

dia, frequentius, animo ut tertium intermedium, non conceptibilia, et niſi ad alterutram claſſem redigantur, inania et plane non explicabilia, omni jure rejicere. Interim nihil monebo, ſi neceſſaria dicta, philoſophico ſermone, hypothetice talia, nominare quiſpiam velit, dummodo, eorundem oppoſita, contingentia nempe, accidentaliter lethalium nomine, ſub eadem hypotheſi, inſignire non recuſet.

§. XXXII.

Non enim de poena ferenda, nec de animo occidendi inquirendo, quod Juſtitiae ſacerdotibus relinquitur, expoſcitur Medicorum ſuffragium, ſed de hominis violenter peremti cauſis inveſtigandis, unice tenetur, requiſitus vulnerum explorator. Nec dies fatales olim ſtatutos, nec longius vita ſuperatum tempus, nec varias aut fictas, aut veras, curatorum vulnerum enarrationes, nec aetates, aliasque circumſtantias quandoque obvias, oquippe quae, lethalitatis ſigna indubia non conſtituunt, multo minus, vulnera per accidens lethalia, in abſolute talia, vel vice verſa, commutare queunt, prolixo ſermone recenſere rogatur deponens. Sufficit illi reſpondiſſe, an vulnus cauſa mortis fuerit nec ne, homine quamquam citius aut tardius ſuccumbente: quorum diverſorum exemplorum, et fide dignae hiſtoriae, et quo-

tidiana experientia affatim commonſtrant, ſi modo caveat, ne ſubreptionis vitio, aut experiundo fallacia, aut variis, ambiguisque rerum circumſtantiis, et dignoſcendi occurrentibus quandoque impedimentis, ſeductus, apparentia pro veris venditet, judicet, atque ſub ſigillo teſtetur.

§. XXXIII.

Cautes vorticesque hos feliciter evitare et Medicus et Chirurgus, optime poterunt, ſi miſſis Veterum ſcholarum, falſa fictaque hypotheſi fundatis diviſionibus, et theoriae et obſervationibus commentitiis minus fidentes, ad verum Anatomes et Chirurgiae archetypum, vulnera I. in quovis ſubjecto ſpecialiter et ut barbare loquar, ad individuitatem exiſtiment. Contingere nimirum poterit, ut eodem veroſimiliter modo, eadem apparente lethalitate, duo ſimul vulnerentur, quorum alter, ultimum diem pauco intervallo obire cogatur, alter vero longiori tantum temporis tractu pereat, vel plane convaleſcat, non neglectis tamen in utroque caſu, curae diligentia ſolertiaque, nec non vulnerati ſemper bene diaetae regimine conſtituto. Apparenter dico, hinc eundem et ipſum caſum, in utroque adeſſe, minime affirmandum, ſed luſtratis vulneribus, maxime differentem judicandum, oculatiſſimi invenient. Quam differentiam IIdo ex ipſorum viſcerum

ad

ad vitam magis aut minus facientium, illorumque laeſionis, indeque pendentium functionum, majori vel minori gravitate, ingenue examinare atque colligere, haud difficile erit, quibus IIItio medelae et faſciarum et machinarum chirurgicarum deſideratam ac neceſſariam applicationem poſſibilem vel non poſſibilem fuiſſe, ex circumſtantiis ſcite eruat, deprehenſamque judicet.

§. XXXIV.

Utrumque deponentem, non ſuperficiaria, ſed accuratiſſima medicinae, inprimis Anatomes et Chirurgiae, et viſcerum functiones explicante doctrina, inſtructum requiri, et me ſilente zoilus quoque penſitabit.

§. XXXV.

Vulnerum tam abſolute, quam per accidens lethalium requiſita, modum dignoſcendi, et ſpecialiorem hiſtoriam, et reliqua hoc loco adducere, non ſolum limites praeſcriptos transgredi, ſed quoque omnium, de medicina forenſi, demeritorum auctorum dogmata conciliare, et ex charta in chartam exſcribere, nec inſtituti ratio, nec compilationis accuſandae metus permittunt.

§. XXXVI.

Finem properanti mihi, alias auctoritatem reformidanti liceat hac vice theſin meam, auctoritate Virorum, de legali medicina optime promeritorum, confirmatam reddere. Horum alter Clar. Bohnius ſequentem in modum effatur: Conſultius proin forſan erit - - - et tantum, an vulnus per ſe, an per accidens lethale, disquirere atque enunciare *o*). Cui alter non ſolum aſſentit, ſed fuſius et clarius dogma ſuum defendit eruditiſſimus Ch. Ehr. Eſchenbach. Medicus Roſtochienſis *p*), quibus et alios plures, ſi non aperte, tacite tamen conſentientes, adjungere haud difficile eſſet, ſi extra oleas divagari, non erubeſcerem.

§. XXXVII.

Verbis igitur Melch. Sebitzii, paginis hiſce finem imponenti, ſimulque levidenſe hoc opuſculum conſumanti concludere, vitio verti mihi non poſſe, arbitror; ita etenim perſpicue loquitur Reipublicae Argentinenſis Archiater ſolertiſſimus *q*): Oportet hoc in caſu habere

o) de Offic. Med. dupl. l. c. p. 616. et Renunc. vulner. p. 33.

p) in Medic. legali Sect. III §. 101. ad 105.

q) Prodrom. Exam. vulner. P. III. Theſ. IV.

habere animum, ab omni affectu et perturbatione liberum ac vacuum: credendo Deum καρδιογνώστην nobis adeſſe, et factorum noſtrorum, animique inſpectorem eſſe oculatiſſimum: ſique contra veritatis et aequitatis legem, ſententiam tulerimus, vindicem ſeveriſſimum, ſin pro veritate ſteterimus, fautorem et remuneratorem benigniſſimum. Magnum quippe crimen eſt, et impietatis pleniſſimum, eum, qui a mortis poena liberari poteſt, falſo et iniquo teſtimonio reum facere; peccatum maximum, ſervare velle illum, quem ob vulnus illatum lethale, homicidarum poena leges damnaverunt.

Tantum.

XXVIII.

DR. IOAN. TORKOS.

De

De renuntiataione lethalitatis vulnerum ad certum tempus haud adſtringenda.

Gottingae, 1756.

§. I.

Debita partium ſolidarum cohaeſio, nec interruptus humorum per vaſa ſua circuitus, integritatem corporis cum perennitate ad plures annos promittunt: variae tamen mutationes, quibus hae partes obnoxiae ſunt, varios quoque affectus in corpore noſtro producunt. Ita ſi partes ſolidae, cohaerentes, molles, cum effuſione fluidorum ſolvuntur vulnus eſſe dicimus. Neque igitur errare exiſtimo, ſi cum BOERHAVIO definivero: Vulnus eſſe ſolutam cohaeſionem recentem, cruentam, partis mollis, a corpore acuto, duro, moto, preſſo, vel reſiſtente. *a*) Poſita enim hac definitio-

a) Proponit VIR Doctiſſimus hanc definitionem in *Aph.* 145. conf. Per Illuſtriſſ. G. van SWIETEN Comment. in hos Aph. *Vol.* *I.* *p.* 217.

nitione, facile a reliquis ſolutae unitatis morbis diſtinguitur, et quidem ab ulcere, quod ſit recens; a fractura et fiſſura ob ſubiectum partis ſolidae, mollis; a contuſione per corpus durum, acutum, ſeparans cohaeſionem in parte molli.

§. II.

Solutam cohaeſionem partium naturaliter effuſio humorum ſubſequitur, neque adeo liquidorum extravaſationem deprehendens, ubi ſeparatio cohaeſionis partis mollis exulat. Diſcimus autem ex phyſiologicis, pro multiplici ſerie fluidorum, quae in corpore noſtro ſecernuntur varii generis vaſa, maiora, minora, ſanguifera, lymphatica ad ea continenda et vehenda deſtinata eſſe, quae cum vulnere inflicto diſcindantur, ultro patet non ſolum liquores, quos eo tempore vehunt, ſed etiam qui poſtea lege perpetuae circulationis eo deferuntur, effundi. *b*) Unde omnis generis liquida, a quibus ſecretionis, et nutritionis e-

b) Nullibi enim vel tenuiſſima acicula poteſt defigi, quin ſanguis emanet. Totum namque corpus humanum praeter epidermidem vaſis refertum eſſe, feliciſſimae RVYSCHIANAE iniectiones abunde docuerunt. ALB. V. HALLER Praeleſt. in Inſtit. HERM. BOERH. *Vol. II. §.* 214. *p.* 257.

molumenta pendent, corpori noſtro ſubtrahuntur.

§. III.

Inſigniter hoc modo laedi facultatem functiones corporis noſtri determinatas exercendi certum eſt. *c*) Cum vero in omni vulnere diſſecta vaſa effundunt fluida, qui per ea vehuntur, et quae poſtea ad eum praecipue locum, ubi laeſa ſunt perveniunt, (§. 2.) ultro edocemur, in omni vulnere laedi functiones, ab integritate partis illius continentis et contentae pendentes.

§. IV.

Diverſae corporis noſtri partes, quoad earum ſtructuram et officium, variis vaſis, maioribus partim, partim minoribus, ratione ortus, vel immediate a corde, vel mediante anaſtomoſi prodeuntibus inſtruuntur. Quodſi iam minimum horum vaſculorum laedatur, effundet liquidum contentum, ſed absque grandiori incommodo actiones cuilibet parti determinatas exercendi. Vulneretur autem maius

c) Teſtimonio Celeb. BOERHAAVII, veritatem apprime reſpondere fatendum eſt. Omnis, inquit, motus in corpore humano per ſola fluida exercetur. Oſſa moventur a muſculis, hi a nervis; et iſti ultimo a fluidis vid ALB. V. HALLER. *Praelect. in Inſtitut.* HERM. BOERH. *Vol. I. p.* 103.

maius, illico functiones cum vitae periculo turbabuntur, unde clare elucefcit, pro ratione laeſorum horum vaſorum, laedi quoque functiones vel majoris vel minoris momenti.

§. V.

A diverſitate laeſorum vaſorum, coniuncta cum difficultate functiones exercendi, vulnera an lethalia vel minus lethalia ſint, pronuncianda pendent. Quotiescunque enim ea vaſa laeduntur, quae liberum influxum ſanguinis venoſi in cava cordis, et expulſionem ſanguinis arterioſi ex cavis cordis promovent, non poteſt non caveri, quin omnis facultas functiones exercendi pereat, atque adeo certiſſime mors ſubſequatur. Itaque per vulnus lethale utroque in foro tum Politico, tum Medico illud intelligi exiſtimo, quod ea vaſa laedit, quae liberum influxum ſanguinis in cor eiusque inde reditum turbat.

§. VI.

Duplici vero modo hic liber influxus ſanguinis in cor, atque eius inde reditus per vulnus turbari poteſt: aut enim immediate vaſa tum arterioſa, tum venoſa, quae ſanguinis circulum per cordis cava abſolvunt, ita laeduntur, ut ſanguinem ad mortem usque effundant; aut quaedam corporis humani partes laeſae efficiunt, quo minus hic motus libere

re abſolvi poſſit. Ibi immediate; hic vero mediate circulatio ſanguinis turbatur. Ita immediate vulnus circuitum humorum impedit, ſi arteria quaedam maior vulneretur; namque omnis fere ſanguis ex arteria quadam maiori laeſa vulnere magno expellitur brevi. *d*) Mediate vero, cum cerebri tenera mollisque fabrica ab extravaſato liquido, mora et calore putrefacto ſubſtantiam cerebri ſphacelo inficiat, ipſamque mortem inferat *e*)

§. VII.

Sive immediate, ſive mediate, per vulnus circulus ſanguinis turbetur, aut ita laeduntur functiones, ut quamvis omnia hucdum cognita artis auxilia adhibeantur, nullo tamen modo mors poſſit praecaveri; aut ita laeduntur, ut ſibi relicta mortem quidem inferant certisſime, debitis tamen adhibitis remediis vita vulnerati conſervari poſſit. Illa abſolute; haec ſibi relicta vulnera lethalia dicuntur. Sic abſolute lethale vulnus eſt, quod cordis ventriculos penetrat; nullo enim modo lethalis haemorrhagia compeſci poteſt; quodſi vero arteria

d) HERM. BOERHAAV. Inſtit. Medic. §. 136. *p.* 53.

e) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ.* XIX. *p.* 384.

arteria quaedam artuum laedatur, omnem etiam effundet ſanguinem ad mortem, quae tamen artis ope averti poteſt. Ideo non dubitat VIR Illuſtriſſ. GERARD van SWIETEN negat Vulnera artuum abſolute lethalia dici poſſe per haemorrhagiam, quia per artem cognitam haec poteſt compeſci, & ſi tunc arteria vulnerata tam profunde haereat, ut ligari nequeat exſtirpatio membri adhuc ſupereſt, qua vita vulnerati ſervari poteſt.

§. VIII.

Perſequendum igitur eſt, an ex intervallo temporis, quo vulnera lethalia infliguntur, certa renunciatio de eorum lethalitate exhiberi poſſit; quod ut fiat inquirendum primo eſt in naturam atque conſtitutionem Vulnerum, quae ſive mediate ſive immediate liberum influxum ſanguinis in cor, eiusque inde reditum turbant, deinde inveſtigandum, an turbato ſic libero influxu ſanguinis in cor, eiusque inde reditu certo atque definito tempore mors ſuccedat?

§. IX.

Inter praecipua ſanguinis circulum turbantia vulnera laeſio cordis primum obtinet locum, cuius ſi motus per vulnus impediatur,

prae-

praeſertim ſi id in cavis eius contingat, mors certiſſime ſequitur. Summa enim cum celeritate, & fibrarum corrugatione ab impulſo ſanguine venoſo cor ſtimulatum contrahitur, qua contractione columnae eius carneae intumeſcunt, et contentum ſanguinem ad omnes corporis partes propellunt. Quodſi iam cor in perpetuo motu conſtitutum vulneretur, neceſſario ſingulis pulſibus multum ſanguinis per vulnus effundetur, qui cum effuſus, ad reliquas corporis partes pervenire minime poteſt, neque iterum ad cor redire, nihil praeter mortem inter anxietates, ſudores, lipothymias, exſpectari poteſt. Ita in cordis ſuperficie ſtudioſus nobilis vulnerabatur, cuius laeſio exigua, et vix notabilis fuerat, interim ſpatio trium horarum incidebat ex improviſo in animi deliquium, et ſtatim vita ceſſabat. *f*) Simile exemplum BONETVS quoque refert, ubi vulnus cava cordis penetrans momento vulneratum occidit. *g*) Protractior vero vulneratorum per complures dies vita, abſolutae lethalitati vulnerum cordis nihil derogat. Sic obſervante D. ZACCH. FVRST vulneratus in quartum usque diem ſupervixit, cui

f) HERM. FRIDER. TEICHMEYERI Inſtit. Medic. Legal. *Cap. XIII. Quaeſt.* 3. p. 214.

g) Bonet. ſepulchr. Anat. *L. IV. Sect. III. Obſ. XXXIII.*

cui tamen cuſpis enſis pulmonem ubi cordi adiacet, pericardium, & cordis ventriculum penetravit *h*).

§. X.

Laeſiones cordis vulnera arteriarum et venarum excipiunt, quae pari modo immediate ſanguinis circuitum per cava cordis turbant. Placet hic inprimis, laeſiones vaſorum ſanguiferorum diſtinguere in eas, quae contingunt primum in arteriis & venis in decurſu ſuo antequam per viſcera diſpergantur; deinde per viſcera iam iam diſperſa. Idem enim obtinet; immediate nempe turbatur modus ſanguinis; ſive laeſio vaſorum in ipſis viſceribus contingat, ſive minus.

§. XI.

Vulnera vaſorum ſanguiferorum in decurſu ſuo, antequam per viſcera diſpergantur, eorumque maiorum, cum inſigni haemorrhagia con-

h) A. N. C. *Dec.* II. *Ann.* III. *Obſ.* CXIV. l. c. *Dec.* II. *A.* II. *Obſ.* LLXXXVIII. Thom. Barthol. Hiſt. Anat. *Cent.* I. *Hiſt.* 77. Ioh. Bohn. de renunc. vuln. *Sect.* II. *Cap.* IV. *p.* 128. Conf. VIRI Per ILLVSTR. GERARDI van SWIETEN Com. in HERM. BOERH. *Aph.* §. 170. *n.* 2. *p.* 256. ubi plura, quae haec partim explicant, partim illuſtraat egregie, exſtant.

coniuncta, pari modo lethalia pronuncianda ſunt. Omnes enim arteriae et venae inter ſe communicant, atque adeo ex omnibus arteriis in arteria quamlibet, et ex omni vena in arteriam quamcunque iterum libere motus ſanguinis abſolvitur; quae ſi vulnere inflicto laedantur, pleno tunc rivo emittent ſanguinem, qui cum effuſus ad cor redire minime poteſt, immediate circuitus humoris vitalis impedietur, a quo cum vita pendet, nihil praeter mortem exſpectari poteſt. Periculoſiora autem ſemper ſunt vulnera arteriarum quam venarum, quamvis utraque laeſa mortem inducant, ut recte aſſeverat Illuſtris PRAECEPTOR ALB. VON HALLER vulnera arteriarum neque in minoribus absque periculo, neque in maioribus absque vitae iactura eſſe poſſunt *i*) Conſtantiſſime vero arteriarum Carotidum laeſiones morte terminantur; cum ob amplitudinem canalis, incompeſcibilis haemorrhagia ſequitur, dum propinquiores cordi ſitae, acceptum maximo cum impetu ſanguinem, ad citam mortem usque effundant. Complures id abunde teſtantur obſervationes. *k*) Idem periculum mortis obtinet in aliis quoque arteriis praeſertim maioribus, ut arteria axillari,

i) ALB. V. HALLER. Prim. lin. Phyſiol. *Cap. III. ſ. 35. p.* 25.

k) Zittmann. *Cent.* I. *Caſ.* 49. l. c. *Cent. V. Caſ.* 86.

ri, vertebrali, crurali. *l*) Easdem ob cauſas venarum maiorum vulnera pariter lethalia ſunt, ut venae cavae, *m*) venarum iugularium *n*) axillarium, *o*) venae cruralis. *p*)

§. XII.

Perſpeximus vulnera vaſorum tum arterioſorum tum venoſorum in decurſu ſuo, antequam per viſcera diſpergantur, ſequitur, ut eas quoque conſideremus laeſiones, quae in iis contingunt locis, cum viſcerum interiora permearunt. Vaſa, per viſcera itaque diſperſa ſi vulnerentur, immediate circulum ſanguinis turbant. (§. 10.) Cum vero vaſa haec laeduntur, non poteſt non eſſe, quin ipſa quoque viſcerum ſubſtantia laedatur, quae cum

l) Bohn. de renunc. vuln. leth. *Sect.* I. *Cap.* III. *p.* 33. *ſq.* idem. *Sect.* II *Cap.* V. *p.* 163. Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib.* IV. *Sect.* III. addit *Obſ.* XX. *p.* 385.

m) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib.* IV. *Sect.* III. *Obſ.* XXV.

n) Fort. Fidelis Relat. Medic. *Lib.* IV. *Sect.* II. C. 3. *p.* 539. Foreſti Obſ. Chirurg. *Lib.* VI. *Obſ.* IV. *in ſchol.*

o) Bohn *l. c. p.* 34.

p) Zittmann. Cent. 5. Caſ. 99. Conf. ea, quae erudite monet GRARD. van SWIETEN. Comment. in HERM. BOERH. *Aph.* §. 170. *n.* 3. *p.* 206.

cum nonnunquam plus periculi mortis ſecuturae, ac ipſa vaſa laeſa involvat, mediate circulus ſanguinis turbatur. Laeſum namque viſcus, etiam absque notabili humoris vitalis profuſione, functionibus ſuis proſpicere non valet; a quibus ita laeſis, cum coctio et nutritio impediatur, quae ad ſanguinis circuitum apprime neceſſaria ſunt, neceſſario etiam ſanguinis motus inſigniter turbabitur. Quum igitur in enumerandis vulneribus vaſorum per viſcera diſperſorum occupor, prout immediate ſanguinis circuitum turbant; praeſtat quoque coniunctim ea viſcerum vulnera inveſtigare, quae mediate intercipiunt ſanguinis motum.

§. XIII.

In enumerandis viſcerum vulneribus ordinem ſequor, quem ipſa corporis ſtructura ſuggerit; atque adeo vulnera cerebri primum contemplanda ſunt. Laeſiones vaſorum ſanguiferorum, partim integumenta cerebri propria, partim ipſam eius ſubſtantiam penetrantium, ſemper lethalia eſſe cenſebit, cui conſtat, quanta copia ſanguinis in id deferatur, abſentia omnis compreſſionis iis in locis, ubi vaſa oſſibus minus adiiacent. Quid, ſi cerebrum eo privabitur ſanguine, ad ſenſum, et reliqua ſua officia perpetua neceſſaria aliud praeter mortem contingere poteſt? Ita levis contuſio capitis, ruptis venulis pericranii mortem

tem induxit. *q*) Accedit, quod effuſo per vaſa diſſecta ſanguine, tenera mollisque cerebri pulpa ob molem extravaſati liquidi comprimatur, ob moram ſanguinis ibi haerentis exedatur atque corrumpatur, unde omnes functiones ab integritate encephali pendentes delentur, atque ipſa mors ſubſequitur. *r*) Profundiora pari modo vulnera cerebri, eiusque ſubſtantiae medullaris, ut et ventriculorum, lethalia eſſe docent, non ſolum nimia effuſio ſanguinis, ſed ut plurimum ſubſequens inflammatio, ſuppuratio, gangraena, quae ſingula mala morte interdum non praeviſa terminantur. *s*) Sic adoleſcens leviter in capite vulneratus, tribus poſt menſibus, quibus incolumis ſemper vixit, ſanatus eſt, correptus poſtea febre maligna, absque ullo ſymptomate vulneris capitis demum XIV. die mortuus eſt ubi aperto tandem cranio ſupra membranas et cerebrum pus deprehenſum eſt. *t*) Cerebelli vulnera eo certius lethalia ſunt

q) Bonet. ſepulch. Anat. *Lib.* *IV.* *Sect.* *III.* *Obſ.* *III.* *p.* 314.

r) Bohn. de renunc. vul. *Sect.* *II.* *Cap.* *I.* *p.* 97. 98.

s) GERARD. VAN SWIETEN. Comment. in HERM. BOERH. aph. *Tom.* *I.* §. 268. *p.* 437. Alberti Iurispr. Med. *Part.* *II.* *Caſ.* 27. *p.* 334.

t) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib.* *IV.* *Sect.* *II.* *Obſ.* *VI.* *p.* 325.

ſunt, quo plurimarum partium corporis humani functionibus, ad vitam conſtituendam neceſſariis inſervit. Vulneratum enim, aut ab extravaſato liquido compreſſum, actionem cordis tollit, et vita perit. Sic habetur apud BONETVM exemplum, ubi vulnus in orbita ſiniſtri oculi inflictum, cerebellum laeſit et mors ſecuta eſt. *u*) Porro Experimenta in ipſis vivis animalibus inſtituta abunde docuerunt, laeſo cerebello, poſt leviores partium exernarum concuſſiones, mortem ipſam ſecutam eſſe. *v*) Antequam ad reliquarum partium vulnera enumeranda progredior, laeſiones Medullae ſpinalis conſideranda ſunt. Vulnera funiculi huius medulloſi, etiam exiliora, ut punctura, certiſſimam mortem inducunt, *x*) recte monente FORESTO. Si, inquit, medulla ſpinalis ad ſui principium vulneretur, neceſſario ſequetur mors, quia univerſi corporis convulſio ſuccedet. *y*) Plurima enim viſcera vitalia ramos ſuos nerveos ab hac medulla ortos accipiunt, quodſi igitur paulo profundius vulneretur, inſigniter earum viſcerum

u) l. c. Lib. *IV*. *Sect. III. Obſ. XVII. p.* 344.

v) ALB. V. HALLER rim. lin. Phyſiol. *Cap. XII.* §. CCCLXXVIIII. *p.* 233. Bohn. de renunc. Vuln. *Sect. II. Cap. I. p.* 97.

x) Bohn. l. c. *Cap II. p.* 116.

y) Foreſt. Obſ. Chir. *Lib. VI. Obſ. IV. Schol.*

rum functiones laedentur, a quarum cum integritate vita immediate pendet, mors inevitabilis modo tardius modo citius ſequitur. *z*) Evenit vero, vt vaſa arterioſa et venoſa ſimul per omnem longitudinem medullae deſcendentia laedantur, ubi humores pariter, ut in encephalo mora et calore putrefacti, ſubſtantiam medullarem corrumpant, atque ita functionem organi, cum vita ipſa penitus deſtruant. *a*)

§. XIV.

Sequuntur vulnera pulmonum. Lethalitatem viſceris huius laeſi, vulneris conditio quodammodo limitat, cum obſervatis medicis edoceamur, quaedam eorum vulnera ſanata eſſe. *b*) Nunquam vero abſque vitae diſpendio eluctabitur, cui vaſa ſanguifera majora, et numeroſiora, cum ramis tracheae coniunctim laeduntur. Per vaſa enim laeſa, ſanguis ob cordis propinquitatem copioſus effundetur, aer diſtenſioni pulmonum inſerviens, per laeſas ramificationes aſperae arteriae ſive bronchiorum, thoracis

z) ALB. V. HALLER. *l. c. p.* 229. Bohn. l. c. p. 114. 115.

a) Bohn. l. c. Valentin. Pand. *Part. II. Sect. III. Caſ. IX. p.* 420.

b) Foreſt. Obſ. Chirurg. *Lib.* VI. *Obſ. IV.* A. N. C. *Dec. II. Ann. II. Obſ.* 37. Bohn. de renunc. vuln. *part. II. Cap. IV. p.* 132.

racis cavitatem replebit, unde pulmones compreſſi, ſanguinem eo pulſum minime tranſire ſinunt; hinc reſpiratio tollitur, et cum ea facultas ulterior actiones vitales exercendi ſufflaminatur. Vulnerabatur quidam intra quintam et ſextam coſtam, iuxta mamillam dextram ſica, quae verſus os ſternum deorſum adacta, lobum pulmonis anteriorem, in longum ad duorum pollicum latitudinem penetravit; poſterior vero lobus, vulnere anguſto aeque, ut alter profundo laeſus, die decimo obiit; ſecto cadavere, totus pulmo ſubdurus, tunicula eiusdem, ſicut et membrana thoracis, rubicunda, aſpera, tanquam inflammata apparebat, cavitas thoracis, ſanguine aquoſo, purulento plena, cordis tunica ſimiliter aſpera, ſubdura, ac ſi phlegmone fuiſſet tentata, reperiebantur. *c*) Ex qua obſervatione videmus, ob multitudinem ſymptomatum concurrentium, grauiores pulmonum laeſiones, morte quam ſaepiſſime terminari.

§. XV.

Ad vulnera ventriculi lethalia deſcribenda accedimus. Diſtinguunt hic inter vulnera vel fundum, vel orificium eius occupantia; quae priora non ſemper lethalia eſſe a quibusdam pronunciantur; *d*) ſed maiora vulnera fundum eius

c) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ. XXIV. p.* 360.

d) Schenck. de vulner. ventricul. *Lib. III. Obſ. XII.*

eius penetrantia, cum profuſione ſanguinis nimia, aeque lethalia ſunt, ac laeſiones orificii, id quod tum evidentiſſimis rationibus, tum obſervatis eleganter illuſtrat BOHNIVS. *e*) Sic villicus quidam in hypochondrio dextro, ſub coſtis ſpuriis, punctim gladio valde lato vulneratus, multa cruenta vomuit, et per alvum deiecit, ſupervenere ſudores, ſyncope, frigus extremorum, convulſiones, et die tertio mors. Aperto abdomine, vulnus in ventriculi fundo adeo magnum deprehenſum, ut tota eius ſubſtantia a parte dextra ad ſiniſtram penetraret, venis et arteriis, quarum larga ibi ſedes eſt, penitus diſciſſis, unde ingens ſanguinis copia, partim ſupra, partim infra reiecta, partim in ſpatio abdominis collecta, dolores vehementes, cordis anxietates, lopothymias frequentes, vigilia, deliria, convulſiones, tandemque mortem intulit; unde facile videmus, vulnera fundum ventriculi laedentia, pariter mortem inferre. Multitudo namque vaſorum a multis truncis orta, cum diſtributione per ſingulas membranas ventriculi, lethalia eius vulnera efficit. *f*) Praeterea, cum cibus et potus ventriculo contineantur, isque repletus nimium quantum diſtendatur; conten-

e) Bohn. de renunc. vuln. *Sect. II. Cap. V. p.* 140. *ſq.* Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ. XXV. p.* 362.

f) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ. XXV. p.* 362.

ta per vulnus elabentur in cavum abdominis, ſicque praecipua nutritionis media corpori noſtro ſubtrahentur, a quibus cum vita pendeat, neceſſario mors ob nervorum copiam cum convulſionibus ſuccedet.

§. XVI.

Ventriculo continua ſunt inteſtina, quae laeſa ob easdem cauſas inter vulnera lethalia numerantur. Copia namque vaſorum ſanguiferorum, quibus inteſtina donantur, vel ipſa mortem ob haemorrhagiam vehementiorem conſtituere poſſunt. Neque tollit diſcrimen, tenuia an vero craſſa ſint laeſa inteſtina? lethalitatem. Tenuioris namque inteſtini vulnus, chylum in cavum abdominis effundet, qui ibi corruptus, contenta omnia cavo eius viſcera tabefaciet, unde certa mors, per eleganter docente VIRO Illuſtriſſ. GERARDO van SWIETEN. g) Accidit, quod, effuſo ſic chylo corpori nutrimentum debitum ſubtrahatur, cujus defectu vulnerati lente pereunt. Craſſorum autem inteſtinorum laeſiones, quamvis paucioribus ſtipentur vaſis, nihilominus lethales ſunt. Praeter emiſſionem namque contentorum, facilem eorundem corruptionem, periculoſiſſimorum ſymptomatum concurſus, mortem nunc citius, nunc tardius finem vitae imponere certum eſt. Sic quum

g) Comment. in Aph. HERM. BOERH. *Tom. I. §. 170. p. 275.*

quum acutiſſimo enſe Iacobus ab Aqueria Arelatenſis per abdomen perſoratus eſſet, ingens in inteſtinis, tum tenuibus, tum craſſis vulnus accedit, exeunte undique per vulnus ſtercore, maximis doloribus conflictatus, nec uno conſiſtere loco poterat, tertio mox die vulnus lividum fieri, pus manare foeculentum, ſordidum, nigrum inceperat, ſcybolon per vulnus continuo prodibat, craſſorum inteſtinorum vulneratorum indicium, tum extrema frigebant, praecordiorum calor oriebatur, ſitis ingens cum aeſtu maximo, ſudor frigidus in fronte, et facie tota, atque cervice apparebant, lethalia prorſus indicia, quarto die pulſus vacillabat, et inter deliria die quinta mors ſuccedebat. Aperto dein abdomine, diſſecta inteſtina tum tenuia tum craſſa reperta ſunt, et ingens circa umbilicum tumor phlegmonoſus, thrombi ſanguinis congeſti, quibus nihil praeter mortem ſuccedere poteſt. *h*) Taceo, quae a nervis ſimul laeſis mala oriri poſſunt.

§. XVII.

Vulnera pancreatis ob multa potius, quam magna vaſa lethalitatem inferunt, quae cum laeſa ſanguinem in cavum abdominis effundunt, is corruptus ibi, et reliqua viſcera cum vita ipſa deſtruit. Porro, cum, vulnerato pancreate, ſuccus eius neque ſecerni, multo minus ad

O 5 inteſtinum

h) Bonet. l. c. Obſ. XXV. p. 364.

inteſtinum duodenum deferri poteſt, ſuccus vero eius ad chyli elaborationem neceſſario requiritur, facile patet, corpori ſubtracto nutrimento, lentam etiam mortem imminere. Raro vero, immo fere nunquam laedi poteſt, quin alia ſimul quoque viſcera laedantur, unde vel ideo inter vulnera lethalia referri meretur, quamquam neutiquam BOHNIUS in numerum eorum ponat *i)*.

§. XVIII.

Meſenterium, praeſertim ob vaſorum numerum, vulneratum certiſſime mortem poſt ſe trahit; praeter ſanguinis enim profuſionem nimiam, maxima etiam copia chyli deperditur, unde inſigniter nutritio, ſanitas, et cum his ſimul vita laeditur. Sic a ſola ejus punctura, absque laeſione aliarum ad vitam conſtituendam partium, ob haemorrhagiam validam vulnerati exſpiraverant. k.) Accedit nervorum per meſenterium diſperſorum copia, qui laeſi maximum pondus lethalitati vulneris addunt, id quod primus RVYSCHIVS obſervavit, licet nulla penitus haemorrhagia ex vaſis eius propriis contigerit. *l)* Easdem ob cauſas omenti vulnera quo-

i) GERARD. van SWIETEN. *l. c. p.* 263. Bohn. de renunc. vuln. *Sect. II. Cap. VI. p* 148.

k) Bohn. l. c. *Sect. II. Cap. V. p.* 148.

l) ALB. V. HALLER. Praelect, in Inſtit. HERM. BOERH. *Vol. VI. p.* 204.

que lethalia ſunt; reſecto enim eo, vitia digeſtionis, cruditates, frigus ventriculi, obſervantur, *m*) per quae cum nutritio impediatur, vitales etiam functiones turbabuntur *n*).

§. XIX.

Omnium viſcerum maximum hepar uberrima quoque vaſa nactum eſt, quae in plurimos ramos diviſa, et ſubdiviſa in minima usque capillamenta, totam hepatis ſubſtantiam, interiorem et exteriorem, connexa celluloſa tela perreptant, ita, ut vix fieri poſſit, quin ſub leviſſima etiam laeſione vaſa eius ſimul vulnerentur. Semper vero et certe mortem inferunt vulnera venam portae contingentia. Amplitudo enim huius vaſis, ingenti haemorrhagia ſecuta, ad finem vitae usque omnem emittit ſanguinem, a ventriculo, inteſtinis, meſenterio, liene, omento, et pancreate demum acceptum. Demonſtrant id obſervata vulnera huiusmodi, intra paucas horas mortem ſecutam eſſe. Sic vulnerabatur quidam in dextro hyponchondrio gladio acuto punctim, multum ſanguinis effudit et de dolore ad iugulum usque aſcendente querebatur, ſupervenit vomitus bilioſus, deiectiones cruentae oculorum ſcotomia,

m) ALB. V. HALLER. Prim. lin. Phyſiol. *Cap. XXV.* *§. DCLI. p.* 421.

n) Foreſt. Obſerv. Chirurg. *Lib. VI. Obſ. VII. p.* 13.

mia, deliquium animi, et paulo poſt mors. Aperto abdomine, deterſoque ſanguine, non tantum hepatis ſubſtantia, ſed et venae cavae truncus laeſus apparuit. *o*) Vnde recte FORESTVS iudicat, qui vulnera circa venam cavam et portae contingentia, neceſſario lethalia eſſe, iudicat. *p*) Nec refert, quacunque in hepatis parte laeſio locum obtineat, cum et leviora eius vulnera ſaepe funeſta evaſerint. *q*) Veſicula fellis hepati proxima vulnerata, non quidem ſubito, ſed ſucceſſu temporis necat. Extravaſata enim bilis in cavum abdominis, corrupta, vicina quoque viſcera exedit, unde mors. Praeterea compertum eſt, deſtructa veſicula, affluxum bilis ad inteſtina impeditum, et robuſtiſſima animalia occumbere intra paucos dies. *r*) Notandum adhuc venit, vix ſolam veſiculam vulnerari, quin ipſum ſimul hepar laedatur, eius enim cavo adhaeret inſinuata veſicula, totaque in foveam hepatis dextri recipitur.

§. XX.

o) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ. XXV.*

p) Foreſt. Obſerv. Chirur. *Lib. VI. Obſ. III.*

q) Bohn. de renunc. vuln. *Sect. II. Cap. V. p.* 150.

r) ALB. V. HALLER. Prim. lin. Phyſiol. *Cap. XXVII. p.* 452.

§. XX.

Quantus quantus lien eſt, unice arteriis venisque componitur, ita ut neque muſculum, neque adipem, nec ductum excretorium, nec vas aereum reperias. *s*) Quare quomodocunque laeſum ſanguinem citiſſime ob numeroſiſſima vaſa emittit, et repente interimit. Sic femina in hypochondrium ſiniſtrum baculo modicae craſſitiei percutiebatur, quae poſt horulam extincta, abdomen cruore extra vaſato ad turgeſcentiam usque plenum, et in lienis gibba parte fiſſura ingens, cordis vero ventriculi & vaſa corporis maiora ſanguine vacua reperta fuerunt. *t*) Immo laeſus lien digeſtionis quoque negotium, et ab eo nutritionis pendentia emolumenta turbat. Admiſcetur enim ille ſanguis repleto ventriculo expreſſus ſanguini pigro, adipe pleno in hepate haerenti, eumque diluit, a coagulo praeſervat, eoque ipſo tempore ſimul, quando bilis ad opus digeſtionis requiritur abundatiorem eius ſecretionem promovet, *u*) Vnde facile patet, quanta ſint vulnerum lienis in deſtruda ſanitate, cum vita ipſa pericula.

§. XXI.

s) l c. *Cap. XXVI. p.* 427.

t) Bohn. de renunc. vuln. *Sect. II. Cap. V. p.* 156.

u) ALB. V. HALLER Prim. lin. Phyſiol. *Cap. XXVI. §. DCLXVII. p.* 429.

§. XXI.

Renum vulnera ob arteriarum emulgentium amplitudinem lethalia vel ex eo ſunt, quod haemorrhagia inſignis ſubſequens compeſci non poſſit; conſtantiſſime vero mors ſequitur, ſi rami vaſorum vel in ipſa renum ſubſtantia, vel in ipſo ingreſſu laedantur. *v*) Ita enim per eius ſubſtantiam diſperſa ſunt vaſa, ut non ſolum intervallum ſuperioris et inferioris partis renis; ſed papillas etiam, earumque intervalla innumerabilibus ſurculis perreptent. Cum vero ex his arteriis urina ſecernatur, facile patet, laeſa ſubſtantia renis, non poſſe non ſimul et vaſa laedi, unde ſerum urinoſum in cavum abdominis effuſum, ibique corruptum mortem infert. *x*) Cuius rei exemplum apud BONETVM occurrit *y*) ubi quidam ex alto decidit, atque de retentione urinae per ſextiduum conquerebatur, neqe ſentiebat cathederem immiſſum, moleſtiam ſollummodo circa renes in lumbis percipiens; cum tandem ſeptima die mortuus eſſet, aperto abdomine, hepar, totaque eius regio quaſi inundata, et renes muco referti, et

v) GERARD. van SWIETEN Comment. in aph. HERM. BOERH. T. I. p. 262.

x) ALB. V. HALLER l. c. *Cap. XXXII. p.* 492.

y) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ. XXIX. p.* 374.

et veſica cum ureteribus quaſi exſiccata reperta ſunt. Continui renibus ureteres pari modo ſi diſcinduntur, lethalia ſunt. Nulla enim alia via in veſicam deferri poteſt urina; hinc omnis in cavum abdominis collecta, vicinas partes cum vita ipſa deſtruet. *z*) Praeterea certum eſt, perire hominem cui ureteres ligati aut obſtructi ſunt. *a*)

§. XXII.

Ex ureteribus perpetuo ſenſim in veſicam urinariam defertur lotium. Summe igitur neceſſaria eſt ad id continendum, donec emitti debeat. Quodſi igitur receptaculum hoc vulneretur, neceſſario omnem effundet urinam in cavum abdominis, quae in putredinem prona propinqua viſcera exedet, donec mors ſequatur. Maxime vero periculoſa, immo certo lethalia ſunt ea vulnera veſicae, quae circa arterias eius maiores contingunt, cum ob difficilem manuum acceſſum, enormis haemorrhagia compeſci vix ac nec vix quidem poſſit. Neque refert laeſio fundum, an vero cervicem eius occupet; cum et cervicis laeſiones lethales exſtiterunt. Sic perfodiebatur viro hypogaſtrium, mox ſupra pubem, cum

z) ALB. V. HALLER. Prim. lin. Phyſiolog. *Cap. XXXII. p. 497.*

a) ALB. V. HALLER. l. c. p. 496.

cum egreſſu inteſtinorum per plagam externam, quae quidem per hanc dilatatam reponebantur, et ſutura firmabantur, tertio nihilominus die vulneratus moriebatur, in cuius cadavere collum veſicae perforatum ac pelvis cruore congramato referta deprehenſa eſt. b)

§. XXIII.

Quae in utero contingunt laeſiones, praecipue circa eius vaſa, lethales merito pronunciandae ſunt. Subſtantia enim ejus vaſis pleniſſima, mollis, vulnera laeſa, magnam vim ſanguinis effundet, qui non tantum utero, ſed et reliquis partibus corporis non ſine vitae diſpendio ſubtrahitur. Praetereo, non levia, laeſi uteri ob turbatam ſecretionem ſanguinis menſtrui ex ipſius vaſis incommoda. Multo magis vero vita, vulnerato utero, periclitabitur, ſi eo tempore contingat, cum a foetu nimium quantum diſtenditur, ubi partim foetus, partim mater triſtiſſime vita privantur. *c)* Nititur enim in contractionem, expanſus a mole foetus, uterus poſtquam cum enixus eſt; quid vero, cum in tali expanſione conſtitutus laedatur, ob nervorum

b) Bohn, l, c, *p*, 159, conf. Gockel, conſil, Medic. *Cent, II, Cap*, *LXXIV*, vulnus lethale ſubſtantiam veſicae intra fundum et collum eius penetrans.

c) Bohn, l, c, *p*, 160, *ſq*.

vorum vaſorumque copiam aliud praeter mortem inter diriſſimas convulſiones ſubſequi poteſt?

§. XXIV.

Perſpeximus vulnera immediate ſanguinis circuitum turbantia, (§. 9. 11.) tum ea quoque, quae immediate et mediate perpetuo huic circuitui, donec vita fragilis durat, obſunt: (§. 13. ad 23.) ſequitur, ut earum partium quoque conſideremus vulnera, quae laeſae laedunt liberum influxum ſanguinis in cor, eiusque inde reditum, ut hic impeditus conſtanter ſubſequentis mortis cauſam et rationem contineat.

§. XXV.

Abſciſſio oeſophagi primum inter vulnera lethalia mediate ſanguinis circuitum turbantia locum obtinet. Alimenta enim ad ventriculum deferri minime poſſunt, elabentur per vulnus in cavitatem thoracis, ibi que putredine ſua vicina premendo et erodendo conſument viſcera, quae ſic deſtructa mortem inferent. Accidit, quod debitum corpori tali modo detrahatur nutrimentum. Praeterea cum, laeſo oeſophago, nihil ad ventriculum cibi deferri poteſt, hinc neque in vaſis chyliferis novus chylus ad ſanguinem pervenit, qui vero ad vitam conſervandam et promovendam abſolute ad perdita reparanda neceſſarius eſt, facile patet vitae fontem exa-

 reſcere

reſcere. Sanguinis enim ea eſt indoles, ut ad putredinoſam acrimoniam per motus cordis et arteriarum, et naſcentem inde calorem, facillime deflectat, unde et ob penuriam, et corruptionem humorum, motus cordis, adeoque vita ſubſiſtere nequit. Simili ratione vulnera ductus thoracici mediate, circuitum ſanguinis turbant. Omnis enim chylus, qui per hunc canalem ad ſanguinem per venam ſubclaviam deferri debet, per vulnus effundetur, atque adeo univerſum corpus nutritione privabitur, cum vero abſque ea diu ſubſiſtere non poſſit, lenta tabe, donec mors finem vitae impoſuerit, conſumetur. *d*)

§. XXVI.

Annumerari his poſſunt vulnera thoracis cum ingreſſu aëris, quae mediate, circuitu ſanguinis turbato, lethalia ſunt. Ingreſſus etenim per vulnus cavitatem thoracis aër, pulmones comprimet, quo minus per glottidem capto aëre, expandi poſſint, hinc ſanguis per cordis ventriculum dextrum iu collapſum pulmonem pervenire nullo modo poteſt, cuius cum liber exitus interceptus, circulationi obſtacula ponit, facile patet cordis motum cum vita inde pendente ceſſare debere. Tunc vero, erudite docente VIRO ILLVSTRISS. GERARDO van SWIETEN,

d) GERARD. van SWIETEN Comment. in HERM. BOEHR. aph. *Tom. I. §.* 170. *n.* 5. *p.* 276. conf. Bohn. l. c. *Cap. IV. p.* 135.

TEN, vulnera utrumque cavum thoracis penetrantia, et aërem admittentia, cito et certo lethalia ſunt, ſi vulnerum orificia, glottidis aperturam amplitudine ſua ſuperant *e*).

§. XXVII.

Diaphragmati illata vulnera etiam inter lethalia pertinent; praeſertim vero partem eius nervoſam occupantia, quamquam minime negarim et ſubſtantiam eius carnoſam penetrantia vulnera maiora lethalia eſſe. *f*) Inſigniter enim totum reſpirationis negotium, diaphragmate laeſo, ſimul quoque turbatur, cum ſolum fere ſeptum in viro ſano et quieto eam perficiat. *g*) Cum vero, reſpiratione impedita, etiam motus ſanguinis turbetur, clarum eſt vulnera diaphragmati illata etiam hoc nomine lethalia eſſe. Saepius etiam evenit, ut viſcera abdominalia vulnus diaphragmatis adſcenſione in cavitatem thoracis penetrent, illudque pro mole ſua dilatent, ubi non ſolum propriis functionibus moleſte privantur, ſed reſpirationem etiam ob ſpatium pulmonum expanſioni ademtum, ipſiusque vicini cordis motum turbant, unde nunc citius, nunc tardius vita privantur. Sic ſtudioſus quidam

e) GERARD. V. SWIETEN. l. c. *p.* 272.
f) Bohn. *l. c. p.* 137.
g) ALB. V. HALLER. Prim. lin. Phyſiol. *Cap.* X. *§.* CCXC. *p.* 165.

dam melancholia vexatus proprio ſe confodit gladio, vulnere intra quartam coſtam adacto, et ſub nona coſta in tergo penetrante. Mortui corpore operto, deprehenſum eſt vulnus per diaphragma et pulmones penetraſſe, et diaphragma quidem transfoſſum fuit in ipſo nerveo circulo, ventriculus vero totus aſcenderat in ſiniſtrum thoracis latus. *h*)

§. XXVIII.

Ultimo ſubiungo laeſiones nervorum, quae ſi in iis contingat, qui nobiliores corporis noſtri partes, easdemque vitales adeunt, ſemper mortem poſt ſe trahere innumera docuerunt obſervata. *i*) Immo et leviſſimae puncturae nonnunquam lethales evaſerunt, bene monente FORESTO. *k*.) Quid ſi in iis laeſio contingat, qui cordis motui, reſpirationi ſerviunt? Certe triſtiſſime inter dolores, convulſiones, ac deliria, finem vitae imponent. *l*.)

§. XXIX.

Perſpectis hocce modo vulneribus lethalibus, breviter, et in quantum fieri potuit diſtincte, ſupereſt

h) Bonet. ſepulchr. Anat. *Lib. IV. Sect. III. Obſ. XXI. p.* 351.

i) Bohn. de renunc. vuln. *Sect. I. Cap. III. p.* 68. *& Sect. II. Cap. II. p.* 116.

k) Obſerv. Chirurg. *Lib. VI. Obſ. VII. Schol.*

l) GERARD. van SWIETEN Comment. in HERM. BOERH. aph. *Vol. I. §.* 162. 163. *&.* 170. *p.* 254.

ſupereſt, ut evincamus, turbato per vulnus libero influxu ſanguinis in cor eiusque inde reditu, ſive immediate ſive mediate fiat, nunquam certum atque definitum tempus mortis indicari poſſe. Quod cuique eo clarius patebit, quo certiora ipſa corporis humani ſtructura nobis ſubminiſtrat argumenta. Certe quidquid de lethalitate vulnerum iudicare poſſumus, totum laeſione vaſorum ſanguiferorum, in mirabili eorum decurſu abſolvitur. Non equidem negarim, multum quoque ad vulnus lethale idioſyncraſiam laeſi, vulnusque tractantium errores, poſſe conferre, verum nullis inde lethalitatem deducet, qui ea accidentalia ſolummodo eſſe cognouit. Quare ne ullus dubitationi locus relinquatur, cuncta, quae ex ipſa corporis humani fabrica deſumi poſſunt argumenta, eo adhibituri ſumus fine, quo cognoſcamus, turbato per vulnus libero influxu ſanguinis in cor, eiusque inde reditu, ſive id mediate, ſive immediate fiat, nunquam, certo atque definito tempore mortem a medicis determinari poſſe.

§. XXX.

Si immediate liber influxus ſanguinis in cor, eiusque inde reditus turbatur, vaſa laeduntur. (§. 6.) Cum vero ex phyſiologicis conſtet, vaſa arterioſa et venoſa, quae immediate e corde ſanguinem promovent, et ad illud iterum devehunt.

hunt, partim maiora, partim minora eſſe, facile patet plus ſanguinis in vaſis maioribus, quam minoribus contineri, ergo etiam celeriorem in iis quam in his adeſſe motum. Sic, obſervante VIRO ILLVSTRI ALB. VON HALLER in arteriis maioribus velociſſime ad 74. vel 149. pedes, intra minutum primum procurrit ſanguis, in minimis multo lentius vigecuplo vel ultra. In venis magnis ea ratione tardius, quam per arterias promovetur. *m*)

§. XXXI.

Vtraque haec vaſa ita per corpus diſtributa ſunt, ut pro uſu partis, vel plura ſimul, vel pauciora decurrant; ſic plura comprehendit lien vaſa, quam renum alteruter. Ubi igitur maiora et plura ſimul ſunt vaſa, et celerior erit motus ſanguinis, et maior eius copia movetur. (§. 30.) Quodſi ergo vaſa maiora per vulnus laedantur, eo in loco, ubi plura ſimul iacent, plus ſanguinis effundent, quam minora, hinc et celerius, et maiori copia emittent ſanguinem, quam ſi minora fuiſſent laeſa vaſa, e quibus tardius et minus effluit.

§. XXXII.

Si mediate liber influxus ſanguinis in cor eiusque inde reditus turbatur, eae partes laeduntur, quae laeſione ſua efficiunt, quo minus cordis motus

m) ALB. VON HALLER. Prim lin. Phyſiol. *Cap. IV. §. LVIII. p.* 38.

tus humores vitales propellere poſſit. Cum vero partes hae, aut eiusmodi ſint, ut aut immediate ad motum cordis, aut mediate ad eum abſolvendum concurrant, facile patet illas plus ad ſanguinis circuitum conferre, quam has, hinc, illis laeſis, citius motum cordis ceſſare, quam in his. Sic, laeſo cerebello aut nervis cardiacis, celerius motus cordis ceſſat, quam laeſis inteſtinis, aut ductu thoracico. Ergo pro diverſitate laeſarum partium, circuitus ſanguinis vel celerius vel tardius ſiſtitur.

§. XXXIII.

Quum igitur a motu ſanguinis integritas vitae pendeat, motus vero ſanguinis pro ratione laeſorum vaſorum viſcerumque aut citius, aut tardius ceſſet, (§. 31. §. 32.) facile patet etiam vitam modo citius, modo tardius ceſſare. Ergo nec mortem, turbato ſive immediate, ſive mediate libero influxu ſanguinis in cor, eiusque inde reditu, certo atque definito tempore ſuccedere.

§. XXXIV.

Poſitis his, cum vulneribus, ſive immediate, ſive mediate circuitum ſanguinis turbantibus, nullatenus mors certo atque definito tempore ſuccedere poſſit: (§. 33.) ergo etiam incerta erit renunciatio lethalitatis vulnerum ex intervallo temporis, vulneris inflicti, et mortis inde ſecutae deſumta.

XXIX.

DR. IOAN. BERNARD. SCHNOBEL.

Diſſ.

De partu ſerotino in medicina forenſi temere nec affirmando nec negando.

Ienae. 1786.

PRAEFATIO.

Naſci vulgare, mori commune hominum fatum eſt. Certa eſt, vt creditur, aeterna et immutabilis naſcendi lex, incertus e vita diſceſſus. Perit infans, quem demum e ſinu mater cara profudit, vel conuulſus, vel animo viribusque carens; citius vel tardius moritur ſenex, ſed hoc ad rem non pertinet, modo ſciat bene mori, iubente deo, fati moderatore. In hoc quidem multiplex et varia finiendae vitae via eſt, magis ſtata et firma naſcentia, ſi medicis et iureconſultis credimus. Illi adſtrictam hanc menſibus fixis eſſe voluerunt, hi vero iubent edictis et legibus, quo termino fetus in lucem edi legitimusque haberi debeat. Ius ergo hominis et ciuis ter-

minis

minis arbitrariis circumſcribitur, etſi in poteſtate nec matris, nec filii eſt, quando vteri repagula rumpi poſſint. Citatur vel tardet partus, prouti res circumſtantes ferunt, nemine cogente vel impediente, ideoque mirum eſt, rem, niſi incertam, at vero mutabilem, tot diſcordias auctorum peperiſſe, nihil vt tam abſurdum vel ridiculum ſit, quod non aliquando medicus ſcripſerit, vel iurisconſultus ſtatuerit. Hinc fauor legum circa viduas; Hinc coheredum rixae et praelia; Hinc prudentum diuerſe ſentientium ſcita oppoſita, quoniam in hoc temporis lubrico quisque inuenit et habet, cui potiſſimum inhaereat. Poterit tamen haec lis ex aequo, ni fallor, dirimi atque componi, ſi ab eo, quod crebrius incidit, initium capiamus, indeque leges partus citi vel ſeri prudenter eliciamus. *Natura enim ſui iuris eſt*, inquit HEBENSTREITIVS *a*), *nec ad leges humanas componitur, aut ſemper ex formula reſpondet, modo properat, modo vota praecurrit, modo lenta eſt et moratur.* Si ergo cauſſae probabiles memorari et adduci poſſunt, quare fetus iuſto diutius in vtero detentus iacuerit, tunc fas eſt, tarditatem aliquam naturae concedere: Sin minus, aut aſſenſio ſuſtinenda, aut reprobandum

P 5

a) Anthropolog. forenſ. Sect. II. cap. 11. p. 194.

dum tale decretum omnino eſt. Non deſunt quidem fraudes muliercularum, ſi pudoris et famae ratio habenda videtur, vel ſi heredes ex aſſe ſcriptae ſunt, modo ventrem ferant. Neque vero tunc temporis deerunt, qui mariti defuncti munia ſubeant, vt habeat vxor, quo iure in poſſeſſionem bonorum veniat. Lubitum ergo eſt, data hac peropportuna occaſione meam qualemcunque diſſertationem *de partu ſerotino in medicina forenſi temere nec affirmando, nec negando* ſcribere. In quo ita verſabor, vt primum partus genera, quam breuiſſime fieri poterit, explicem, deinde varias auctorum cum negantium, tum affirmantium ſententias ſubiiciam, poſt cauſſas et exempla percenſeam, tandem quid hac in re certum ſit, ſine partium ſtudio profitear.

Dabunt tamen (ſpero) aequi laborum iuuenilium iudices, ſi quando vel erraſſe, vel rem omnem non tetigiſſe perhibear. Nemo enim adeo perfectus eſt, vt nusquam offendat, nemo adeo in re ſua certus, vt nuſpiam fallatur. Loquitur quisque, vt poteſt, non vero ſemper, vt debet. In magnis rebus voluiſſe ſat eſt.

DE

DE PARTV SEROTINO IN MEDICINA FORENSI TEMERE NEC AFFIRMANDO NEC NEGANDO.

§. I.

Voluerunt imperantes, vt ſi quis iure ciuis frui et hereditatibus ineundis vel priuilegiis capeſſendis aptior haberi velit, iam inde a partu maculam ciuilem ne habeat. Factum eam ob rem eſt, vt paullo ſollicitiores iureconſulti in naſcendi temporibus definiendis et aeſtimandis eſſent, et prouti varia mens eſt hominum et doctrina eruditorum, partim nimis faverent vxoribus, ne iniurii in ſexum eſſe viderentur, partim grauiter et duriter ſentirent, ſi quando femina ſerius, ac leges iubent et ratum habent, fetum pareret. Hinc orta varia iuris nomina puta, *partus naturalis ſ. perfectus*, qui ſueto naturae termino i. e. ad finem hebdomadis nonae et triceſimae, vel ad initium quadrageſimae incidit, *imperfectus* vero, qui citius, ac par eſt, in lucem prodit. Hinc *partus viuus ſ. praeternaturalis*, qui vitam quidem habet, ſed diu continuare propter imbecillitatem non poteſt, contra *vitalis*, qui praeter vitae neceſſitatem iis gaudet viribus eaque membro-

rum

rum perfectione, vt vitam poſſit per aliquod temporis ſpatium protrahere. Hinc *partus legitimus*, i. e. qui ex licito per leges matrimonio et naturae termino ſtato hereditatique adeundae apto fit, at vero *illegitimus* i. e. vbi hae dotes deſunt, et legum fauor nullus eſt. Hinc *partus praematurus*, i. e. qui ante iuſtum vitae durabilis terminum naſcitur, et *ſerotinus* i. e. qui vltra fixum naturae legumque terminum extenditur. Haec quidem ſcholae diſtinctio nec vana, nec ſuperflua eſt, quia eam et in natura rerum fundatam et iuris proprii definitioni ſatis accommodatam putamus. Nam *partus perfectus* non ideo eſt pro legitimo habendus, quod aliquas hominis dotes refert, et *ſerotino* hanc ob rem, quod vltra ſuetum naſcentiae terminum in matris gremio relictus latitauit, priuilegia legitimi fere denegantur.

§. II.

Ex his facile coniectare licet, quare inde a vetuſtiſſimis temporibus ad noſtra vsque de *partu ſerotino* valde diſceptatum eſt. Nam cum per leges non poſſit adire hereditatem patris, de cuius origine quaeritur, mirum non eſt, ſi opinionum ſententiarumque diſcrepantia incredibilis incautos vel in ſua re non ſatis certos identidem fefelliſſe videatur. Medici ſibi

ſibi non conſtant, neque vero et iuris conſulti, qui vbi male reſpondent illi, non poſſunt non in ſuo decreto fluctuare, et modo affirmando et modo negare τὸ δύνατόν. *S*ed hac in re definienda cautione quadam opus eſt. Quam ſi ouis bene obſeruat, erroris metus abeſt.

§. III.

Sunt, qui partum ſerius, ac fas eſt, in lucem edi poſſe negent, et habent haud leuia argumenta, quibus ſe muniunt. Ineſt cuique animanti ſua ſobolis gignendae vis et virtus ineſt et lex aeterna atque immutabilis, ſuo quodque animans tempore naſci. Hoc quidem abunde docet ratio et vſus. Nam quo minor et imperfectior ſpecies eſt, eo breuius naſcendi tempus natura quidem adſignauit: Quo perfectior et maior, eo longius. Nec fetum humanum ab hac lege ſolutum et liberum putamus, cum, abſoluto ſuo tempore, ruptis membranis, vel inuita matre prodeat. Naſcuntur tantum non omnes, ſi nullum naturalium vitium ſubeſt, vel violentia intrinſecus extrinſecus ſuperaccedit, ſub finem menſis noni, certe ſub initium decimi. Hic ergo eſt ſtatus et fixus naturae terminus, vltra quem progredi et decernere nefas eſt. Deinde fieri nullo modo poteſt, vt fetus perfectus poſſit hanc naturae metam veluti ſubſilire. Receptaculum enim illud, quod vte-

vterum medici nominant, eam habet formam ductilem, vt ſe ab fetu in molem quandam extendi patiatur, ſed vltra terminum naturalem minime. Vteri fibrae, quae in virgine ac muliere non grauidata in minus ſpatium contractae velutique decurtatae inueniuntur, cedunt fetus incremento quidem, et longiores fiunt, ac ante; ſed vbi ad ſummum ventum eſt, redire ad priſtinam anguſtiam tentant, et quanta fieri poteſt maxima contentione, onus moleſtum expellunt. Hic terminus fini menſis noni ita quidem alligatus et adſtrictus eſt, vt aut fetus exire, aut materni corporis cuſtodiam violenter rumpere debeat. Neque quae vulgo memorantur diuturnae grauiditatis cauſſae ita comparatae ſunt, vt fidem mereantur. Centies enim adſunt, neque partum tardant, plurimae vero citant eum potius, ergo attendendae in foro nullo modo videntur. Nam ſi certa earum vis ac idonea poteſtas ad tempus partus procraſtinandum eſſet, ſaepius incidere debuiſſet: Id quod vſu quotidiano non confirmatum eſt. Denique quod ſummum ac princeps eſt, id genus feminae tardentem fetum non accuſant niſi hereditatem opimam et praedam partam odorantur. Tunc vero eas ſuſpectas ſuper ſcelere putamus, quia ventrem docilem et dicto audientem habere creduntur. Talis ergo fides de foro ſublata eſt, quia id, quod

affirma-

affirmatur, ab naturae decretis nimis abhorret, ideoque ſpes omnis abiicienda, fore, vt haec res anceps et dubia vnquam ad liquidum perducatur. Vt enim fetus, qui ante ſeptimum menſem ex vtero eliditur ſponte vel vi quadam adhibita, vitalis haberi nec poteſt, nec debet, ita is, qui poſt nonum venit, fere dubius eſt, nec legitimus putandus.

§. IV.

Plures tamen auctores ſunt, qui partum ſerius incidere poſſe, argumentis, e natura rei ductis, et exemplis multis confirmare annituntur. Negant enim leges partus adeo certas et firmas eſſe, vt natura paullulum deflectere non poſſit, quia nihil in hac rerum vniuerſitate reperitur immutabile, nihil tam ſtabile, vt ſemper ordine ſuo currat. Incertum conceptionis initium facit etiam incertum finem, neque femina quaeque ita bene ſubducta ratione ad terminum forenſem eſt, vt nunquam fallatur. Manca ſunt etiam praeſentis fetus ſigna, et omnis numerandi ratio fere ſubſiſtit intra motus primordia. Et tamen hoc nihil eſt fallacius, nihil mendacius. Innumerae enim dantur cauſſae, quae vitam fetus affligunt velutique deprimunt, ideoque faciunt, vt ſenſus vitae nullus adeſſe videatur. Poteſt ergo diutius, ac moris eſt, intus in matris gremio deliteſcere, ſeriusque

naſci,

naſci. Ideone reprobandus ille iure videtur? Immo vero dubitandi materiem praebent incerta naſcendi tempora, quae iureconſulti veteres, veterum medicornm auctoritate freti, rata habuerunt, recentiores vero, quoniam ab maioribus per corpus juris, aut ſi mauis, per traducem acceperunt mordicus tenent. In quo quidem verendum eſt, ne iterum ab iuſto et aequo diuertantur. Hic enim nec ratione, nec vſu forenſi, nec auctoritate aut praeiudicata opinione dimicandum, ſed ſola experientia medica lis omnis componenda videtur. Negari quidem non poteſt, partum fieri vt plurimum, vbi nonus menſis ad finem decurrit, at vero probari nullo modo, eum, qui propius abeſt a decimo, nec naturalem, nec legitimum habendum ideo, quia raro talis naſcitur. Hoc idem eſſet, ac ſi puero praecocis ingenii laudem doctrinae detrahere, homini vero facinoroſo ſcelus condonare vellemus, quod pauci ſint, qui citius matureſcant, ac natura iubet, pauci, qui obſoleto ſcelere ſeſe polluunt. Quid? quod ipſam naſcendi legem, decretis iuris prudentum ſtabilitam et ſancitam, non ſemper natura veretur, neque vſus forenſis vbique idem eſt, cum, quem partum alterum ſcabinorum collegium legitimum eſſe haberique voluit, hunc reprobaret omnino alterum. In tanta ergo legis volubilitate iudicumque diſ-

cor-

cordia ecquis eſt tam imprudens, vt partus ſeri ius dubium reputare amplius velit?

§. V.

Quin in partes veniunt clariſſimi medici, philoſophi, iureconſulti, inter quos nominaſſe ſufficiat HIPPOCRATEM, *b*) ARISTOTELEM, *c*) PLATONEM, *d*) PLINIVM, *e*) GALENVM, *f*) GELLIVM, *g*) CARDANVM *h*) et tantum non omnes, qui apud maiores claruerunt, inter recentiores vero primas fert CARPZOVIVS *i*) quem multi iurisconſultorum ſequuntur. Nec iniuria. Nam vbi exempla certa ſuppetunt, bruta ſunt negantium tela, et *ignorat naturae potentiam,* iudice acutiſſimo philoſopho SENECA *k*) *qui illi non putat licere aliquando, niſi quod ſaepius facit.* Stat ergo naturae et partui ſeriori ſuum ius, modo caueamus, ne quid nimis.

§. VI.

b) L. De Part. Septim. in §. 12. p. 168. ſeq. T. I. ed Lind.
c) Hiſt. Animal. VII. 16.
d) De Republ. L. V.
e) Hiſt. Nat. VII. 5.
f) De Dieb. Decret. II. 2.
g) Noct. Attic. III. 16.
h) Contradict. L. V. Contr. 8. Tract. 3.
i) Prax. Forenſ. c. 7.
k) Natural. Quaeſt. VII. 27.

§. VI.

Sed quia facilior ad peruidendum credendumque via per exempla eſt, ſuppetunt innumera, ex quibus quam male in iudicando et decernendo legitimi partus tempore ſecum conſentiant medici et iureconſulti, abunde colligitur.

1. *Partus trimeſtris.* Hunc legitimum cenſuerunt legumperiti apud Erfordienſes. *l*) Quo iure, non video. Nam fetus non vitalis nec legitimus eſſe viderique poteſt.

2. *Partus quinquemeſtris.* Is ea eſt corporis imbecillitate, vt vitalis nullo modo eſſe poſſit, et tamen a collegio Lipſienſi *m*) pro legitimo eſt habitus, quia infans erat debilis in vitam editus. Bellum quidem iudicium, quod tale ſumtione fundatur. Male creditur feminae, quae in re ſua diſerta eſt, et amiſſo pudore, quiduis profiteri audet, ne cauſſa cadat. Deeſt etiam explicatio eorum, quae ad pronunciandum ſcitu neceſſaria ſunt, nimirum, qui fuerit corporis habitus, quae partium membrorumque perfectio rel. At vero vino

l) *Valentin.* Pand. Med. Leg. P. I. Sect. 1. c. 23.

m) *Valentin.* Corp. Iur. Med. Legal. P. I. Sect. 1. Cap. 25. p. 29. Negat tamen, et recte quidem *Alberti* Iurisprud. Med. T. I. p. 146. ſeq.

no refocillatus ſuperuixit? Recte quidem, ſed tunc eum prius concepit mater, ac per leges licuit, ideoque dubius relinquitur talis partus. Nam legitimus demum is exiſtimatur, qui viuus et perfectus naſcitur, et *tamdiu immaturus abortiuusque n)* manet, *donec* 180. *dierum terminum attigerit, quo ipſo omnium ſtatim iurium compos ſit. Quando vero ante illud temporis ſpatium ſpiritum reddit, nec ſucceſſionis ius ei competit, nec teſtamentum is rumpit.*

3. *Partus ſemeſtris.* Talem legitimum pronunciarunt poſt *Ebn Sina o)* et CARDANVM *p)* medici multi in primisque Lipſienſes, *q)* alii vero reprobarunt, *r)* hique iure ſuo, quia talis nec integer, nec perfectus, nec vitalis eſſe poteſt. Dubii ergo caſus maneat, donec probetur contrarium.

4. *Partus ſeptimeſtris.* Hinc inde ab HIPPOCRATE ad noſtra vſque tempora verus legiti-

n) Sic *Teichmeyer.* Inſtit. Med. Legal. c. 9. p. 61.

o) De Nat. Animal. IX. c. vlt.

p) Contradict. L. 1. Tr. 3. Contr. 8.

q) Ap. *Valent.* l. c. P. 29 ſeq. *Zittmann* Caſ. 76. p 1328. *Timaeus ab Guldenklee* Opp. Reſp. 23. p. 894. ſeq. *Amann.* Med. Crit. Caſ. 4. p. 9 ſeq. et Caſ. 75. P. 379. ſeq.

r) Ap. *Alberti* l. c. p. 148.

musque *s*) putatur, ſed raro vitalis eſt, niſi ſub finem veniat, hinc aut inter praematuros reponendus, aut dubius exiſtimandus, quoniam, niſi certo conſtat conceptionis initium, dubium omnino naſcendi tempus relinquitur.

5. *Partus octimeſtris.* De eo hodie vix quisquam eſt, qui dubitet, *t*) quoniam exempla *u*) non deſunt, et ſi ſeptimeſtris vitae prorogandae valet, multo perfectior, maturior ideoque aptior hic eſſe debet, etſi paullo infirmior naſcitur. Hinc factum eſt, vt huic leges magis fauerent, *x*) et pauci eſſent iuriscon-ſulti

s) Ap. *Alberti* l. c. p. 149. *Valentin.* l. c. p. 39. ſeq. *Amann.* l. c. Caſ. 7. p. 59. ſeq. et Caſ. 45. p. 240. *Schenk* Obſ. Medic. L. IV. p. 578.

t) Statuerat vetus auctor L. *De partu ſeptim.* §. 2. p. 169. et L. *De part. Octimeſtr.* § 1. p. 175. T. I. ed. *Lind.* hunc vitalem non eſſe, ſed iam ab *Ariſtotele* confutatus Hiſt. Animal. VII. 3. p. 367 ſeq. Cf. Ill. *Gruneri* Biblioth. der Alt. Aerzt. B. 2. p. 562. Pluribus hanc quaeſtionem agitauit *Verheyen* Corp. Hum. Anat. P. II p 394. ſeq.

u) Ap. *Plin.* Hiſt. Nat. VII. 5. *Gell.* Noct. Att. III. 16. *Cardan* l. c. *Marſil. Ficin.* de Vita cael. comp. III

x) Ap. *Valent.* l. c. p 46. et P II. p 464 ſeq. *Alberti* l. c. p. 152. *Zittmann* Med. Forenſ. Cent III. Caſ. 18. p. 650. Cf. Act. Erud. Lipſ. a. 1723 Sept. p 407. vbi vitalis et legitimus is pronunciatur, at vero ib. a. 1719. Nou. p. 520 non vitalis dicitur.

ſulti ac medici *y*) qui iura legitimi caſſa putabant. Sed cautione quadam opus eſt, ne fallaris, ideoque ſuperaccedere debet inſpectio fetus nati, vt, quae membrorum coagmentatio et forma ſit, pateat, itemque rerum antegreſſarum exploratio, vnde, quid ad citandum exitum vere contulerint facile intelligitur.

6. *Partus nouimeſtris.* De hoc quidem nemo dubitat, *z*) quia eum pro termino ſolemni habendum legumlatores iubent. Num vero aliquot diebus ante vel poſt in lucem prodeat, nihil refert. Incidit tamen vt plurimum a medio menſe ad finem vſque. Sunt quidem, qui ſubdubitant ſi id ſub initium menſis eueniat, ſed hoc magis ſubtiliter, quam vere. Etenim iura eius ſalua ſunt, ſiue dicas octimeſtrem, ſiue nouimeſtrem, modo certum ſit, feminam ex alieno viro grauidam non eſſe.

7. *Partus decimeſtris.* Nemo eſt (puto) e medicis *a*) vel iureconſultis, qui hunc omnino damnare audeat, quoniam terminus naſcendi in noni menſis finem vel decimi initi-

 um

y) Ephem. Nat. cur. T. III. p. 162.
z) *Valent.* l. c. p. 47.
a) *Alberti* l. c. p. 156. *Sennert.* Med. Pract. L. IV. P. 2. Sect. 6. c. 1. p. 383. ſeq.

um fere incidit, facileque vſu venire poteſt, vt mater vel male calculum ſubducat, neſcia, vnde capienda fetus ſint primordia, vel morbus, moeror aliaque exitum impediant. Haec ſine dubio cauſſa fuit, quare *decemuiri partum legitimum eſſe menſe decimo voluerunt.* b) Caueant tamen, ne quid temere. Etenim feminae aliae aliter numerant. Noui quidem multas, quae ſe hebdomade ſexta et triceſima, alias vero, quae ab hebdomadis quadrageſimae finem demum parere profiterentur. Ratiunculae diuerſitas in eo quaerenda erat, quod alia praegreſſos ſolitorum menſtruorum dies addiderat, alia vero detraxerat. Attendi ergo in decernendo ſpatio debent res circumſtantes, matris ingenium et mores, fetus habitus, membrorum perfectio et agilitas, viuacitas animi et corporis cet. Nam vbi tempus in decimum menſem trahi coepit, non poſſunt non illae perfectioris fetus notae adeſſe; Vbi nulla dubitandi materia ſubeſt, non licet fidem matronae honeſtae ſuſpectam facere, cum talia exempla etiamnum, etſi rarius, accidant. Sed de his inferius pluribus. Qua de re cum praeiudicium legis in rebus humanis nihil mutare vel innouare poſſit, ſanxit, ni fallor, imperator, *c*) vt viduis deci-

b) Ap. *Gellium* Noct. Attic. III. 16. *Schenk* Obſ. med. p. 580.

c) L. XII. et XIII. C. de poſtum. hered. inſtit.

cimus menſis concederetur, et iurisprudentes hunc annum luctus nominarunt. Contra vbi per anteactam vitam minus tuta vxoris gravidae fides eſt, quia multorum congreſſu nobilitata per vrbem habetur, neque mariti aetas, morbus, abſentia vel mors talem fetus moram largiuntur, non licet nobis in defendendo decimeſtris partus priuilegio eſſe liberalibus.

8. *Partus vndecimeſtris.* Hunc multis deſcripſit MARCELLVS DONATVS, *d*) attamen de eius integritate ſubdubitant plurimi medicorum et iureconſultorum. Sunt enim, qui eum legitimum putant, et exemplis confirmant, v. c. PLINIVS, *e*) PETRVS APONENSIS, qui ſe ipſum hoc demum natum eſſe profitetur; DAN. SENNERTVS *f*) memorat feminam Vitebergenſem *quae vndecim menſes fetum geſtauerit, poſtea tamen feliciter pepererit*; AMATVS LASITANVS, *g*) qui feminam quandam poſt decem menſes et vndecimi tres dies filium enixam eſſe auctor eſt: ſunt etiam, qui negant omnino hanc partus tarditatem ferendam videri, eamque ob rem reprobarunt

d) De Medic. Hiſt. Mirabil. IV. 13.
e) Hiſt. Nat. VII. 4. Conciliator. Different. 49.
f) Med. Pract. L IV. P. 2. Sect. 5. c. 8.
g) Cent. I. Cur 27. cf. Act. Erud Lipſ. a. 1699 Nov. p 519. *Timaeus* l. cit. Reſp. 36. p. 947. ſeq.

eum naturae iuriſue periti. *h*) Nec iniuria. Nam in ſana matre fieri non poteſt, vt fetus integer tamdiu haereat ſine vteri laeſione, nec liquet, quomodo illa mora receptaculo conueniat. Non ergo admittendum puto, niſi morbus *i*) ceteraeque res infenſae in contrariam ſententiam ire cogant. Vt plurimum talia iactitant meretrix aut vidua. Illa, vt ex anticipatione lucellum capiat, haec, vt coitum poſt funus mariti illicitum bene diſſimulet, et heres ex aſſe ſcribatur.

9. *Partus duodecimeſtris.* Eum legitimum dixerunt ARISTOTELES *k*) CASP. A REIES *l*) et Lipſienſes *m*), *quia pater debilis et morboſus fuit, mater vero dolores ad partum per trimeſtre tulit, et natura poteſt terminum partus duobus menſibus integris anticipare, ut in ſeptimeſtri,* ſimiliter *poſtponere, ut in undecimeſtri et duodecimeſtri.* Mirum eſt, quam callide medici et iureconſulti reſpondeant, ſi fauere feminis cupiunt. Vanae ſunt iſtae perſuaſiones, nec fide

h) Ap. *Valent.* l. c. Caſ. 35. p. 48. *Zittmann* Med. For. Cent. I. Caſ. 58 p. 227. ſeq. *Amann* Med. crit. Caſ. 29. p. 176.

i) Ap. *Alberti* l. c. Caſ. 2. p 167. ſeq.

k) Hiſt. Anim. VII. 5.

l) Camp. Elyſ. Qu. 90. p.

m) *Amann.* Med. Crit. Reſp. 44. p. 233. ſeq. *Valent.* l. c. Caſ. 36. et 37. p. 48. ſeq. *Zittmann.* l. c. Caſ. 37. p. 452.

ſide dignae, quia naturae vires ſuperant, et fetus talis, ſi bene nutritus in utero per duodecim menſium ſpatium eſt, exire ob magnitudinem corporis non poteſt. Rectius ergo ſentiunt, qui talia delirantium ſomnia rident. Alia res eſt, ſi de morbo matris continuo et fetus teneritudine ſatis conſtat. Talem caſum nuper in vulgus edi iuſſit Cl. SCHVETZE *n*) Haec *matrona illuſtriſſima* ſub finem menſis Maii clↄ Iↄ CCLXXVII. ſe grauidam ſenſit, et demum VII. Maii ſequentis anni diem ſuum obiit, intus concluſa puella matura. Sed hic caſus non omni exceptione maior eſt, quia menſtrua bis, etſi modice, redierunt in matrona ſpaſmis et morbo aegra, neque ſectio ita comparata, ut lucem tenebris affundat. Praeſtat ergo adſenſum ſuſtinere, quam temere adfirmando ſeſe turpiter dare.

10. *Partus tredecimeſtris.* Auctor eſt PLINIUS *o*), L. PAPIRIVM, *praetorem, ſecundo herede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe XIII. menſibus diceret tuliſſe, quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatum videretur.* Similiter

n) Geſchichte einer ſehr merkwürdig. zwölfmonatl. Schwangerſchaft., Coburg 1778.

o) Hiſt. Nat. VII. 4.

CARTANVS *p*) et LAVR. HEISTERVS *q*) hunc legitimum eſſe voluit. Quae decreta vtrum naturae muliebri conueniant, dubito, quoniam quo longius partus a ſueto termino recedit, eo magis ſuſpectus eſt.

11. *Partus menſe quarto et decimo natus.* Talem litteris conſignatum reliquerunt ARISTOTELES *r*), EBN SINA *s*), ALEXANDER BENEDICTVS *t*) cet. ſed male crediderunt, quod vix ac ne vix quidem fieri vnquam potuit.

12. *Partus menſe quinto et decimo editus.* Meminit SCKENCKIVS *u*) mulieris ſexagenariae, quae ex ſeptuagenario ſene conceperit, et hoc demum menſe puellam pepererit. Sed haſce fabulas credat Iudaeus Apella, non ego.

13. *Partus menſe ſexto et decimo natus.* Sunt, qui eum factum *x*) eſſe putant.

14. *Partus ſeptimo et decimo menſe natus.* Memo-

p) L. cit.

q) Diſſ. partus tredecimeſtris pro legitimo habitus, quo ſimul partui nullum certum tempus in vniuerſum tribui poſſe proponitur. Helmſt. 1727.

r) Hiſt. Animal. VII. 5.

s) L. De. Animal. IX.

t) De Curand. Morb. XXV. 23. cf. *Haller.* Elem. Phyſ. T. VIII. p. 427.

u) Obſ. Med. L. IV. p. 581.

x) Ap. *Haller.* l. c.

Memorat Adrian. spigelivs *y*) talem caſum, qui naturae prudentes non moratur.

15. *partus menſe duodeuiceſimo natus.* Ex Fabri auctoritate refert talem Dan. Sennertvs *z*), et poſt eum Hallervs *a*) etiam, item nuperrime ſcripſit cl. Nahvys *b*), feminam poſt tolerata menſibus nouem quaedam grauiditatis ſymptomata hoc demum menſe infantem maturum et perfectum, et viginti horis poſt molam ediſſe. Nec abſimiliter Gassendvs *c*) et Ioann. Bodinvs *d*) *Praeſes curiae Rhotomagenſis in acta publica conſcribi mandauit, mulierem, cum eniti conaretur nono menſe, nec potuiſſet, decimo et octauo menſe peperiſſe fetum vitalem, obſtetricum ac medicorum fide conquiſita.* Legalis quidem haec hiſtoria habenda eſt ſcilicet, cum in actis publicis conſignata reperiatur; Sed qui rem incredibilem et naturae legibus diſſentaneam credat, non video, quoniam prior grauiditas ſine dubio falſa, poſterior vera fuerat.

16. *Partus vndeuiceſimo menſe natus.* Hunc quidem vere factum eſſe, auctor eſt Nicol.

y) De Format. fetus c. 7.
z) L. cit. p. 383.
a) L. cit. p. 427.
b) Nou. Act. Nat. Curioſ. Obſ. 4. p. 15. T. V.
c) Vita *Peireſcii* p. 86.
d) Vniuerſ. Nat. Theatr. III. p. 391.

Blegny *e*), ſed iure meritoque falſum pronunciauit Lvdovicvs *f*).

17. *Partus menſe viceſimo natus.* Scripſit Dan. Sennertvs *g*), ſe ex Fabro audiuiſſe Monſpelienſium medicorum de tali partu dubitationes et digladiationes, quorum alii in ea erant opinione, *feminae relationi fidem habendam non eſſe*, alii *non eſſe certa homini pariendi tempora* ſtatuebant, alii hoc quidem largiti, tamen per varias cauſſas partum, vt quandam naturae criſin, retardari poſſe arbitrabantur. Sed vellem honori artis medicinalis et ſuae ipſorum doctrinae pepercisſent. Peperiſſe hoc tempore feminam, equidem largior, ſed concepiſſe ex marito ante viginti menſes, valde dubito.

18. *Partus menſe ſecundo et viceſimo natus.* Hunc ex fide Panthot et Bianchi repetiit Hallervs *h*).

19. *Partus menſe tertio et viceſimo natus.* Legitur talis apud Gassendvm *i*) et Paschalem Gallvm *k*).

20. *Par-*

e) *Zodiac.* Med. Gallic. Ann. I. M. Ian. p. 23.
f) *Louis* Des accouchemens tardifs p. 42.
g) l. cit. p. 383. et *Moebius* in Inſtit. Med. p. 570.
h) Elem. Phyſiol. T. VIII. p. 427.
i) Vita *Peireſc* p. cit.
k) Ap. *Schenck* Obſ. Med. L. IV. p. 581.

20. *Partus menſe quarto et viceſimo natus.* Hunc Pariſienſes *l)* habent.

Immo vero nec deſunt partus poſt biennium *m)*, triennium *n)*, quadriennium, quinquennium *o)* et viginti demum annos editi, ſed ſit fides penes auctores. Recte enim ſummus Hallervs: *Mihi (fateor) haec omnia aegre probantur. — Adparet, ſatis certum cuique animali tempus eſſe partus. — Neque exſpectare oportet ſolam mulierem absque ſuo tempore eſſe. — Plurimos ergo hic enormium in partus tempore exceſſuum neceſſitati fingendae alterius epochae tribuo. Aliquid feminarum imprudentia peccauerit, quae etiam in matrimonio, nullius nunc indigae fraudis, cum ſola menſium ſuppreſſione pro menſura vtantur, pluſculis nonnunquam menſibus aberrant, ſiue per grauiditatem eae purgationes non interrumpantur, ſiue ante conceptionem menſes ceſſauerint. — Ad rariora ergo et potentiorum cauſſarum effecta referimus eas, quae in faſtos fideliores receptae ſunt, hiſtorias aut valde ſerotini, aut valde praecocis partus.* Quae quousque vera ſint, et ſub qua conditione, paullo poſt indicabo.

§. VII.

l) Hiſt. de l'Acad. 1753. n. 14.
m) Ap. *Schenck* l. et p. cit.
n) Ibid.
o) Ap. *Haller* l. et p. cit.

§. VII.

Hactenus hiſtorice de partus ſerotini generibus. Quae etſi partim dubia, partim falſa et naturae muliebri aduerſa ſint, neque ferri concedique poſſit vllus, niſi ex praecocibus ſeptimeſtris et octimeſtris, ex feris decimeſtris, tamen non defuerunt medici et philoſophi, (nam et hi inter naturae ſcrutatores eſſe voluerunt) qui vel comparando inter ſe genituram citam et tardam, vel applicando incomprehenſibilis et impenetrabilis naturae myſteria cauſſas talis tamque inſuetae tarditatis reddiderunt. Quae quidem non ſemper cum re ac naturae contemplatione conſtant, attamen ad rite diiudicandam quaeſtionem quodammodo pertinet.

§. VIII.

Sunt vero iſtae cauſſae plus minusue probabiles, et modo per ſe ruunt, quia placitis medicorum uſu confirmatis opponuntur, modo conferendo et argumentando tolli omnino poſſunt. Plurimae falſae, ſi curatius inquiras, reperiuntur, multae ſpecioſius adferuntur, *neque a leuibus cauſſis partus tempora conturbari, vel ex tenacitate ſoliti temporis apparet, quae eſt in fetubus, a malis matribus medicamentis draſticis oppugnatis* p). Rectiſſime quidem, ſi quid valet

p) Sic *Haller* l. c. p. 428.

valet vſus et experientia. Nam modo integer ac tenax eſt vterus, (eſt vero in plurimis feminis longe tenaciſſimus) tunc fere irritum eſt, quicquid fetum vel pellere, vel morari debuit. Sed de his, quae vulgo memorantur, et ad *patrem matrem* vel *fetum* ipſum pertinent, paucis videndum eſt.

§. IX.

Patrem accuſant, qui ſenex et debilis eſt, frigidusque in amplexus ruit, vel morbo longo et depaſcente laborat. Senex quidem minus feruide ſtrenueque agit inter coeundum, (id quod bene norunt ſagaces vetulae, dum iuuenem appetunt) at inhabilis ideo non eſt ad procreandam ſobolem. Nam modo ſemen habet idoneum et efficax non deerit fetus vegetus, quoniam id, quod patri deeſt, mater paullo iunior et feruidior large ſuppeditat. Neque debilitas aliud efficiet, niſi quod fetus animo et corpore paullum tenerior infirmiorque in lucem emittatur, vel breui poſt partum pereat, contra vero tarditatem minime, quoniam vel debiliſſimus quisque tandem, abſoluto vitae vterinae curriculo, moram rumpit, et adſpectabilem mundum ingreditur. Ex patre morboſo morboſum filium naſci, facile largior, ratione ac vſu fultus, ſed hoc quidem corporis vitium egreſſum e

custo-

cuſtodia matris per ſe nec citare, nec retardare poteſt, ideoque falſos puto, qui ne mentiti eſſe videantur, ad talia confugiunt.

§. X.

Probabiliora ſunt, quae ex *matre* repetuntur, tarditatis argumenta. Etenim quo arctius vinculum eſt, quod matri et fetui intercedit, eo luculentiora damna ſunt, quae ab illius valetudine poſſunt in hunc redundare. Sunt vero cauſſae *q*) memorabiles,

a. Temperies frigida. Si hanc ex ſumtionibus aeſtimes, quibus frigida et iners natura lentius obire ſua munia creditur, probabilis ratio omnino videtur, quod talis femina paullo ſegnior in expediendo partu eſſe debeat. Sin vero vſum, optimum harum rerum magiſtrum, hoc de officio conſulas, nemo eſt, qui neſciat, phlegmaticam ac cholericam ſuum naſcendi ſpatium ſimiliter abſoluere, abſolutoque eo, fetum eniti. Id vnum certum ergo eſt, matrem vegetam alere ac parere fetum perfectiorem, fortiorem, impetuoſiorem, tardam vero lentius et parcius alimentum exhibere poſſe, item vires effetas poſſe actum pariendi retardare, partum ipſum i. eſt. tem-

pus

q) *Alberti* Diſſ. De partu ſerotino, p 180, ſeq: ad calc. Iuriſpr. Med. Tom. III.

pus naſcendi minime praeter aliquot dierum ſpatium.

b. Tenera vel protracta aetas. Vtraque legitur apud auctores, ſed an vere, neſcio. Illa enim, cum paullo ſenſibiliorem faciat feminam, moleſtare varie poterit, at hinc frena fetui non iniiciet, ſed ſuo tempore infantes debiles ac infirmos dabit, forte difficulter pariet; Haec vero, quae aetate prouectior eſt, tantum non ſemper moleſtam grauiditatem et tardantem partum ſentit, etiamſi vehementer vrgeant dolores. Ecquis vero eſt, qui difficilem et retardatum partum eundem eſſe putet?

c. Valetudo infirma. Videtur haec potuiſſe aut conceptionem impedire, aut partum ciere, rarius, ſi unquam, ſiſtere velutique ducere, quoniam quotidie pariunt feliciter, quae naturam fautricem in tribuendis corporis dotibus non expertae erant. Certe, ſi quid dandum eſt opinioni, remota erit cauſa, ſed haec profecto irrita, niſi ceterae grauiores maximeque vtero inſidentes ſuperacceſſerint. Peior tamen et debilior erit progenies.

d. Morbi antegreſſi. Verum eſt et omni exceptione maius, matrem aegram aut nullo modo, aut difficultur concipere pro morbi natura varia, eamque ob rem quicquid valde debilitat, vim generandi aut tollit, aut labefactat. Hinc inter omnes conſtat, ſi qua femina ca-

R chectica

chectica vel phthiſica eſt, vel conuulſionibus obnoxia, vel longa inedia, continuo ſaliuae vel ventris fluore, ſudore, haemorrhagia quacunque, inprimis vteri rel. confecta, eam nec a coitu crebro grauidam fieri, nec facile fetum iuſte tolerare atque retinere. Hic enim propter debilitatem matris perpetuam lentius increſcit, et rariſſime ad maturitatem venit. Si ergo veri ſunt caſus, quos conſignatos litteris *r*) reliquerunt medici, omnes res, quae grauiditatem et partum cum anteceſſerunt, tum ſecutae ſunt, quam diligentiſſime fieri poteſt, explorentur neceſſe eſt, ne id, quod cauſſam efficientem non dixeris, pro tali habeas. Frequentiorem vitii huius cauſſam in utero vel ipſo fetu querendam exiſtimo.

e. Moeror grauiorue animi motus. Sunt feminae, quibus circa praecordia bilis ſemper tumet, cum maxime ſi vel menſes inſtant, vel ſi ventrem ferunt. Hae fere praecipitant partum, non impediunt. Sunt aliae, quae inde a conceptionis momento lugent, varie moleſtantur, et partum propter alimenti penuriam ſcilicet nec prius enituntur, nec rarius ſtatum naſcendi ſpatium attingunt. Mirum ergo et portentoſum eſt, ſi qua vidua ſolo luctu fetum per undecim menſes et amplius traxerit.

f. Peruerſa

r) Talis fuiſſe dicitur, quem c. l. *Schütze* l. c. p. 24. deſcripſit.

f. Peruerſa vel illicita medicatio Poteſt illa quidem negotium vteri grauidi conturbare, ac fetum vel infirmare, vel citius expellere. Ideone id, quod nutritioni eius hac via detractum eſt, temporis mora ſuperaddi, et partus ſerotinus fieri debet? Sunt, qui credant, ego non item, quia plura proſtant exempla puellarum male audentium, ſed rite e. i. iuſto naſcendi tempore parientium.

g. Vis quaeque extrinſecus vel intrinſecus illata. Multiplex illa eſt, corpori feminae grauidae infenſa, v. c. venaeſectio copioſa, cataphracta paullo durior et anguſtior, ictus, caſus rel. ſed, me quidem iudice, aut occidere eum poteſt, aut extenuare ac augmentum molis imminuere. Naſcuntur tamen ii, de quibus ſatis conſtat, immutabili naturae lege ſuo termino i. e. menſe nono vel aliquot diebus poſt.

h. Maior vteri amplitudo. Vt varia hominum forma variusque corporis habitus eſt, ita etiam negari non poteſt, variam fore vteri magnitudinem, vel naturalem, vel praeternaturalem. Hinc quo anguſtius ſpatium eſt, intra quod fetus ſanus et integer concluditur, eo citius clauſtrum rumpi neceſſe eſt: Contra quo ſpatioſior vterus *s*) ſubeſt, eo longiorem fetus moram augurari licet, *praeſertim ſi paruus et*

R 2 *debilis*

s) Sic Lipſienſes medici ap. *Valentin.* l. c. n. 36. p. 49.

debilis eſt. Quae etſi per ſe vera ſunt, nuſpiam tamen extat obſeruatio vteri amplioris, vnde partus vltra terminum ſuetum procraſtinabatur. Quam ob rem eam puto precariam, donec de veritate magis conſtat.

i. Vitia vteri. Multa ſunt impedimenta partus mechanica, de quibus in arte obſtetricia pluribus. Sed prae ceteris memorabilem puto *obliquitatem uteri* vel ipſum ſitum fetus obliquum *t*). Vt enim ille prohibet, quo minus partus abſoluatur ſine artis miniſterio, etiamſi grauiter vrgeant dolores vehementiſſimi, ita non deſunt feminae, quae ad finem noni menſis omnia perpetiuntur partus inſtantis ſymptomata, neque tamen pariunt. Quieſcunt enim et ſilent iterum cruciatus, donec proximo temporis menſtrui ſpatio i. e. circa initium decimi denuo inſurgant, et fetum vrgeant. In his tantum non ſemper inuentus eſt ex obſtetricum fide ſitus obliquus, cuius veſtigia vel in capite nati homuncionis deprehendebantur. Certe inde repetendam puto cauſſam tardantis partus i. e. decimeſtris, quem poſtea memorabo. Neſcio tamen, quare iſthaec femina non, niſi hic lentius enixus ſit, cum eadem obliquitas in quouis partu adfuerit.

Plures quidem dantur cauſſae, quae matri deberi perhibentur, ſed his immorari nolo, cum fere

t) Hunc etiam attulit Cl. *Schütze* l. c. p. 97.

ſere nihil ad rem felicius expediendam faciant. Attamen ſi illae, quas recenſui, ſedulo ac diligenter inquiruntur, facile quisque prudens perſpiciet, quam vane ad probandam partus tardi ſecuritatem adhibeantur. Largior quidem, quo vehementius eae grauidam affecerint, eo maius fore damnum, in quod fetus incurrat, eumque etiam aliquanto ſerius naſci poſſe, at ſubdubito, hanc vim tantam eſſe, vt per menſes vndecim et amplius in vtero retineatur.

§. XI.

Reſtant cauſſae, quas *fetui* proprias eſſe aiunt.

1. *Fetus debilis et paruus.* Conferre aliquid poteſt, vt ducatur naſcendi ſpatium, ſed caueamus, ne quid nimis. Tardius et difficilius quidem exit, ac robuſtus vegetusque infans, at vero vltra terminum forenſem vix remanet, modo ne matri vires deſint. Immo vero conſtat inter omnes, quam facile talis ob debilitatem abortu eiiciatur. Quod ad paruum attinet, ego ſic ſentio, eum, modo vegetus eſt et viribus pollens, ſuo tempore i. e. ſub nonum menſem foras proditurum.

2. *Fetus aeger.* Is quidem increſcere non poteſt, donec ad ſanitatem redierit, ſed quaenam certa huius ſigna ſint, neſcio. Id vnum certum ratumque habeo, tardere ſic paullulum

naſcentiam poſſe, ſed deflectere omnino a naturali lege non poſſe.

3. *Fetus praemagnus.* Incrementum fetus in vtero varium eſſe, docet et ratio, et vſus, cum prodeant homunculi tenelli et toroſiores. Qua de re nec improbabile eſt, hoc adeo poſſe fieri, vt corpuſculi moles anguſtias ſuperare ac tranſire non poſſet. Memorant talem caſum FELICIVS PLATERVS *u*), et BONETVS, *x*) et partum ob magnitudinem membrorum decimeſtrem fuiſſe ſtatuunt. Certum igitur eſt nimium corporis augmentum, tarditas vero partus nullo modo.

4. *Fetus monſtroſus.* Facit, ni omnis fallor, partum difficilem, nec ſine artis miniſterio finiendum, praeſertim ſi caput tumeat.

5. *Fetus cum mola copulatus.* Mala quidem eſt iſthaec conſortio, quoniam pars altera alteri viam veluti praecludat, et partum ipſum ſi iam inſtat, quodammodo retardet neceſſe eſt, ſed nequaquam omnino differre valet.

6. *Plurimum fetuum conſortium.* Sunt, qui quo plures fetus in vtero lateant, eo magis partum duci oportere cenſent, ob materiae nutrientis inopiam ſcilicet. Haec quidem probabiliter, ſed experientiae non ſatis, accommodate. In mentem enim veniunt multa exem-

u) Obſ. Lib. I. p. 211. ſeq.
x) Polyalth. Obſ. 7. p. 115. ſeq.

exempla, quae contraria ſequi ſuadeant. Vnam noui feminam, quae ſemper peperit hebdomade quadrageſima, ſiue vnum, ſiue plures intus gereret.

7. *Funiculus vmbilici praetenuis.* Hunc quidem ex fide medicorum ſecantium memorat Cl. SCHÜTZE *y*) et in numero cauſſarum reponendum ſuadet, quoniam quo anguſtior canalis fuit, eo parcius alimenti copia affluere, eo minus increſcere fetus, eo diutius partus duci debuit. In quo id vnum deſidero, quod de tempore ac modo nutritionis non liquet. Nam vltimo quidem ſpatio hoc vſu veniſſe videtur, quia maturus perfectusque infans aderat, ergo demum ſub finem grauiditatis haec vmbilici gracilitas orta et nutritioni infenſa facta eſt. Hinc ſubdubitare licet, vtrum hanc cauſſam, an effectum nomines, vtrum aliquid ad partum morandum contulerit, nec ne, vtrum tarditatis culpa matri, an fetui attribuenda ſit.

§. XII.

Haſce partus retardati cauſſas quoties mecum reputo, toties non poſſum non ſubridere medicorum prudentumque ſuperſtitionem, aut, vt rectius dicam, credulitatem, qui fauoris ergo in viduas ſibi fingunt nouas naturae leges. Id enim, quod proprium vniverſo ani-

y) L. cit. p. 69. 87.

animantium generi eſt, proprium etiam ſpeciei eſſe debet. Habent vero animalia ſuum quodque naſcendi tempus, quidni et homo? Quicquid ergo vltra citraque fit, aut falſum, aut dubium eſt. Vt enim quisque partus, qui ante ſeptimum menſem in lucem editur, nec perfectus, nec vitalis eſt, ideoque nec pro legitimo habendus, ita dubius videtur, qui longius poſt nonum venit, quoniam is, ſi quid video, menſis ſollemnis eſt. Hic effert, ſi cetera conſentiunt, fetum maturum, vegetum et omnibus membris abſolutum, ſic vt recte ſpirare, deglutire ac munia vitae prorogandae obire poſſit. De diebus aliquot nec quaeritur, nec diſceptatur. Medius velutique intercalaris partus decimeſtris eſt, quoniam magna menſtrui fluoris vis ad definiendum naſcendi tempus reperitur, i. e. in illud tantum non ſemper incidit. Qui fluor cum in feminis non eodem menſis ſpatio prodeat, prodire etiam debet citius ſeriusue ipſe fetus. Hinc illa proficiſcitur partus diuerſitas, quod quaedam grauidae aliquot diebus ante vel poſt nonum menſem onus ventris deponant. Hinc ſummus vltimusque naſcendi terminus conſtituendus menſis decimus videtur, modo ceterae res non abhorreant. De reliquis nihil habeo, quod dicam, cum mihi quidem in fauorem femellarum, et in fraudem legis effecti atque introducti eſſe videantur, quia naturae

turae muliebri non conueniunt. Habet ſuum quodque poma tempus, quo matureſcit: Quod vbi attigit, aut decidit, aut corrumpitur. Nec ab hac lege libera et immunis mulier eſt. Rarius enim partus ſerotinus incidit, marito ſuperſtite; Crebrius, marito fatis extincto vel peregre profecto. Hinc ergo illae lacrumae, quod frigido in lecto ſola iacere nec potuit, nec voluit. Incerta ergo et ſuſpecta eſt feminae talia fingentis pudicitia, etiamſi veritatem iureiurando confirmare audeat. Hodie enim iurisiurandi vis et dignitas adeo euiluit, vt vel in ipſo adulterio deprehenſa ne vereatur crimen ventris ſic abolere.

§. XIII.

Ne vero iniuſtus et durus in ſexum fuiſſe perhibear, auctor ſuaſorque ſum, vt ante, quam iudicemus, omnia curatius inueſtigemus. Nam bene monente HEBENSTREITIO z) *vt fidem mereatur mulier, eiusque aſſertio veri ſimilitudinem habeat, aequum omnino eſt, teſtium fide conſtare, an, et quali, quamque acri morbo, durante grauiditate, afflicta fuerit, an illam grauis ex morte vel abſentia mariti luctus afflixerit, an offenſa ſanguinem profuderit,* *hinc*

z) Anthropol, p. 195.

hinc illi abortus prope fuerit, vt ſub hiſce conditionibus ob virium matris fetusque iacturam naturae opus tardius procedere oportuiſſe conſtet. At quam arduum et difficile eſt, haec omnia ad liquidum perducere, ſi nobis cum aſtuta femina res eſt, quae morum integritatem, caſtitatem, morbum, luctum et ſexcenta alia fingere, ac hiſtrionum more exprimere ſciat! Tunc vel ipſum ius menſis decimi fallax eſt, nec deerit, qui viduam hereditatis adipiſcendae cupidam amplexetur, et ſic efficiat, vt ventrem decem menſibus perferat i. e. legitime pariat.

§. XIV.

Supereſt, vt caſum, quem Ill. GRVNERO debeo, paucis ſubiiciam. Matrona honeſtiſſima, pluries, ſed ſemper ſub finem hebdomadis quadrageſimae et tempus menſtruorum ſolitorum partum enixa, iterum ex viro ſe concepiſſe a. d. XII. Februarii putabat, quia menſes non redibant, de reliquo ſuetis ſymptomatis obnoxia. Motum fetus a. d. II. Iulii ſenſit, partum vero ipſum a. d. XXX. Nouembris edidit. Infans erat ſolito maior, perfectior, toroſior. Ergo vterum tulit per XXXXII. hebdomades, ſi numerum ab eo tempore, quo menſtruus fluor incidere moris erat, capere velis. Contra ſi rationi addere cupis praegreſſas quatuor hebdomades, quibus

quibus iam deſuerunt menſtrua, tunc XXXXVI. hebdomadum ſpatium ſupererit. Quod vero prae ceteris memoratu dignum eſt, ad finem menſis Octobris doloribus ad partum vehementiſſimis correpta femina eſt, et obſtetrix accerſita, quae et partum vere inſtare, et altero die inſecuturum dixit. Sed ſpes fefellit. Ceſſarunt et quieuerunt omnino, et ſub tempore eo, quod ſupra relatum eſt, grauida tarde quidem propter obliquum capitis ſitum, attamen feliciter peperit.

§. XV.

Ex his ergo, quae adhuc recenſui, intelligitur, ſpatium naſcendi certum homini eſſe, quod per ſe nec anteuertere, nec tardare poſſit; largiendum tamen aliquid videri pudori feminarum et cauſſis quibusdam, animum et corpus vehementer et diu infeſtantibus, modo verae, non fictae ſint, hoc vero tempus decimo menſe finiri, nec partum legitimum eſſe poſſe, qui ſerius incidit. Eſt enim haec diſputatio anceps, et praeſtat, leges naturae muliebri magis adſtringere, quam laxare. Partus qui ſexcenties ſtato ſpatio abſoluitur, pro regula eſt, ad quam extraordinarium diiudices. Omne vero nimium, vt vbique, ita et hic metuendum eſſe cenſeo.

XXX.

DR. ANTON GUILIELM. PLAZ,

Progr.

De ſoſtris.

Lipſiae. 1768.

Minimo vt plurimum pretio, maximi veneunt labores. Miles, praeſentiſſimis quotidie mortis expoſitus periculis, viliſſimo ſtipendio vitam venalem habet. Nautae remigesque, noctu diuque ad tranſtra ſedentes, continuisque maris et procellarum iniuriis agitati, mucido pane et vappa famem ſolantur. Eruditi, indefeſſo ſtudio, vtiliſſimis ſcriptis edendis inſudantes, adeo exigua ſaepe laborum ſuorum ferunt praemia, vt vel in infima ſtatione collocatos haud paucos, manuaria opera vitae neceſſitates merentes, feliciores propemodum dicere queas, cum e contra illi, qui campas loquendo et ſcribendo, in eo perpetim laborant, vt bullatis nugis pauculae paginae, compluribus lectoribus auidiſſime petitae turgeſcant, largiſſimam ineptiarum ſuarum, absque magno labore, capiant mercedem. Praeterie-

terierunt ea tempora, quibus poetae, quod SANNAZARIO, ob tria, in reipublicae Venetae laudem compoſita diſticha contigit, ſplendidiſſimis afficiantur donis; neque tantus in eruditorum opera nunc eſt amor, vt, quod de PLINIO iuniore commemoratur, *quadringentis millibus* numûm, commentarios ſuos vendere queant. *a*) Quis iam orationem *viginti talentis* emerit: quo pretio, oratio quaedam ISOCRATIS emta fuit. Cum luxui et voluptatibus opitulandum eſt, neque ſumtuum neque operae poenitet, magno potius id agitur ſtudio, vt, quae vel corporis cultui, admodum ſaepe ridiculo, inſeruiunt artes, vel, quae illecebroſis oblectamentis famulantur praeſidia, maxima cum ſollertia ſuſtententur, quinimo munificentiſſimorum praemiorum ſpe excitentur, quae vero menti formandae et emendandae aut corporis vigori tuendo opem ferunt ſtudia et conamina, multis vix obolo aeſtimentur digna, atque inter officia, ex officio vti in foro loqui moris eſt, expedienda ponantur.

Ita equidem in omni comparatum eſſe vita, compertum habemus, vt non ſemper pro meritis, factis vtiliſſimis et laudatiſſimis referantur praemia; omnium tamen frequentiſſime hoc in medica contingit re, vt, cum de mercede, medicis ſolvenda, cogitandum eſt, vel exigua admodum ſoſtrorum ſint praemio-

S 3 la,

a) PLINIVS epiſtolar. Libr. III. a. I.

la, vel variae in promptu ſint excuſationes exceptiones, effugia, quibus aſſiduitatem medentium in dubium vocare, aut ob euentum optatis haud reſpondentem, obligationis ſuae vim friuole eneruare ſtudent moroſi aegri, adeo, vt iniquiſſimis ſuis moribus, veriſſima eſſe comprobent, quae de Aeſculapio trifronte OWENVS dixit:

Intrantis medici facies tres eſſe videntur
Aegrotanti, hominis, daemonis, atque dei.
Quamprimum acceſſit medicus, dixitque ſalutem,
En Deus! aut cuſtos angelus, *aeger ait.*
Cum morbum medicina fugauerit Ecce homo! *clamat,*
Cum poſcit medicus praemia: Vade Satan *b*)!

Vix nempe frequentius, inter plurima, maximaque vitia, eſt vllum, quam ingrati animi turpitudo, dum nempe accepta beneficia vel negantur, vel diſſimulantur, vel non redduntur, maxime vero, dum obliuioni dantur; qua propter *nunquam gratus fieri poteſt, cui beneficium elapſum eſt. c*) Ecquod vero maius cenſeri poterit beneficium, omni diuitiarum apparatu praeſtantius, quam quod a medicis praeſtatur? grato vel maxi-

b) Epigramm. Libr. I. ep. 95.

c) SENECA de benef. Libr. I. cap. I.

maxime animo, atque liberaliore remunera-
tione excipiendum. Quodſi enim, quod ſae-
piſſime fieri, quotidianis conſtat exemplis,
quodſi imperitiſſimis medicaſtris, in re ſumme
illicita, atque ſeueriſſimis ſuperiorum manda-
tis interdicta verſantibus, nimium larga ſae-
pe, indebite ſoluuntur praemia, cum iniquis
auſibus morborum curam aggreſſi fuerint,
atque phaleratis vaniloquiis, certiſſimam ex-
optati eventus dederint ſpem; quodſi praete-
rea, temerariis hiſce turbatoribus et impoſto-
ribus, ante quam fide data ſeſe liberauerint,
maxima cum facilitate, vberrima offerantur
ſoſtra, immedicabili ſaepe aegrorum damno
parta; quanto maiore cum opprobrio, *ratio-
nalibus*, et probatae dexteritatis medicis,
merces laborum, ſolertiſſima cum accuratio-
ne inſumtorum, retinebitur, aut, cum ſol-
uenda fuerit, absque omni ratione imminu-
enda et moderanda videbitur? „Quo magis igi-
„tur aequum, imo iuſtum eſt, vt cunctorum
„officiorum recte praeſtitorum, digna non ſo-
„lum habeatur aeſtimatio, verum etiam de iiſ-
„dem honorandis, atque digne remunerandis
„cogitetur, eo magis quoque conuenit, vt
„aequius de medicorum laboribus ſentiant,
„qui, neſcio quo incondito aduerſus ipſos
„ praeiudicio capti, neque honorifice ſatis de
„ipſis exiſtimant, neque aſſiduam ipſorum in-
„duſtriam recte penſare norunt." Nullum e-

quidem eſt vitae genus aut ſtudium, quod non ſuis abunde ſtipatum ſit moleſtiis, maxime tamen practicas artes exercentibus, per quamplurimas eundum eſſe difficultates, vix quisquan eſt qui ignoret. Quo majora vero haec, non in ipſis ſemper artibus aut ſtudiis ſubjectiue haerentia, ſed aliunde inducta, ſunt taedia, eo quoque grviora ſunt iis, qui officio ſuo ita exigente, iisdem citra culpam ſuam, neque tamen ſine dolore, quotidie propemodum ſubeundis, adſtricti ſunt, neque tamen minimam ſe inde referre gratiam, longe maiore cum dolore intelligunt. Talia autem affatim in re medica occurrere, artem facientes haud quaquam fugit. Dat equidem Galenus opes, non ſemper tamen liberalioribus, quibus eas diſpenſet, vtens manibus, indeque vel ſatis quandoque parcas, vel propter innumeras quibus comparandae ſunt moleſtias, nimium ſaepe inamareſcentes, largiores omnino et iucundiores futuras, ſi quidem omnes aequo perpenderent animo, *medicinam de reliquis liberalibus artibus, nulli nitore, copia, vtilitate et iucunditate cedere.* d) Sunt potius haud pauci, in quos illud Diogenis quadrat: *ſi conualueritis, nullam gratiam habetis, ſed diis habendam profitemini, ſin minus, medicos accuſatis.* e) Raro quippe perpenditur, rem inaeſtimabilem, vitam vi- deli-

d) Plvtarch. de tuenda ſanitate.

e) Dyogenes Cynicvs Epiſt. L. XXVII.

delicet atque ſanitatem, medicorum ope con- ſeruari, reſtaurari, ſtabiliri, ideoque non rei tantum, ſed *operae* etiam pretium ſoluendum eſ- ſe illis, qui a negotiis ſuis auocati, aliis vacant, atque hinc et meriti, et occupationis quoque ſuae mercedem merentur. Has occupationes, qui leuioris aeſtimauerit, ipſorum profecto labo- rioſorum negotiorum, a medicis ſuſcipiendorum, iuxta cum ignariſſimis ignarus ſit oportet, cum non ſola pulſus exploratione, aut fugitiua for- mularum praeſcriptione, aut volubili loquacita- te, aut medicamentorum diſpenſatione, omnis res expedita ſit, ſed ante, quam de remediis apte ſeligendis cogitari poſſit, prudente omni- um, quae ad vitam et ſanitatem cuiuslibet ſubie- cti conſeruandam aut reſtaurandam faciunt mo- mentorum, aut quae praeter naturam eueniunt moliminum, opus ſit ponderatione. Ipſorum nempe morborum adeo variorum, ſi quidem, tam quoad eſſentialia, quam quoad accidentalia phaenomena, attente conſideremus conditio- nem, haud exiguum medicis, in issdem recte cognoſcendis, diiudicandis, et ſecundum artis regulas curandis, iniunctum eſſe laborem, vltro profiteri conueniet. Leuiſſimi equidem videtur negotii res, febriculam curare, in cuius cura ſuſcipienda, vel imperitiſſimum quemque, nequiſſi- mo verſari auſu, affatim intelligimus, vel contra cuius acerbitatem, adeo facile per decantatiſſima ſic dicta ſpecifica febrifuga, quotannis nouis inuen-

 tis

tis aucta, iri poſſe contenditur, vt vnicam, atque vniuerſalem omnium febrium eſſe cauſam, vnico atque vniuerſali quoque remedio tollendam, credi poſſe videatur. Quis vero eſt inter prudentiores pathologos, quin ſciat, quanta cauſarum, quascunque febres facientium, non ſolum inter ſe ſit diuerſitas, non varietate tantum aeſtimanda, ſed etiam eſſentia ſua, multis modis contraria, ſeſe manifeſtans, effectuumque praeterea ratione, atque ſymptomatum frequentia, qualitate, grauitate, et duratione, in diuerſis ſubiectis diuerſiſſima; alias vt taceam circumſtantias, neque unquam ſemper praeuidendas, neque vni eidemque indicationi adaptandas. Quae omnia, ſi medicus, vti decet, ſedula animi ponderauerit attentione, ſi mutationum, quauis die crebrius contingentium modos prouide obſeruauerit, ſi commotionum criticarum ſalutarium, vel ſub hac larua doloſe ludentium irregularium moliminum indolem prudenter diſcernere nouerit, an exiguam ipſius fuiſſe operam, tam cito quam aſparagi coquuntur expediendam, exiſtimare conueniet? Febrem equidem pellere, non adeo magnae ſemper eſt artis, ſed ita in ſupprimenda febre verſari, vt, cum fugata, cumque cauſa eius radicitus ex corpore exturbata fuerit, vlteriore ſua, ſaepiſſime perniciofiore atrocia, haud noceat, neque damna, priore morbo grauiora inducat, neque funeſtae metaſtaſes ad viſcera, infeliciſſimi vt plurimum chronicorum

mor-

morborum parentes, aut ex intermittentibus continui et acuti prouocentur, ſoli, periti atque vigilantis gratum habendum eſt medici circumſpectioni. Huic debentur victimae; huius officium, mutua aegrorum excitet oportet officia, non tamen ex *euentu*, qui nunquam in medici eſt poteſtate, ſed ex *factorum* grauitate et aſſiduitate metienda. „Non enim hic pactum „eſt de ſanitate reſtituenda, atque de ſoſtro, „ſub hac conditione, a medico haud quaquam „ſemper adimplenda, ſoluendo, ſed de ſtudio „ſaltem, ſanitatem, quatenus per artem licue„rit, reſtaurandi, et incommoda morborum „leuandi, remunerando." Quo maior vero aegrorum aduerſus medicos, ſanitati ſuae inuigilantes, atque ſoſtro promerito neutiquam priuandos, eſt obligatio, eo grauior tunc fieri videtur, cum, qui per ſe ſatis iamtum moleſtus eſt in morbis dextre curandis labor, ipſorum aegrorum moroſitate, aut imprudente aliorum cenſura, aut clandeſtina medicatione, aut arrogato in medicos imperio, maxime taedioſus redditur, quandoquidem ſoli fere medicae arti, duriore quodam contigit fato, quod prae omnibus ſcientiis, matronarum, anicularum, omnisque generis imperitiſſimorum conſultorum, inſulſis paſſim expoſita ſit reprehenſionibus, imperioſis turbationibus, iniquiſſimisque vel infimae ſortis hominum iudiciis, medicorum famae nefanda proteruia necituris; quorum friuolis auſibus,

dum

dum complures aegrorum nimium facile fauent, praeſentem, honoris ſaepe tantum cauſa vocatum medicum, *mercenarii quaſi ſaltem miniſtri inſtar habent*, leuiſſimo et arbitrario vix dignum praemiolo. Omnes tamen aegros, aut quicunque medicis curam tuendae ſanitatis prophylacticam etiam committunt, eodem iure medicis, quo debitores creditoribus, obſtrictos eſſe, mihi quidem haud quaquam videtur dubium, quinimo maiorem ipſorum eſſe obligationem, eo confidentius aſſerere auſim, quo pluris ſemper ſanitas, omni videlicet diuitiarum affluentia ſuperior, aeſtimanda eſt, cum, PLATONE teſte, *nullus ſit, qui non malit, parum argenti poſſidens, recte valere, quam magni regis diuitias habens, aegrotare f)*. In praemio nihilominus, medicorum laboribus conſtituendo, vix una eademque ſeruari poterit norma, cum nec eadem morborum, quoad grauitatem et durationem, ſit indoles, nec eadem omnium aegrorum conditio, quorum omnino etiam facultates, in ſoſtro exigendo reſpexiſſe, aequum eſt. (Quodſi ſecundum Ordinis noſtri Statuta, ſumma autoritate confirmata, de ſoſtro iudicandum fuerit, ita decernitur: *Si quis octiduo curauerit diuitem aliquem in morbo magno ſiue graui, ab eo poſcat* thaleros decem, *ſi mediocris fortunae hominem*, thaleros ſex.) Aequitati omnino quam maxime hoc conuenit pretium, ſi qui-

f) In *Eryxia.*

quidem modo perpendere iubeat, quam ſaepe, maior longe numorum copia, voluptatibus et oblectationibus, idque genus libidinoſis illecebris, prodigalius impendatur, quibus certe multi grauesque morbi, magno ſtudio, maximaque cum contentione comparantur. Quodſi harum non poeniteat impenſarum, quibus triſtiſſimorum ſaepe incommodorum *cauſae*, adeo cupide emuntur, cur illorum poeniteat munuſculorum, quae longe liberaliore manu illis offerre decet, quorum ſtudio infeliciores harum cauſarum *effectus*, parum laudando ſaepe modo inducti, corrigendi ſunt? Ipſis, laude digniſſimi, magiſtratuum fit exemplis, vt, qui publicae ſanitatis curam gerunt medici, phyſicorum ordinariorum ſiue poliatrorum nomine venientes, publicis ſuſtententur ſumtibus, ne pauperioribus quoque, valetudinis tuendae et recuperandae deficiant praeſidia; quibus egregiis inſtitutis, ſui erga ſuos medicos quoque officii moneri debebant omnes, quorum vel maxime intereſt, vt praeter ſanam mentem corporis quoque ſani fruantur felicitate, cuius haud exiguam partem, medicorum profecto vigilantiae in acceptis eſſe ferendam, vix quisquam inficiabatur. Iure adeoque ſuo, mercedem poſtulant medentes, atque iuris quoque vigore ſuffulti, eandem ab aegris inique duris atque refractariis exigendi, poteſtatem habent. Ipſa quoque iura Saxonica, potiorem locum

affi-

aſſignandum praecipiunt ſoſtro, ex ferali morbo poſcendo, ſi quidem concurſus creditorum, ſuper demortuorum facultatibus obortus, aut ob heredum contumaciam, res in foro decidenda fuerit. Quale vero ſoſtrum medicis ſtatuendum ſit, ſi quaeratur, vix exacte ſatis hanc dilui poſſe quaeſtionem, plus vna de cauſa patet. Si quidem res in foro agatur, atque iudicis, aut Collegiorum medicorum ſententiae committatur, norma Statutorum cuiuslibet Collegii, omnem facile dirimere poterit dubitationem, potiſſimum, ſi forte medentes, nimium magno pretio ſuos aeſtimauerint labores, atque in medicamentorum quoque valore, aequitatis, aut etiam ſic dictae taxae normam, enormiore modo violauerint. Si vero inter priuatos conſtituendum fuerit ſoſtrum, pacti omnino voluntarii, aut contractus innominati videbitur obtinere naturam, qui ſemper quidem obligationis vim habet, ſed legibus tamen determinari haud poteſt. Vt plurimum quippe de annuo conuenitur ſoſtro, quod HIPPOCRATES jamtum ſuaſit g) in quo definiendo, vtriusque partis conſenſus, omnem rem facile expedire poteſt. Quodſi enim tenaciores quoque nonnulli fuerint

g) Ἐπιμελεῖσθαι δεῖ περὶ ςάσιος μισθοῦ. *Curare oportet de conſtituenda mercede.* In Praeceptionibus.

rint in mercedula annua ſtatuenda, cum tamen medicus domeſticus, hac ſe contentum fore pollicitus fuerit, nullo iure pacti huius limites amplificare poterit. Cum tamen nec in hoc contractu adimplenpo, ſuorum ſemper pollicitorum ſatis memor ſit altera paciſcentium debitorum pars, quin per plures quandoque annos, in promiſſo hoc praeſtando negligentior ſit aut difficilior, medentibus omnino vitio verti haud poterit, ſi quidem, irritis frequentioribus et humanioribus monitionibus, iudicis auxilio implorato, moroſiores iſtos debitores, ad officium ſuum ſeueriore compellant rigore, atque ſe gratioſos equidem, gratiam nempe promerentes, non vero gratis medentes eſſe, comprobent. Ante tamen, quam ad iſta deueniatur praeſidia, vt plurimum Collegiorum medicorum expoſci ſolet ſententia, qua non ſolum, *an* ſoſtrum exigere licuerit, ſed etiam, *quale* exigendum ſit, et an aequitatis in eodem determinando habita fuerit ratio, decernendum eſt. Ita etiam facilior poſtmodum iudici ſubminiſtratur opportunitas, de aequo et iuſto, circa ſoſtra iniquius denegata, pronunciandi.

Fuſiore in hac, huius argumenti parte exponenda, haud opus eſt tractatione; poterunt complures, qui de medicina forenſi ex inſti-

tuto

tuto egerunt, conſuli ſcriptores. *h*) Quodſi exemplis, quae iam pauciſſimis dicta fuerunt, confirmare volupe eſſet, perquam multa quidem, vix tamen, quantam habent vim, tantam etiam forte gratiam habitura, in promptu eſſent, quae, quandoquidem ſaepius ſuper hac re ab Ordine noſtro ſententiae poſtulatae fuerunt, luculento eſſe poſſent documento, quam parum etiam quandoque ditiores, obligationis ſuae aduerſus medicos, memores eſſe ſoleant, et quam dedeceat, humanitate et patientia eorum, quibus promerita debentur praemia, ita abuti, vt tandem publica, parum tamen honorifica, ingrati animi ſpecimina, iudicibus proponi, atque ab ipſis merito, non ex fauore erga medicos, ſed ex cauſae aequitate, reprobari oporteat.

h) Conferantur HEBENSTREITII *Anthropologia forenſis*, Lipſ. 1751. edita, Cap. V. it. Magnif. LVDWIGII *Inſtitutiones medicinae forenſis*, Lipſ. 1765. editae, P. II. Tr. I. cap. V. Prorſus tamen hac de re, ad medicinam forenſem quam maxime pertinente, TEICHMEYERVM in *Inſtitutionibus medicolegalibus* Ien. 1720. editis, ſiluiſſe miror, quod et fecit MICH. ALBERTI, in *Syſtemate Iurisprudentiae medicae*, Halae 1725. edito.

la
v
d
t
(
the